


NOVA LITERARIA
MARIS BALTHICI

&
SEPTENTRIONIS,

edita.


M DCC II.



LVBECAE,

Acc. 42, 283.


Apud Petrum Böckmannum & Johannem Widemeyer,
Bibliopolas,





NOVORVM LITERARIORVM
COLLECTORES.

L. S.

vem in finem ante quadriennium, & quod excurrit, edendorum Maris Balthici & Septentrionis Novorum Literariorum laborem in nos susceperimus, cuius facilè ex Præfatione, primo eorum anno præfixâ, innotuit. Scilicet ea nobis mens fuit atq; instituti ratio, ut literarium quasi iter, per vicinum nobis Ducatum Mecklenburgicum, in Pomeraniam, Prusiam & Livoniam pararemus, datisque inde in oppositam Sveciam Daniamq; velis, per Slesvicensem Ducatum & Holsatiam reversi, quicquid nobis in his terris, quoad nova eruditorum nomina, officia, vocationes, translocationes, lectiones, disputationes, orationes, scripta nuper edita
aut

aut etiã edenda, apparatus bibliothecarios, nummarios, curiosos, observationes, inventa, certamina cum adversariis, funera denique & singularia, observare liceret, industrio calamo notaremus. Quod uti hactenus omni studio & summa fide factum putamus, ita per nos non stetit, quo minus cuncta memoratu digna, rem literariam nostri tractus concernentia, in his Novis legerentur; sed, si nonnulla, etq; fortasse haud levis momenti, prætermissa videntur, eorum potius culpa est, qui, licet aliquoties, & publicè etiam, rogati, sua nobis cum communicare noluerunt. Quod ne imposterum detrectent, adeoq; ea, quæ ab erudito orbe haud nesciri, tam ipsorum, quam rei publicæ literariæ, interest, nobis evulgaturis invident, rogamus denuò atq; obtestamur. Ita fiet, ut plenior indies ac uberior rerum memorabilium à nobis coacervetur thesaurus, & labor hic, si non omnibus, certè plurimis tamen, numeris absolutus evadat.

NOVA LITERARIA,⁵ MARIS BALVHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Januario, M DCC II.

ROSTOCHII.

Die 1 Decembr. prævio Programmate Rectoris Acad. D. *Johannis Barnstorffii*, P. P. ad Professionem Moralem, (quâ D. *Casp. Matthæus Müllerus*, nunc Jur. Prof. Ducalis, per sexennium & quod excurrit, nec nõ ante hunc Patrus & Parens functi sunt,) introductus est *Joachimus Henricus Sibrandus*, Rostoch. J. V. D. nuperrimè ibi mens. Sept. promotus, vid. N. L. 1701. p. 295. Oratio Inauguralis *de variis Philosophiæ Moralis Doctoribus* egit. Novellus hic Professor an. 1670. d. 13. Mart. Rostochii natus est, Patre D. *Jo. Sibrando*, Decretalium Prof. Publ. Ducali, (cujus vitam & obitum in N. L. 1701. p. 162. seq. recensuimus.) Hujus præcipuè ductu animum ad juris studium applicuit, in eoqve tantos fecit progressus, ut non modo ann. 1687. sub præsidio B. Parentis Disputationes *Schnobelianus* ad Pandectas defendere, sed & aliam proprio Marte elaboratam de vulgato: *communem errorem jus facere*, ann. 1688. præside D. *Jacobo Lembkenio* propugnare, *Lipsiæ* etiam, quorsum dicto anno abierat, sub præsidio D. *Lüderi Menkenii* aliquoties disputare non dubitavit. Post biennium Rostochium reversus, ibidem ann. 1692. mens. Jul. Disputationem Inauguralem *de Sapientibus extraneis*, & postea ipse Præses *de Statu s. formâ S. Rom. Imperii* Dissertationem habuit. Post aliquot annos *Regiomontum* ibat Ephorus, unde cum discipulo *Rostochium* revertebatur. Anno 1699. Lusatos adiit, atq; cum Illustrissimi Comitis Lusati *de Callenberg* filiis Ephorus de novo factus *Jenensem* petiit Academiam. Tandem cum Professor Moraliùm Senatorius designatus esset, superiori anno 1701. d. 20. Sept. tiarâ Doctorali est insignitus.

aut etiã edenda, apparatus bibliothecarios, nummarios, curiosos, observationes, inventa, certamina cum adversariis, funera denique & singularia, observare liceret, industrio calamo notaremus. Quod uti hactenus omni studio & summa fide factum putamus, ita per nos non stetit, quo minus cuncta memoratu digna, rem literariam nostri tractus concernentia, in his Novis legerentur; sed, si nonnulla, etq; fortasse haud levis momenti, prætermisfa videntur, eorum potius culpa est, qui, licet aliquoties, & publicè etiam, rogati, sua nobiscum communicare noluerunt. Quod ne imposterum detrectent, adeoq; ea, quæ ab erudito orbe haud nesciri, tam ipsorum, quam reipublicæ literariæ, interest, nobis evulgaturis invident, rogamus denuò atq; obtestamur. Ita fiet, ut plenior indies ac uberior rerum memorabilium à nobis coacervetur thesaurus, & labor hic, si non omnibus, certè plurimis tamen, numeris absolutus evadat.

NOVALITERARIA,⁵ MARIS BALVHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Januario, M DCC II.

ROSTOCHII.

Die 1 Decembr. prævio Programmate Rectoris Acad. D. *Johannis Barnstorffii*, P. P. ad Professionem Moralem, (quâ D. *Casp. Matthæus Müllerus*, nunc Jur. Prof. Ducalis, per sexennium & quod excurrit, nec nõ ante hunc Patrus & Parens functi sunt,) introductus est *Joachimus Henricus Sibrandus*, Rostoch. J. V. D. nuperrimè ibi mens. Sept. promotus, vid. N. L. 1701. p. 295. Oratio Inauguralis *de variis Philosophiæ Moralis Doctoribus* egit. Novellus hic Professor an. 1670. d. 13. Mart. Rostochii natus est, Patre D. *Jo. Sibrando*, Decretalium Prof. Publ. Ducali, (cujus vitam & obitum in N. L. 1701. p. 162. seq. recensuimus.) Hujus præcipuè ductu animum ad juris studium applicuit, in eoqve tantos fecit progressus, ut non modo ann. 1687. sub præsidio B. Parentis Disputationes *Schnobelianas* ad Pandectas defendere, sed & aliam proprio Marte elaboratam de vulgato: *communem errorem jus facere*, ann. 1688. præside D. *Jacobo Lembkenio* propugnare, *Lipsiæ* etiam, quorsum dicto anno abiit, sub præsidio D. *Lüderi Menkenii* aliquoties disputare non dubitavit. Post biennium Rostochium reversus, ibidem ann. 1692. mens. Jul. Disputationem Inauguralem *de Sapientibus extraneis*, & postea ipse Præses *de Statu s. formâ S. Rom. Imperii* Dissertationem habuit. Post aliquot annos *Regiomontum* ibat Ephorus, unde cum discipulo *Rostochium* revertebatur. Anno 1699. Lusatos adiit, atq; cum Illustrissimi Comitis Lusati *de Callenberg* filiis Ephorus de novo factus *Jenensem* petiit Academiam. Tandem cum Professor Moralium Senatorius designatus esset, superiori anno 1701. d. 20. Sept. tiarâ Doctorali est insignitus.

Die 14. Decembr. M. *Georg. Raphaelius*, Lubenensis Silesius, *Semi-Centuriam Annotationum Philologicarum in N.T.* proposuit Praeses, Respondente *Dieterico Hermanno Kemmerich*, Palæo-March. (1½ plag. in 4.)

Die 17. Decembr. sub Praesidio D. *Job. Joachimi Schöpfferi*, Pandect. Prof. Publ. Comit. item Palat. Caesar. & Consist. Duc. Assestoris, Dissertationem Juridicam de *Officio Praefecti Castellii, ad extrema obligati*, Germanis vulgò: *der sich wehren soll bisß auff den letzten Mann/ oder/ bisß auff den letzten Bluts-Tropffen/* publicæ Eruditorum censurae subjecit, Auctor & Respondens, *Arnold Henning Arends/ Tunderâ-Holsatus*, (8. plag. in 4.)

Disputationis hujus *Cap. I.* agit de *Officio Praefecti Castellii, ad extrema obligati*, in genere; *Cap. II.* de *Officio Praefecti Castellii, ad extrema obligati*, ante obsidionem; *Cap. III.* de *Officio Praefecti Castellii, ad extrema obligati*, in obsidione; *Cap. IV.* de *Ejusdem Officio in Traditione*; *Cap. V.* de *Officio Castellii Praefecti, ad extremam everfionem obligati*, *der die Festung soll in die Luft sprengen / wann er sich nicht länger halten kan.*

Die 25. Decembr. supra dictus Acad. Rector D. *Barnstorffius*, publico Programmate Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos ad devotam festi Nativitatis Christi celebrationem cohortatus est.

Typis Schwigeravianis impressa extat Concio exequialis, in funere *Mariae Elisabethae Dahnin/ Balthasaris à Zülow* relictae viduae anno superiori habita à *Johanne Sukovio*, Seniore & Pastore Sternbergensi, quæ sequenti modo inscribitur: *Das edle Gut der Edlen / oder / das wahre Gut der Kinder Gottes / welches ist ein recht grosses/ ein recht eigenthümliches / ein recht zuverlässiges Gut: zu welchem &c. in einer aus den Worten / Klagl. Jeremiae cap. 3. v. 24. gehaltenen Leich-Predigt / angewiesen Johann Sukow / Senior und Pastor zu Sternberg. Rostock/ gedruckt bey Nielas Schwiegerauen / E. E. Kath's Buchdrucker. Constat cum Personalibus 19. plag. in fol.*

GRYPHISWALDIAE.

Die 6. Decembr. Praeses *Jo. Frid. Mayer*, S. Theol. Doct. Prof. Prim. Syno-

Synodi Gryphiswaldensis Præpositus & Superintendens Generalis, Respondente M. *Hercule Wend*, vocato Pastore Kemnitzensium, Reverendis Synodi memoratæ Fratribus in argumentum colloqvii Synodalis, *Gryphiswaldensium Synodorum Summam proposuit*. Hac in re D. *Jo. Knipstrovii*, primi Ecclesiarum Pomeraniæ Citerioris Superintendens exemplum secutus est; de quo datâ hac occasione breviter notamus, quod fuerit natione Marchicus, &, cum in Francofurtensi Academia D. *Cunradum Wimpinam*, Disputationis Anti-Lutheranæ Præsidentem, oppugnaret, *Piritinum* ad monasticos ann. 1518. damnatus sit carceres, undè tamen ope M. *Pauli a Rhoda* evasit. Postea factum est, ut *Stargardie* primùm, deindè *Stralesundæ*, unà cum *Jo. Epino*, aliisque, ac tandem an. 1531. Dom. 6. post Trin. *Gryphiswaldia* Evangelium docere cœperit. Ast hoc posteriori loco malè habitus *Sundam* repetiit. Anno 1534. à Duce PHILIPPO, *Jo. Bugenbagii* consilio, primus Pomeraniæ Occidentalis Superintendens Generalis constitutus, Cathedræ Academicæ postmodum an. 1539. admovebatur, in quâ etiam functione secundâ vice Academiæ Rector, ann. 1547. d. 8. Decembr. summos in Theologiâ honores capessivit. Professione hâc abdicatâ *Wolgastum* an. 1552. à Principe vocatus, concessit, ibidemq; an. 1556. d. 24. Octobr. vitam finivit. Atq; hic est, qui jussu Principis primus *Gryphiswaldiæ* tum speciales, tum generales cœgit Synodos, quarum argumenta in nupera ibi habitâ Synodo sunt repetita, nimirum

Ex Synodo Gryphiswald. Anni 1534.

Excommunicatio major ad magistratum pertinet civilem. Minor, servato tamen ordine, ad Ministros Ecclesiæ.

Ex Synodo Gryphiswald. Anni 1541.

S. Scriptura unica regula & norma, secundum quam omnia dogmata omnesq; doctores æstimari & judicari oportet.

S. Scriptura unica Ceremoniarum Ecclesiasticarum quoq; est regula.

Ex Synodo Gryphiswald. Anni 1543. & 1544.

Sacramenta ad institutum Christi administranda.

Ex Synodo Gryphiswald. Anni 1551.

Elenchus Ministri Ecclesiæ in criminationes degenerare non debet. Formulæ precum sanctè utimur.

Ex Synodo Gryphiswald. Anni 1553.

Totus Christus, Deus & homo, animâ & corpore descendit ad inferos. *Osiandri error, nos justos esse justitiâ Dei essentiali, meritò damnatur.*

Ex Synodo Gryphiswald. Anni 1556.

Ritus Ordinationis ad Ministerium in Ecclesiâ omninò retinendus est. Post obitum *Knipstrovii*, Superintendente *Jacobo Rungio*, quem *Knipstrovius* primùm ad Professionem Grammaticæ & Musicæ vocaverat.

Ex Synodo Anni 1559.

Superintendens sub conscientiæ pretio tenetur, sæpius summâq; cum accuratione visitare Ecclesias.

Bona Ecclesiastica sacris reddenda usibus.

Ex Synodo Anni 1578.

Flacii de Peccato Originis error meritò rejicitur.

Die 8. Decembris, Actus Magisterij habitus est, honores dispensante *M. Christiano Saalbach* Poëtici ac Orator. Prof. Ord. Academiae Bibliothecario, Collegij Philosophici Seniore, & h. t. *septimum* Decano. Primus hic est, quò *D. Jo. Frid. Mayer* Pro-Cancellariatus sui officium exercuit: cui ne debitus splendor deesset, curâ Pro-Cancellarij factum, ut & ipse & Decanus suo peculiari ornatu incederent. Data & duobus famulis togæ rubræ, in quibus, cum actus publici peraguntur, apparent. Renunciati sunt sequentes:

Fridericus Andreas Krüger / Kenzenf. Pom. Pastor substitutus Altenvehræ in Rugiâ.

Andreas Berg / Pentzlinenf. Meckl. Lib. Baronis à Putbus Pastor Aulicus & Vilmenizensis in Rugiâ.

Johan. Vppendick, Scanus, Supremi vigiliarum Præfecti *Ridderbielmi*, Vocatus Pastor Castrensis.

Christophorus Tetzloff, Gryphiswaldensis, Scholæ patriæ Con-Rect.

Gregorius Langemak, Vterfa-Holfatus.

Jo. Jacobus Israël Schatenau, è Palatinatu inferiori propè Lotharingiam, J.V. Candidatus.

Jacobus Wilde / Bauscâ - Curlandus.

Georgius Nicolaus Bloctsdorff / Gnoya-Meckl.

Christianus Barfoth / Hallandiâ Svecus,

Eod:menſe Decemb:Ecloga Evangelica ad Dom II. AdventusEvang.
Luc. XXI,32. de *Judeis*, Præſide *Jo. Frid. Mayero*, Doctore ac Profeſſ.
Theol. primario & Superint. Generali deſenſa à *Johanne Philippo Kauf-*
manno, Hamburgenſi, (1. plag. in 4.) Qvâ diſqviritur:

- (1.) *Judei Germani an in eadem JESV Servatoris noſtri con-*
ſenſerint?
- (2.) *Vtrum citra injuriam Pontificiorum, Judei dicantur fi-*
deles & devoti Sanctæ Romana Eccleſiæ.
- (3.) *Judeos qvare toleret Pontifex, non verò Lutheranos?*
- (4.) *Vtrum Chriſtianis liceat Judeis famulari?*
- (5.) *An Chriſtianus Medicum Judeum, extra penuria aliorum*
Medicorum caſum, ſalvâ conſcientiâ adhibere poſſit?

Vniverſitatis Gryphicæ Reſtor, *Jo. Fridericus Mayer*, Lipſ. D. ali-
qvoties nobis laudatus, publico Programmate, qvomodo qvilibet an-
ni menſis gloriam nati Servatoris ambitioſè ſibi aſſerat, iſtis Feriis
Natalitiis Academia Civibus oſtendit, illoſqve ad eas religioſè colendas
adhortatus eſt. (1 plag. in 4.) Illud dum agit, primò varias Chrono-
logorum ſententias in definiendo nativitatſ Chriſti anno recenſet, qvos
inter *Rabbi Nahſon*, qvi annum 3740. *R. Gerson* & *R. Levi* 3754. *Arias*
Montanus 3849. *Gordonus* 3880. *Hieronymus* 3941. *Carion* 3944. *Calvi-*
ſius, Helvicus, Alſtedius, & pleriqve alii 3947. *Argolus* 3949. *Scaliger* atq;
Emmius 3950. *Beda, Hermannus Contraſtus* & *Hercoartus* 3952. *Lands-*
bergius 3958. *Mirandulanus* atq; *Salmeron* 3959. *Scultetus* 3960. *Toſta-*
tus & *Melanchthon* 3963. *Mercator* 3966. *Buntingius* 3967. *Bucholze-*
rus & *Pantaleon* 3970. *Petavius* 3984. *Tirinus* & *Capellus* 4000. *Gvi-*
lielmus Langius 4040. *Torniellus, Salianus* & *Spondanus* 4052. *Mai-*
monides 4058. *Rhodomannus* 4140. *Casiodorus* 4697. *Ado Vienneniſis*
4832. *Metrodorus* 5000. *Epiphanius* 5049. *Philo* atq; *Sigebertus* 5196.
Bergomenſis 5198. *Eusebius* 5200. *Rabanus* 5296. *Abunazar Arabs* 5328.
Iſidorus Peluſiota 5336. *Alliacenſis* 5344. *Auguſtinus* & *Genebrardus* 5351.
Cedrenus 5506. *Iſaacus Voſſius* 5590. *Clemens Alexandrinus* 5624. *Ni-*
cephorus Politanus 5700. *Laſſantius* & *Philaſtrius* 5801. *Svidas* 6000.
Onuphrius Panvinius 6310. *Tabule Alphonſina* 6984. & alii, qvi alium
annum honore iſto producti in lucem Servatoris maſtant, Deinde me-

minit, et si annum 3947. *Calvisiana* supputationis, nativitati Christi assignemus, dubium tamen restare, an ab hoc *Calvisiano* termino rectè ad hæc usque tempora annos computemus, cum alii annum, alii biennium, quidam verò, quos inter *Henschenius*, *Papebrochius in Act. Sanctor.* atq; *Senesballus*, qui quinquennium vulgari calculo deesse putent. Tandem variorum de mense nati Servatoris affert opiniones, & quidem (1.) Veterum Christianorum in Ægypto degentium aliorumq; qui d. 6. *Januarii* Christum natum existimabant, teste *Epiph. hæres. 51.* (2.) *Wagenseilii Tract. Soc.* p. 942. pro *Februario* pronunciandum censentis. (3.) *Bochari* l. 2. Hieroz. cap. 44. cui verisimilior videtur eorum sententia, qui ad *Martium* mensẽ nativitatẽ Christi referendam putant. (4.) Nonnullorum *Basilidæ* sectatorum, natum Christum d. 24. aut 25. *Pharmuti*, i. e. *Aprilis*, arbitrantium, juxta *Clem. Alexand.* l. 1. Strom. p. 340. (5.) *Illorum*, qui diem vicessimũ *Maji* nativitati Christi tribuunt. (6.) *Alogorum*, teste *Epiph. hæres. 51.* Calendas *Junias Iulias*ve pro natali Salvatoris habentium. (7.) *Wagenseilij*, pro extremo *Augusti* etiam facientis. (8.) *Ligtfooti Comment. ad Luc. II, 7.* cui media pars *Septembris* arridet. (9.) *Philippi Beroaldi*, *Josephi Scaligeri*, *Casauboni*, *Galvisij*, aliorumq; finem prioris mensis, aut initia *Octobris* amplectentium. (10.) *Clementis Alexandrini*, teste *Petavio*, d. 22. *Novembris* faventis. (11.) *Plerorumq;* hodie *eruditorum* pro 25. *Decembris* die militantium, &c.

GEDANI.

Die 28. Octobr. diem suum obiit *Daniel Albertus Schlieff*, annos 30. natus, ex nobilissimis familiis *Schlieffianâ*, *Bodeckianâ*, *Lindanâ*, *Rosenbergianâ*, &c. ortum ducens. Nascetur Gedani 1671. 15. Octobr. Primis studiorum fundamentis in Scholâ Marianâ jactis, 1686. Athenæo Patrio committebatur, in quo sub D. *Iohanne Schultzio*, jam Antecessore Francofurtano, ex *Harmoniâ Struvio-Schnobelianâ*, atq; hinc, ut Auctor, de *Manu Oculatâ* disputabat. Patriâ egrediens, *Francofurtensẽ Hallensiq;* Academiis salutatis, *Lipsiæ* per triennium subsistebat, atq; inde *Witteberge*, ubi ex vulnere pulmonum, quod à maleferiato homine, facinoris hujusce causâ relegationis pœnâ affecto, curabatur. Restitutus, in *Belgio*, *Galliâ* ac *Italiâ*, Aulas, Academiâs, aliaq; observatu digna perlustrabat, lingvasq; dictarum gentium exactè perdiscebat. Tandem per

Germaniam ad suos redux, cum patriæ usibus se consecrasset, recrudescente vulnere experiebatur, quod Medicorum filij dicere consueverunt; *ulcera pulmonum diuturna & profunda humanis artibus curari non posse*, Phthisi enim correptus præcoci morte abripiebatur, quam parte facultatum haud exiguâ pauperibus legatâ, atq; inter hos etiam constituto mille Imperialium pro Studiosis egentibus stipendio, gloriosam effecit. Posterius virtutem imitentur.

Die 3. Novembr. *Christophorus Bebr*, Eloqv. & Poët. Prof. P. *Agonem V. Plinianum* habuit, super *Panegyrici* c. 49. usq; ad 54. Respondente *Johanne Leonbardo Schlichero*, Gedan. (pl. 5 $\frac{1}{2}$.)

Die 24. Nov. D. *Samuel Schelguigius Wigandiana* auspiciabatur. Sic autem *excerpta ex Joh. Wigandi*, (Pomezaniensis in Borussia, cum viveret, Episcopi) *Anabaptismo* vocantur, eò modò adornata, ut Anabaptistarum erroribus perpetuò Parallelismus Novatorum, qui hodiè Ecclesiam Evangelicam, sub Pietatis obtentu, perturbant, subjiciantur. *Partitio I. ex Præfatione*, itemq; de *Verbo Dei*, exhibita est Respondente *Salomone Theophilo Pomian Pesarovio*, Gedan. *Valedicente* (pl. 3 $\frac{1}{2}$.)

Die 29. Novembr. Pastoratui ad D. *Bartholomæi* præficiēbatur *Michaël Kempinius*, qui officium novum Dom. IV. Adventus, 4. Decembr. videlicet, concione adituali aggrediebatur; ex Rectore Scholæ ad D. *Barbara* primùm Ecclesiastes in æde *Corporis Christi*, hinc Diaconus ad D. *Bartholom.* tandemq; hujus Ecclesiæ Pastor.

Die 1. Decembr. *Samuel Fridericus Willenberg* J. V. D. Ejusq; ac Histor. Prof. Publ. disputabat *de Innocentiâ per Torturam purgatâ*, Resp. *Job. Georgio Schradero*, Gedan. Summa hæc est. In *Proœmio* n. 1. Ingressus paratur n. 2. definitur Tortura & à Quæstione distinguitur. n. 3. ostenditur legalitas Torturæ, n. 4. adducuntur dissentientes, n. 5. respondetur ad objectionem *Schmithii*, n. 6. respond. ad Obst. L. 1. §. 23. ff. L. 17. C. de Quæst. L. 8. C. de Ep. & Cler. L. 16. Cod. *Theodos. de Navicular.* n. 7. respond. ad L. pen. ff. de quæst. n. 8. & ad Nov. 134. c. 13. n. 9. remissivè de quibusdam agitur, & methodus thematis ponitur. *Cap. I. de Innocentiâ suspectâ* agens, n. 1. dicit reos, ut videantur innocentes, omnia negare. n. 2. præsumptio pro innocentiâ, n. 3. nisi judiciis reddatur suspecta, n. 4. quid sint judicia; quæ ad torturam sus-

NOVA LITERARIA

ficiunt, iudex arbitratur; quare hic esse debeat iudicis arbitrium. *n. 5.* divisio iudiciorum; ad quam hic nobis respiciendum. *n. 6.* quænam indicia à nobis hic proponantur. *n. 7.* Ex communibus minus plenis indicium est Fama. *n. 8.* Locus suspectus. *n. 9.* Situs, Positus ac habitus suspecti. *n. 10.* Familiaris cum facinorosis Conversatio. *n. 11.* Inimicitia ac minæ. *n. 12.* inculpatio Læsi. *n. 13.* Fuga: an si incarceratus fugiat id per se indicium sit ad torturam? *neg. n. 14.* Lis de maximâ parte bonorum. *n. 15.* Junguntur dictis iudiciis Natio mala. *n. 16.* mala Physiognomia: prava corporis Constitutio. *n. 17.* variatio sermonis: titubatio suspecti. *n. 18.* Plura horum iudiciorum concurrere debent; quot numero illorum esse debeant? *n. 19.* quid sint communia plena indicia. *n. 20.* Inter hæc sunt Inventio Rei suspecti in loco patrati criminis. *n. 21.* Testis unicus super ipso delicto testans. *n. 22.* Confessio suspecti extrajudicialis. *n. 23.* Nominatio socii criminis. *n. 24.* Sequuntur Indicia propria certorum criminum. Indicia criminis læsæ Majestatis. *n. 25.* Indicia Adulterii. *n. 26.* Homicidii. *n. 27.* Infanticidii. *n. 28.* Veneficii. *n. 29.* An cruentatio cadaveris sufficiens homicidii indicium sit? *n. 30.* Sortilegii. *n. 31.* An supernatio suspectarum veneficarum in flumine sit indicium ad torturam? *n. 32.* Incendii. *n. 33.* Falsi. *n. 34.* Furti, Rapinæ, Latrocinii. *n. 35.* an quis titulû possessionis demonstrare debeat. *n. 36.* Probandum quodlibet indicium duobus testibus, quid si sint singulares testes. *Cap. II. de Remediis purgandi innocentiam suspectam. n. 1.* Ad purgandam innocentiam quivis admittendus. *n. 2.* etiam alius, quicumque pro suspecto; & ipse iudex ut eam doceat, laborare debet. *n. 3.* dubium circa probandam innocentiam resolvitur. *n. 4.* ostenditur innocentia esse faciliorem, quam criminis probationem. *n. 5.* Inquisito, vel ejus Advocato Copia iudiciorum danda. *n. 6.* præsumptionibus innocentia purgatur. *n. 7.* quibus testibus probetur innocentia. *n. 8.* Fieri potest Innocentia probatio omni tempore. *n. 9.* Iudicis est utrinque adductas probationes expendere. *n. 10.* An juramento innocentia purgari possit? Indicia non inferunt præsumptionem juris & de jure. *n. 11.* Tortura medium est purgandi innocentiam. *n. 12.* Torturæ sine præviis iudiciis est nullus effectus. *n. 13.* nec sine illis suspectus de alio crimine interrogari aut torqueri potest. *n. 14.* antequam dictetur, necesse est constare de corpore delicti. *n. 15.* quotuplex sit corpus delicti. *n. 16.* ut tortura procedat, delictum debet esse commif-

sum, quomodo pœnam corporis afflictivam meretur. *n. 17.* an locus ei sit, ubi fustigatio dictanda? *aff. n. 18.* cessat tortura, si suspectus de crimine convictus aut confessus. *n. 19.* Judex in decernendâ torturâ humanum se debet præbere. *n. 20.* à sententiâ torturam dictante appellare licet. *n. 21.* quando super eodem crimine tortura repetenda. *Cap. III. de ipsâ Innocentiâ per torturam purgatâ. n. 1.* Torturæ effectus. *n. 2.* admittuntur contra illam exceptiones: quænam possint opponi. *n. 3.* differentia inter legitimè excipientem & revocantem. *n. 4.* Torto constanter negante, purgantur indicia. Consideratio *L. 1. §. 23. ff. de quæst. n. 5.* an sine omni pœnâ tortus dimittendus. *n. 6.* quomodò puniendus, qui ratificandam confessione negat. *n. 7.* an tortus negans ab instantiâ, an definitivè absolvendus? Proponitur prior sententia, *n. 8.* proponitur posterior sententia. *n. 9.* eaq; hîc probatur & respondetur ad rationes prioris sententiæ. *n. 10.* adducitur quorundam media sententia: quo casu ob idem crimen quis denuò torqueri possit? *n. 11.* absolutus ad Urphedam & sumptus quandòq; tenetur. Causa hujus infortunii. *n. 12.* quid sit innocentia per torturam purgata. *n. 13.* Tortus innocens ad omnia pristina jura admittendus. *n. 14.* non est infamis. *n. 15.* retinet omnia jura civitatis. Excludi non potest ex Collegio Opificum. *n. 16.* Gaudet jure commerciorum. *n. 17.* & testamentorum. *n. 18.* habet actionem injuriarum, contra eum, qui torturam sibi objicit. *n. 19.* quænam ei competant actiones contra judicem iniquè torquentem? *n. 20.* resp. ad obst. *L. 13. §. 1. & 6. ff. de Injur.* Consilium pro judice. *n. 21.* actio injuriarum hîc perpetua est. Modi probandi torturam. *n. 22.* an aliquo signo ad declarandum hunc effectum opus sit?

Die 8. Decembr. D. *Samuel Schelguigius* sistebat *Wigandianorum ex Anabaptismo Partitionem II. de Trinitate, Christo, Libero Arbitrio & Peccato Originis*, Respondente *Johanne Ephraim Gnospio*, Gedan. Valedicente. (pl. 3 $\frac{1}{2}$.)

Anniversarius Index præterea typis excusus, refert, hoc anno Gedani intra munimenta urbis, baptizatos esse 2343. sepultos 1552. matrimonio conjuncta 546. paria. Huic Catalogo Mennonistæ inferi non solent, necq; etiam incolæ Schottlandiæ, vicinorumq; montium & vallium.

REGIOMONTI.

Die 1. Decembr. *Andreas Francisci Lischovinus*, Trenchinio Hungarus,

garus, cum antea in examine rigoroso atq; ceteris agonibus, quos ex more & Statutorum jure sustinuerat, Amplissimæ Fac. Med. oppidò satisfecisset, Disputationem pro summis in Fac. Medicâ honoribus impetrandis, *de Hypocrisi in Medicinâ*, horis ante- & pomeridianis habuit: in quâ præmissis quibusdam in genere de *simulatione*, sc. in quantum sit licita & illicita, ostendit, qui morbi simulari & dissimulari possiat, utrorumq; artificium manifestationis dedit, technas etiam per quas simulatio & dissimulatio palliatur, ut per *pulsum*, *urinam*, &c. communicavit, unâ cum ipsarum manifestatione. Finito confictu Medicæ Seniore, p. t. Decano, & ad hunc actum Promotore, ad superiorem cathedram evocatus, Medicinæ Doctor creatus & renuntiatus est.

Die 8. Decembr. M. *Georgius Thegen*, Phil. Pract. P. P. Ord, Trigam. Zetematum Historico-Politicarum, (1.) *Vtrum Pontifices Romani imperium sibi in Imperatores possint vindicare?* (2.) *Num licitum sit Gradus Academicos appetere?* (3.) *Vtrum Judaica Religioni additi in Christianorum civitatibus sint tolerandi?* Resp. & Autore *Wilhelmo Tyszka*, ad disputandum proposuit.

Die 10. Decembr. M. *Johannes Engelbrecht*, Schiffenburg. Verba *Aristot.*, ex 1. Rhet. c. 2. §. 15. *Rhetorica est surculus Dialecticæ & Politicæ*, disquisitioni subiecit, Respondente *Johanne Friderico Lilienthal*, Woriti-Prusso.

Die 13. Decembr. Præside & Auctore *Bernhardo von Sanden*, Jun. S. Theol. D. & Prof. Ordin. Decadem Thesium controversarum ex Loco *de Statu Iesu Christi gemino* selectarum, publicè ventilandam proposuit *Johannes Christophorus Dietz* Regiom. Prussus (2½ plag.)

Die 15. Decembr paulò ante laudatus M. *Georgius Thegen* de *Annularum in Republicâ usu* disputavit, Respondente *Johanne Arnoldo Pauli*, Prusso.

Die 25. Decembr. Programma Natalitium, nomine Pro-Rectoris & Senat. Acad. Regiomont. ex Num. XXIV, 17. *de Stellâ ex Iacobi oriundâ*, editum est, Auctore D. *Gottfried Wegnero*, h. t. Facult. Theol. Decano. (1½ plag.)

Prodiit Ejusdem D. *Wegneri* Disputatio Theol. *prima de Scripturâ divinitus inspiratâ, & sufficienter utili*, ex dicto 2. Timoth. III, 15. 16. 17. Se-

17. Sectionem I. eamq; *Analyticam, & Exegeticam, Philologico-Theologicam* exhibens, Respondente *Michaële Neumann*, Soldav. Prusso, Scholæ Gilgenburg. Rectore, habenda suo tempore, Respondenti opportuno. (plag.4.) Sequetur autem propediem *secunda, & cum Deo reliquæ, Dubia Textu alia, & Porismata* proponentes.

REVALIÆ.

Conradus Akenstierna, Nobilis Svecanus, quondam civitatis Per-noviensis Secretarius, & Consistorij ibidem mixti Regius Assessor, Regiæ Holmiensis, Patriæque Esthoniæ, summis in judiciis per 25. annos, & quod excurrit, Advocatus ordinarius, Deo ita volente, divulgare constituit *Chronicon Revaliense*, fide dignissimorum Historiographorum monumentis antiqvis, præsertim nummis, hisce in regionibus ad Mare Balthicum, repertis confirmatum.

Idem non *Orationem* solum scripsit, cum anno 1672. è Gymnasio Regio-Revaliensi ad Germaniæ Academias discederet, memoriter *de Prudentiâ* perorans, nec non postea, domum reversus, *laudem & Insignia Domus Mauritiæ* Revaliensi (der *Schwarzen Haupt*) ejusque Privilegia hodierna in Scriptis compilavit; sed alios etiam, tam in prosa, quam ligata, contexuit libros, quorum maxima pars typis evulgata; Auditoris tamen modestia recensere illa prohibet.

Hac occasione B. L. & inprimis variorum naturæ, artis ac antiquitatis monumentorum Collectores latere nolumus, laudatum *Akenstierna* possidere præter numerosam planè & eximiam Bibliothecam, omnium Facultatum, Lingvarum & Scientiarum plurimis MSS. rarioribus, figuris æneis subsudatis, integerrimorum Pictorum, vivis coloribus manibusq; propriis eorum exaratis Tabulis omnis generis refertam, ea monumenta & naturæ & artis, maximopere ex antiquitate eruta, quæ non semper occurrunt. Qualia inter naturalia præ ceteris sunt res metallica, terræ, lapideæ (& ut plurimi putant præternaturales) quam metallorum congeriem, majorem in partem, è fodinis Svecanis, eorumque mundo subterraneo Possessor ipse manu suâ partim effossam & elatam, partim ab aliis, quæ sunt è peregrinis terris, accipiens, congestam atq; congregatam nunc habet & conservat. Hisce accedit stupenda ferme colluvies Testudinum & Conchiliarum, tam Orientalium quam Occidentalium, mirum in modum à Deo creatarum, mirandæ formæ & colo-

coloris unaquæque, majoris, mediocris & minoris speciei, sed numerus earum propter multitudinem non faciliè indagandus. Museo *Akenstierniano* annumeratur porro suppellex nummaria artificialis (*Medailen*) non solum, sed & diversi generis metalli, uncialium quoque, selectissima illa: Sveciæ & adjectarum provinciarum, Esthoniæ Livoniæque; Ducatum insuper, Principum ipsorum, in Ecclesiastico & Sæculari ordine olim Antistitum & Primatum in hoc usque tempus sub Sacratissimo CAROLI XII. Regis Sveciæ regimine tam in usualibus, quam ad delectum, memoriam atque historiam, excusi nummi inter eam apparent: Quibus præterea ad sociata penè omnium orbis nationum & gentium monumenta rei nummarie, præsertim Romanorum antiquorum, Consulum, Cæsarum & Familiarum, quorum non pauca ante natum Christum excusa invenies. Ad millia certè numismata antiquissima à Possessore, per annos abhinc multos, collecta, genuina, non falsa, non adulterina, etiam asservantur. Inter artificiales res occurrit hinc mira series (ut cetera & plurima alia nunc taceantur) fabricaturæ exotericæ, præsertim Septentrionalium, Lapponum, Moscovitarum, &c. superstitionum & suppellectilium illorum, de quibus noviter nonnulla singularia, prostratis & profugatis ad Narvam Russis, in manus laudati sæpius *Akenstiernij* Revaliam pervenerunt. Non desunt quoque artificialia, quæ Persarum, Turcarum, Indorum, Chinesium &c. ingenium indicant satis artificiosum. Omnia hæc brevi: Nummophylacium, exornatum præsertim, justeque in catalogo concinnatum lucem ut aspiciat & curiosis hoc in studio commilitonibus ut satsidet, valde quidem optat Collector industrius, sed concatenati ejus labores id fieri vetant.

Seduli hujus Antiquarij honori, dicavit ante aliquot annos *Daniel Sarcobius*, jam Vniversitatis Pernoviensis Professor, Carmen gratulatorium, Revaliæ typis impressum, sed propter raritatem ibidem iterum recusum. Continet illud Poëma literam initialem C à verbo ad verbum per Carmina centum, seu Hexametra, gratulati nomen Conradi per totum indicans. (2. plag. in fol.) Carminis Sæcularis *M. Pauli Georgij Krütschen* 142. Versuum, ubi litera S. cujusvis Vocis est initialis superiori anno 1701. p. 58. meminimus.

NARVÆ.

M. *Nicolaus Bergius*, cujus in N. L. anni 1701. pag. 279. meminimus, post-

postquam haud ita pridem Superintendens Ingriensis atque Narvensis constitutus esset, nuperrimè Superintendens Generalis in Livoniâ, in locum D. *Jacobi Lange*, jam Esthoniensis & Reval, Episcopi, (de quo in N. L. præteriti anni 1701. p. 300.) vocabatur.

VPSALIÆ.

Editus *Campi elysij* Liber secundus operâ *Olai Rudbeckij* Patris & Filii. (in fol. magn. 2. Alph. 15. plag.) Causa, ob quam ante primum editus sit, indicatur in Præfatione.

HOLMIÆ.

Publici juris facta est discussio Criminationum, quibus usus est Moschorum Czarus, cum bello Svecis contra jusjurandum & nuperrimè datam fidem illato prætextum quæreret, anno 1700. (in 4. pl. 16.)

Duo Numismata in Victoriam Narvensem, quorum supra, ubi *Nicolai Keder*, Regij Antiquariorum Collegij Assessoris Symbola & Emblemata recensuimus, (vid. N. L. 1701. p. 271. seqq.) ut sculpendorum est facta mentio & descriptio, nunc elaborata in lucem prodierunt publicam, sculptore *Carolo Gustavo Hartmann*.

Prodiit etiam Numisma ERICI XIV. Inventore & Sculptore jam modò commemoratis *Kedero & Hartmanno*. Exhibet hoc parte anteriore verba: ERICVS. XIV. D. G. REX. SVECIE. & Regis effigiem; posteriore autem Ensem diffractum, basiq; impositum, cum perigraphæ: NIMIS. DVRVS. MINVS. DVRAT.

Illustrissimi ac Generosissimi Comitis, CAROLI CASPARI WREDE, Sacræ Reg. Majestatis Sveciæ Cubicularij, præcoci fato rebus humanis exempti, obque summam vitæ integritatem, morum suavitatem mirè allicientem, solidam doctrinam, lingvarumq; uberiorem cognitionem longè desideratissimi funus d. 27. Novembr. 1701. splendidissimâ pompâ tumulo est illatum. Loculum ex ære affabrè confectum, inductoq; auro coruscum, ac Stemmata cum paterna tum materna condecorabant. Symbola pervenuista ad Comitem respicientia, *Kederiana* quoque inventionis.

1. Latere dextero ad caput:

DECIDIT. EN. NITIDVS. TAM. PVLCHRÆ. STIRPIS. OCELLVS. Rosa, ex ipsis Illustrissimæ WREDORVM Domûs insignibus primitivis decerpta, cadens.

2. Eod. latere ad pedes:

ET. TRISTI. HOC. CASV. GAVDIA. MILLE. RVVNT. Arbor
multis floribus & fructibus onusta, quæ vi sævientis subvertitur venti.

3. Latere sinistro ad caput:

AT. SIMVL. ASSVRGENS. VELOX. CONTENDIT. AD. ALTA.
Sagitta petens summa.

4. Eod. latere ad pedes:

ET. LVCE. EX. SVMMA. GAVDIA. QVANTA. CAPIT. Aquila
pennis altius sublata Solem aspiciens.

Ad Stemmata paterna:

QVOT. SVAVITATES. IN. SEDE. VNA, Insignia paterna primi-
tiva, Laurea nempè, quinque; distincta rosis.

Ad Stemmata materna:

NITIDO. CANDORE. RELVCET. Flos lilij albus, ex Insignibus
maternis primitivis depromptus.

Defuncti memoriz *Runowius* Carmen Latinum dedicavit.

KILONII.

Præside *Theodoro Dasfio*, Licent. Professore Theologo & Philo-
logo, nec non ad D. Nicol. Pastore primario, *Georgius Fridericus Bohn*,
Thuringus, superiori anno 1701. exeunte, Dissertationem Theologicam
ventilavit, quæ *Missam Malach. I. commat. II. non indicari*, docuit, ex-
plicans Sectione I. Pontificiorum, Malachiz I. comma II. de Missâ in-
terpretantium, sententiam; Sectione 2. 3. 4. 5. 6. 7. ad argumenta Chri-
stophori Castri, Roberti Bellarmini Cardinalis, Martini Becani, Calparis
Sanctij, Cornelij à Lapide, Petri Danielis Huetij, & Francisci Carriere,
respondens; tandemque Sectione ultimâ veram Malach. I. commat. II. Sen-
tentiam proponens. (3. plag. in 4.)

Die 14. Decembr. 1701. Lucem publicam vidit Dissertatio Fridericia-
na, de *Imaginatione Hominum & Brutorum*; ventilata Præside *Wil-
helmo Hulderico Waldschmiedl* D. Medic. & Philos. Experim. Profess.
Ordin. S. R. I. Academiae N. C. Collegâ, Respondente *M. Christophoro
Oberio*, Junecopiâ Sveco, (4. plag. in 4to.) Pag. 3. seq. Generalia commu-
nicat præmittenda, Phantasiâ videlicet menti rerum imagines propriè
non præsentare; sed solum motum organo ab objecto impressum ani-
mæ offerri. Item, *imaginationem non esse sensum internum*, externis
oppo-

oppositum. Pag. 5. Mentem sentire, non organum, nec non, Phantasia: differre ab intellectu, adstruit. Ad radicem pag. 5. *negativè* procedere desinit autor, & postquam breviter annotasset, quid imaginatio seu Phantasia sit Aristoteli, Cartesio, Wittichio &c. suam pag. 6. *Definitionem* subjungit. Dehinc *Distinctione* factâ inter mentis *imaginationem activam & passivam*, inquit in *gradus imaginationis hominum*, ejusq; *Causam, Differentias, Effectus*, admixtis historiarum novellarum illecebris, contemplatur. Pag. 17. *Vires* attingit *Imaginationis* in momento conceptionis, ex parte Patris æque ac matris, casu maximè notabili. pag. 20. adjecto. Pag. 23. Sittit *modum*, quomodo *imaginatio* agat, nempe per motum Spirituum &c. Ad Calcem pag. 24. de *imaginatione brutorum* differere incipit, nixus tam *auctoritate* Aristotelis, Plinii, Augustini, quàm exemplorum rariorum fulcris; & postquam *Gradus, Modum*, ac *Differentiam* hujusce *Phantasiae Brutalis* succinctè perlustrans, de *sensu* brutorum verba fecisset, dissertationem suam de *imaginatione*, modo tamen non imaginario, sed evidenti absolvit.

Ioh. Ludovici Hannemanni, D. & P.P. Atalanta fugiens.

Recip. Auri unciam unam cum dimid. Argenti uncias duas. Cupri uncias duas cum dimid. Stanni uncias tres. Chalybis uncias tres, cum semis. Plumbi unicas quatuor. Antimonij uncias quatuor cum dimid. Hæc omnia partim limâ, partim triturâ vel & aliâs in pulverem redigantur. Adde huic caput hominis, utputa cranium hominis violentâ morte extincti pulverisatum. Hæc omnia impone purissimo Marmor, vel Alabastro æquæ imposito, (locus autem, in quo massa hæc collocanda, sit siccus) & expone Soli in Leone existenti, & per vitrum Causticum, quod maximam vim radios concentrandi habet, ure, & tota massa in vitream abibit substantiam. Antequam autem in vitream substantiam transit, mira videbis colorum phœnomena. Ejus vitri pars in Cyathos transformanda, pars in Alcohol redigenda. Quæ certo menstruo soluta dat tincturam, magnis elogiis ob beneficium, quod homini præstat, maudandam. Sed cum nullus dubitem, hîc quosdam Medicos, & Philosophos ebuccinare illud Actorum cap. XVI. v. 20. 21. *Hi homines conturbant civitatem nostram, quum sint Judæi. Et annunciant instituta, quæ non licet nobis suscipere neq; servare, quum simus Romani. Galeni affecit ridebunt, Chemiæ periti pro Thesauris æstimabunt, Et ipsis non*

est amplius *Atalanta fugiens*, sed ab Hippomene superata obtenta, sparsis aureis pomis capta. Per Atalantam *Michael Majerus* intelligit aliud mysterium. Istius Majeranæ Atalantæ procum profiteor me, sponsus autem sim, vel fiam, forsan non licet esse tam beato. Innumera experimenta & Medicamenta beneficio Solis & vitrorum causticorum per ætatem possent parari, multaq; ad pyrotechniam militarem manifestari, sed quare ego hanc januam ponderem?

Arcanum ad præcabendas variolarum foveas.

Quod ut plurimum homines nulli labori, sudori, diligentia, sumtibusque parcant, vultus sui nitorem, pulchritudinem, ne eam lædant nævi vel foveæ quas variolæ causari solent, notum est. Et nemini vitio verti potest, si hæc de re apprimè sollicitus sit. Cum doceat experientia, & pulcherrimos vultus variolarum vestigiis mirum in modum defædari. Ut itaq; præcaveatur ne variolæ vultus regionem invadant, hic processus, qui tutissimus, instituendus quotidiè bis, vel ter, tamdiu ut variolæ in motu critico eruptionis sunt. Duo cochlearia ex puro puto auro confecta genis totiq; vultui applicentur carbone ligni juniperini incenso impleta mediocriter calefacta. Hæc cochlearia in genis & facie nunquam non lenissimo motu trahenda. Inter motum cochlearium vultus aliquoties aquâ Reginæ Hungariæ tepesactâ conspergendus. Talis processus ad minimum sex dies, ter de die ter de nocte, & semper per duas horas continuandus. Si tunc intrinsecus propinetur nostra Tinctura liberantis dicta cum aqua terræ sigillatæ confortata Spiritu nostro Roris majalis, non carebit (annuente Divinâ gratia!) successu prospero. Aliquando duo Medici per genas traxerunt duo cochlearia, ast actu frigida, quem processum tristis Tragœdia subsecuta fuisset, nisi Matrona, quædam sapientior hoc erratum Medicorum correxisset. Qui tamen se Medicorum Joves venditant. Ast pudeat tantæ imprudentiæ temerariæ. Quatuor in hoc processu observanda occurrunt (1) *Tempus*, quo viget motus variolarum criticus eruptionis. (2) *Ter de die*, ter de nocte, ad horas duas qualibet vice, & usq; ad sex dies. (3) *Cochlearia* ex puro auro adhibenda, & quidem cum carbone juniperino calefacta, vultusque aquâ Reginæ tepesactâ conspergendus. (4) *Nostri Tinctura* liberantis danda, quæ habet vim illam sanguinis effervescentiam compescendi, ac ne sanguis in hoc suo motu critico nimium particulas illa,

fursum

furfum evehat, sed deorfum pellat. Quod & promiscuè expellentia. orgasmum sanguinis non satis sedare queant, probat, quod si illa decantatissima Essentia variolas expellens detur, quod tamen in vultu æque ac in aliis partibus luxurient variolæ. De Bezoar Excell. D. *Sorbait*, quod illud variolas nimium ad vultum propellat, id genus operationis etiam edit illa Tinctura florum aqvilegiæ, vel ille clyffus quibusdam arcanis variolas protrudens. Quamvis hi Medici quodammodo felices sint in præcavendis symptomatibus gravioribus; ne autem variolæ defædent vultum, ac ne in eo nimium luxurient vel & oculos perdant, suis ægris polliceri non queunt isti artis Medicæ Sacerdotes. Nos autem id per Dei clementiam! promittere possumus. Plura non addimus, ne videamur nos velle nos obtrudere; Vino vendibili non opus est hederâ. Et per nos quærant similes labra lactucas, non nobis, sed illis Medicis decori est, si à variolis reconvalescentium vultus defædati vestigiis suorum Medicorum imperitiam ebuccinent. Digitum hæc vice inque hanc *Atalantam* fugientem, quam mihi desponsavi, intendisse sufficiat, forsân posthac hanc *Atalantam* captivam sistam.

Prodiit Ὀψιμαθῆς, sive de *Studio Senili* dissertatio, quam clementis, auspiciis Serenis, Principis *FridERICI IV.* Ducis Cimbriæ Regnantis in Illustri *Christian-Albertinâ*, Præside *Sebastiano Kortholt*, Poët, Profess. Publ. d. 21. Dec. 1701. tuitus est *Arp Thiling*, Hamburgensis. Constat 6. plagg. 4. Præsides hujus dissertationis pag. 1. de hoc argumento neminem præter Polyhistorum Gallum *Bailletum* esse commentatum affirmat, qui vero non solum plurima, sed etiam notiora τῶν Ὀψιμαθῶν exempla reliquerit indicta. Proinde postquam *Poetrias Puellas* à Bailletō omissas, à nobis pag. 53. s. Anni 1700, recensitas edidit, nunc ali quot prope centuriis puerorum eruditorum à se observatorum & à *Bailletō* omissorum Ὀψιμαθῆς ab eodem omissos præmisit. pag. 3. refutat *Crasse* sententiam: nisi quod quisque cito potuerit nunquam omnino posse perdiscere; pag. 4. seqq. exempla eorum profert, qui licet in juventute tardissimi sint visi, eruditissimi evaserint. p. 8. exempla exhibet eorum, qui in summâ senectute vivido ingenio sensibusque integerrimis fuere. pag. 11. *Tritthemium* & *Tiraquellum* refutat, *Origenem* senem hebraicam linguam didicisse affirmantes. p. 14. cum indicasset *Gregor. Nazianz.*

LV. annos natum, ad poësin animum applicuisse, ultimos versus, quos, cum animam ageret, cecinit, & quoniam de studio senili disse-rens id agit, ut probet cum *Augustino*, nullum ætatis tempus ad colenda literarum studia serum videri, plurima perrara & singularia exempla per digressionem in medium adducit poëtarum, qui morientes *cygnea carmina* decantarunt, nec ante carminibus quam vitæ vale dixerunt. p. 23. *Jacobum Pontanum* & *Albertum Krantzium* refellit, qui *Carolum M.* senem grammaticam ajunt didicisse. Hujus Cæsaris virtutes in libro de poëtis *Imperatoribus* pluribus se persecuturum p. 24. pollicetur. p. 34. mentione factâ *Mariocti Bonciarii* qui LXXIV. annos natus semestri spatio linguam latinam didicit, indicat aliam viam hanc linguam intra sex menses arripiendi nos docuisse *Rosium*, aliam *Schenckium* &c. p. 38. refutat *Bailletum* affirmantem *Hobbium* undecimo anno æt. Euripidis vertisse *Medeam*. p. 39. ultimo loco recenset *Rieb. Blackmorū*, Angliæ poëtarum hoc tempore principem, cum ad condendum Epicum poëma vernaculum nuper accesserit, in poëtica plane peregrinum & hospitem fuisse, & agit de poëmate epico, perfectissimo humani ingenii conatu, ac contra *Rapinum* probat *Iosephum Scaligerum* ab ineunte ætate versibus operam dedisse, nec semper optimos poëtas primos annos versibus dedisse, p. 44. s. contra *Bailletum* tuetur, *Accursium* omnibus aliis disciplinis antequam juris cognitioni se dederet, instructum accessisse, & plures *Bailleti* errores ostendit, quos alio loco se propediem indicaturum pollicetur. Nimis prolixum foret indicem τῶν ὀψιμαθῶν quos ab oblivione auctor vindicavit, contexere. Sufficiat lectores docuisse, eum Imperatores, Reges, Electores, Principes &c. Græcos, Judæos, Germanos, Gallos, Italos, Hispanos, Anglos &c. inter ὀψιμαθῆς celebrasse.

Sebastianus Kortholt, Poët. Prof. Publ. recudi curavit librum patri-um, cujus est titulus: *Christian Kortholten / D. bey der Hochfürstl. Christian Albrechts Universität zum Kiel weiland Pro - Cancellar. und Profess. Primar. Vorberettung zur Ewigkeit / oder gründliche Anweisung / wie ein Mensch recht glauben / Christlich leben / und selig sterben solle; zum andern mahl ans Licht gestellt von Sebastian Korti-*

Korsholten. Kiel / verlegtes Joh. Seb. Kiechel 1701. 8. Præmisit huic libro dedicationem, quæ itidem loco præfationis est, ad Serenissimam Principem FRIDERICAM AMALIAM, cui quondam eundem consecraverat B. Auctor. In ea, cum perstrinxisset vitia aularum celeberrimarum Europæ, in laudes Celsissimæ Principis excurrit. Et qui B. Auctor majorem operam impendit, ut libris suis artem bene moriendi & Æternitatem insereret, quam ut libros suos insereret æternitati, se curaturum promittit editor, ut reliqui patrii fœtus iterum prodeant in lucem & conserventur. Tandem cum Voto dedicationem ita finit: Der Allers höchsten wolle gnädiglich gestatten / daß wie Ew. Hoheit ganzes Leben eine stete Vorbereitung zur Ewigkeit / oder eine Anweisung / wie man recht glauben / und Christlich leben müsse / bisher o gewesen; also Ew. Hoheit nach erreich tem höhern Alter später als alle Königl. und Fürstl. Vorfahren / der Nachwelt mit Dero Beyspiel lehren und anzeigen mögen / wie man selig sterben solle.

HAMBVRGI.

Die 12. Decembris *Christianus Ludovicus Seilerus*, hactenus Pastor *Tremmenia & Bagovia* in Marchiâ Brandenb. postquam d. 26. Sept. in locum B. M. *Petri Scheele* (de cujus vita, scriptis & obitu superiori anno 1701. mens. Martio p. 93. mentionem fecimus) ad D. Mariæ Magd. ædem Pastor electus fuerat, à D. *Christiano Krumbholz* Pastore Petriño introducebatur. Concionem introductoriam ex Psalm. X, 10. habuit.

Superiori anno 1701. è Typographiâ *Nicolai Spiringij* prodiit Scriptum quoddam Comicum sequentis tituli: Die wunder schöne Psyche, zu höchsten Gedächtniß des erfreulichsten Geburths - Tages der Aller Durchläuchtigsten / Großmächtigsten Königin in Preußen / Frauen / Frauen *Sophien Charlotten*, in einem Sing - Spiel auff dem Hamburghischen Schan - Plan vorgestellt. (4. plag. in 4.) Eundem hoc Dramæ musicum agnoscit Auctorem, quem *callida Juno*, (die listige Juno) cujus in N. L. 1700. mentionem fecimus. Præter hæc etiam Auctor alia ejusdem generis edidit scripta, præviis casibus notatu dignis, satis artificiosè elaborata, nec non devotissimo Serenissimorum nonnullorum honori dicata. Et ne Fabularum, uti & Historiarum circumstantiæ imperitos laterent, in quibusdam explicationem præfatus est.

Præter primam & secundam *Observationum Historicarum* vulgò Re-

marques, partem, (vid.N. L.1701. p. 124. jam etiam *tertia* in annum superiorem 1701. publicè extat & dividitur apud Hæredes Reumannianos. Ejusmodi Observationes laudabili instituto, cum Orbe curioso communicare Auctor non pergit solum; sed singulis etiam rarioris cujusdam Thaleri, aut nummi artificialis (Medaille) effigiem, unà cum accuratà ejusdem descriptione intexit.

Quolibet die Veneris è Typographià Reumannianà prodeunt *Job. Frid. Pfeffingeri*, Lüneburg. Nobil. Gymnal. Prof. *Memorabilia Seculi decimi septimi*, s. die *Merkwürdigkeiten des siebenzehnden Seculi*. (1. plag. in 4.) Hæc autem sequenti modo tractat Auctor: cujusvis anni *qvinq;* facit *Capita*, quorum I. de *recens Natis*, & quidem. §. 1. de Illustribus Fœminis, §. 2. de Illustribus Viris; *Cap. II. de Matrimonio junctis*; *Cap. III. de Mortuis* agit, §. 1. Illustres Fœminas, §. 2. Personas Ecclesiasticas, §. 3. Personas Politicas, & §. 4. Viros claros exhibens. *Cap. IV. Pacem, Bella, Fœdera, &c. proponit. Cap. V. Varia*, §. 1. quidem Ecclesiastica, §. 2. Politica tradit.

LVBECÆ.

D. *Augusti Pfeiffer*, Ecclesiarum Lubecensium, dum viveret, Superintendentis Scriptum posthumum, *Nuptialia* continens, typis evulgatum est, integer titulus ita habet: D. *Augusti Pfeiffers/der Lübeckischen Kirchen Superintend. Nuptialia, oder/ Sauff-und Ehe-Schul/ bestehend in drey Theilen/ in welcher das Leben Isaacs schriftmässig erkläret/ und die bey Verhehlung unverheyratheter Personen so wohl/ als bey allbereit im Ehestand lebenden sich ereignere Fälle / gründlich und deutlich erörtert / auch nützliche Regeln seinen Ehestand wohl anzufangen und Christlich zu führen / vorgeschrieben werden / mit Einmischung allerhand erbaulichen Realien, so zu Hochzeit-Reden und Hochzeit-Predigten nicht unschicklich zu gebrauchen sind / nebst einem vollkommenen Register. Nürnberg in Verlegung Johann Hoffmanns seel. Wittib. und Engelbert Streck. Druckis Abraham von Werth/ im Jahr 1702. (2. Alph. 1 $\frac{1}{2}$ plag. in 4.) In *primâ* hujus libri parte, uniuscujusque, sub patriâ potestate constituti, officium ante contrahendum matrimonium monstratur, atq; sub finem *qvæstio de legalitate Conjugij* additur; In *secundâ* docetur, quodnam cujusvis tum in *genere*, tum in *specie*, etiam*

Viduo-

fit Viduorum ad secunda vota transeuntium in contrahendo matrimonio sit officium, simulq; erotemata quædam de hac materiâ è visceribus solvuntur; In *tertiâ* parte ostenditur, quomodo quisq; se gerere debeat post matrimonium contractum, in ferendis nimirum Conjugij calamitatibus, ubi illarum in quavis concione sistitur *æstimium*, hominis conjugati *officium & solatium*.

*Scholion Jo. Jacobi Stolterfohti D.
de circulatione sanguinis.*

Hujus phænomeni ætiologiam indagaturo facem præfert fluxus ille atque refluxus oceani microcosmi, quem ex Cimæriis quasi reduxerunt tenebris *Guilielmus Harveus* Anglus, & *Hermannus Conringius*, Academiæ Julix sydus desideratissimum. Is vero an cognitus jam fuerit Veteribus, & inter illos Aristoteli, juxta *Waleum in Epist. ad Th. Bartholin, de Chyli & sanguinis motu*, assentiente *Charletone in Oeconom. animal. Exercit. VI.* An potius primum agnoscat Autorem *Paulum Servitum* Religiosum Venetum, de quo *Th. Bartholin. Cent. 1. Ep. XXVI. conf. Highbor. disquisit. Anatomic. de Arter. Cerebri. Medicis Sinensibus* tot retro seculis (ultra 400. annorum) usum circulationis sanguinis innotuisse præ Europæis teste *Andrea Clayero Act. Med. Hafn. Vol. IV. obs. 1. p. 4.* an vero notus jam fuerit sapientissimo Regum *Salomoni*, ut ex Ecclesiast. XII, 6. concludere alii volunt, vid. *Cornel. Bontekoe, von dem menschlichen Leben / Gesundheit / Kranckheit und Tod. p. 278, Cordationum* decisioni relinqvimus. Continuationis modum docent *Willisus Laværus, Waleus, Cornel. Consentinus, Pecclinus* & alii quam plurimi, nec sine ingenio, quorum lucubrationes Doctiorum teruntur manibus, sed missis hisce, inter recentiores vel unicus nobis sufficere poterit *Job. Bobnius* qui pulsus Arteriarum, concurrente motu venarum peristaltico, cooperante itidem partium tono, circulationis microcosmicæ continuationem & causam stupendo ingenii acumine agnoscit, in *Circulo Anatomico - Physiologic. Progymnasm. VI.* Pulsus huncce principiis mechanicis haud leviter instructus *Bartholom. de Meor. cogitation. rational. de Instaurat. Medicin. L. 1. p. 38. seqq.* ad oculum quasi demonstrans, asserti veritatem evincere conatur exemplo Virginis XXII. annorum sæpe Hæmorrhagia è malis & brachiorum parte exteriori copiosa correptæ: cui cum aliquando Pleuritide decumbenti venam minus dextre secussisset Chirurgus, paulo post natura fontes sanguineos genarum, & brachiorum simul aperuit; vid. *Ejud. Prefat. ad Lectorem. De Basiliæ*

licæ in dextro brachio apertione spontanea in Hydropico, videri potest *Philipp. Hæchstetterus Decad. II. Obs. VII. p. m. 167.* De vena secta post octiduum sponte aperta differit *D. Georg. Sebastian. Jungius M. N. C. Dec. 1. A. 1. Obs. CCLXXVI. p. 289.* in cuius scholio p. 490. exempla illorum qui absque ullo vulnere aut phlebotomia prævia, sanguinem ex certis corporis partibus per intervalla effuderunt, promittit in speciali *Hematologia*, Venam sponte apertam in Nutrice quadam observat *Thom Bartholin. Cent. V. Hist. Anat. XIX. p. 34. seq.* Venam sponte ruptam in Eqvo ex ore cujusdam Magistri Equitum testatur Excell. Dn. *D. Nicol. Pecblin. L. II. Obs. IX. p. 221.* ubi & exemplum habet Viri, cujus in sinistrae manus superficie ex Salvatella uncia una atq; altera sanguinis sponte prorupit. *p. 222.* Idem ex relatione Dn. *D. Biefferi*, præcipui Hambugensium Practici, Ancillæ mentionem injicit, cui ex postico capite prope suturam Lambdoidem ex arteriola cutanea floridus exsiluit & copiosus sanguis, miro naturæ compendio, *ibid.* De sanguine per digitos pedum transudante vid. *D. Eberensfried Hagendorn. M. N. C. Dec. I. A. III. Obs. XVII. p. 44.* De Lachrymis sanguineis vid. *Frenzel. Diss. de caus. corpor. eruentor. c. 2. conf. D. Rosin. Lentil. Miscellan. Medico-Prætic. P. 11. p. m. 331. Philipp. Hæchstetter. Decad. 1. Obs. 1. D. Carol. Rayger. M. N. C. Dec. I. A. VI. VII. p. 292. D. Georg. Seger. l. c. A IX. & X. p. 255.* quæ omnia pulsus sanguinis p. n. auctum arguunt. conf. nostra *Dissert. de sudore sanguineo.* Hunc vero in Plethoricis atq; Biliofis, accedente violento corporis motu maxime augeri, docet exemplum *Virginis nostræ Kiloniensis*, quæ tribus ante septimanis Venæsectionem passa, pauloq; ante tributum Lunare tanta solverat abundantia, & nihilominus tamen tam extraordinarium sanguinis stillicidium experta est. Sexum quippe fœmineum Plethoræ magis esse obnoxium, evincunt ipsæ Purgationes menstruæ, quæ p. n. inhibita per aliena loca exitum summa quærare solent vehementia, ut *A. M. DC. XCIX. Mens. Decembr. p. 382.* fusius docuimus. Sed unde, nisi pulsus sanguinis nimium aucto. Huc facit quod de Venarum intumescencia scribit *Thom. Bartholin. Cent. IV. Hist. Anat. LVI. p. 354.* & de Pulsu arteriarum carotidum audit *l. c. Cent. I. Hist. XVIII. p. 33.* conf. quæ habet *Pecblin. L. II. Obs. IX.* Nonnunquam quoq; at prævio itidem citatiore pulsus, ab acredine lymphæ Scorbuticis admodum familiari hocce stillicidium oriri, prælibavimus in *Dissert. de sudore sanguineo*; nec adeo diu est cum videremus ex virginis Cachecticæ gingivâ sanguinis rivulum radii instar promanantem. Tantam namq; acridinem massa sanguinea contra-


here potest, ut & lintea corrodat, vid. *Sennert. de Consens. & Dissens. Chym. cum Aristotel. c. 16. Thom. Bonet. Medic. Septentrional. L. 1. P. 11. Sect. XXII. Obs. 11. f. 457.* conf. *D. Adam. à Lebenwald M. N. C. Dec. 11. A. 11. Obs. CVII. p. 211. D. Jac. Wolff. l. c. A. VIII. Obs. LXII. p. 159.* Ab acido è contra Scorbutico coagulatum sanguinem vidit *D. Joh. Theodor. Schenckius Hist. de sero sanguinis c. V.* conf. *Dn. D. Luc. Schröck. Schol. M. N. C. Dec. II. A. IV. Obs. CXVIII. p. 126.* Sanguinem in corpore concretum observat *Thom. Bartolin. Cent. III. Hist. Anat. IX. p. 188.* An *Ægagropilus* in marsupio delitescens sanguinem in vena secta constringere possit, docet *Rosm. Lentil. Miscellan. Medic. Practic. P. 2. p. 381.* De virtute *Lapidis Haematitis* styptica forsan alibi fusior dislerendi sese nobis aperiet campus, nunc spatii angustiae obtemperantes claudimus rivos.

Francisci Wörgeri Scholion historicum, Navigantibus olim Septentrionalibus viampatuiffe in Americam.

Quod in historiæ vernacularum cap. 54. & 55. nondum editarum, satis prolixè demonstravi (*Historischer Frühlings-Wiesen*) istud paucis aliisq; testimoniis quam quæ ibi allegata sunt, animus est repetere. Exeruit enim ille scrupulus omnes huc usq; Historicos, unde potentia horum populorum tantopere decreverit, imò si ad expeditiones antiquas respiciamus illarum gentium, penitus expirârît, quod sanè dubium demonstratione solâ hac nostrâ felicissimè solvitur. Labet eam in rem hac modo vice verba politissimi inferere *Joh. Barclai* è cap. 8. *Iconis animorum.* Hæ quidem regiones sunt, ex quibus tantæ gentes numero suo victoriisq; celebratæ, quodam turbinis æstu, toti olim Europæ infusæ sunt. Inde Cimbri Teutonesq; (ad mare nimirum Balthicum) inde Gothi Wandalisq; prorupère, per quos Italia, Libia, Hispania cum Galliæ parte afflicta est. Recentioribus sæculis, quæ inde Colonia emigrabant, Nortmanni dicebantur, id est, homines à Septentrione venientes. Per hos diu occupata Britannia, in Galliis plurima ferro igneq; corrupta sunt; sed illis post varia discrimina pax placuit, & concedentibus Gallis Neustriam infederunt, quam exindè vocaverunt Normanniam. Ad eò nihil in Europâ intactum illis fuit, & omnibus formidabiles, etiam vulgò indomiti censebantur. Brevibus etiam isthæc tangit *annalium lib. I. Hugo Grovius.* *Eâ tempestate maria & littora pene omnia Danorum & Normannorum clasibus obsidebantur.* Plura aliorum in re omnibus notâ appo-

nere operæ haud est pretium. Pergit itaq; *Barclajus*. Vnde tanta hodiè multitudo & velut fons gentium venerit, incertum est. Potuisset addere integras olim ac opulentas urbes, veluti *Wishij* atqve similes planè in tractu illo non hostili manu, sed penuriâ solâ desolatâ, quo fortè digitum intendit addens statim: *Certè jam minus crebra in illis regionibus oppida, tantumq; à mittendis coloniis absunt, ut, cum bella ingruerint, exter- no milite uti confrescant.* Verum deficientibus illis auri thesauris, quos advectabant nautæ è novo orbe, defecerunt quoq; conducti è vicinis populis milites cum universâ potentiâ, id quod & hodiè Batavis accideret, si excluderentur ab insulis aromata ferentibus, nullisque hostibus sic ar- cendis pares forent. Nam simul ac anno 1345. & sequentibus, cum im- manis pestilentia tertiam fermè humani generis partem absorberet, na- vigationes illæ longinqvæ omitterentur ipseq; adèd ingressus, qui duce- bat navigantes in novum orbem, posteris haud amplius innotesceret, ec- clesiæ Grönländicæ Druntheimensi quondam Episcopo subjectæ atq; re- giones in illis adhuc oris habitabiles ab universis Europæis discissæ in mo- res ferinos degenerarunt, commoditatibus pristinis vitæ universis desti- tutæ, quas antea è navigantium habuerant commerciiis. Frustra hinc aliam hujus calamitatis causam sollicitat *Barclajus*. *Crediderim barba- ras gentes, cum frugales ibi olim in inculto solo essent, ignaræq; vitiorum multâ sobole increvissæ.* Sed quid istæ gentes absq; opibus quæso moli- tæ fuissent, quia nervus omnium expeditionum est pecunia? *Et quoniam infelicitas terra numerofo populo alimenta negabat, sæpè dimississe juven- tutem novas sedes quæsituram; cui se spontè omnis ætatis homines appli- cabant; nunc autem insano comessandi bibendiq; vitio obruisse genitalem vim, nec habitatores nisi suis regionibus sufficere posse.* Atqui nemo sese aggregat cohortibus pauperculis ejusmodi, tantum abest, ut tot floren- tissimas obruere valuissent provincias, nisi omni armorum atq; opulenti- tæ robore fuissent instructissimæ, multò minus fidem meretur, antiquos temperantia superasse posteriores, & quæ similes rationes finguntur nul- lo modo ad rem pertinentes. Verior itaq; manet nostra sententia, viam patuisse priscis Gothis cunctisque ad mare Balthicum sitis populis in A- mericam, atq; sic facile, si vicissim reperiri istæ fauces possint, adiri posse novum orbem, testantur viri eruditissimi. *Es bezeugen die Schiffer/ wie auch die gelehrten und erfahrene Leute / daß das Land Florida außers- tes Nordisches America der außersten Spitze Europa gang nahe / wie auch*

TAB. I.



auch nicht fern von neu Frankreich. Alle Erdbeschreiber stimmen einhellig dahin / daß die neue Welt bey dem Norden an dieser alten hänge und angefügt sey. Laurusberg nützlicher Historien 3. Hundert. Tit 31. Sic è Norwegiâ transitum factum in Grönländiam ex historiâ Islandicâ Angrimi Jonæ memorat Calixtus *Consid. doctrina reformat.* p. 67. Dilucidius autem Job. Jonstonus *Thaumatographia naturalis* p. 73. & 74. è quibus pauca delibabo. Ex Demetrio Moscho se audivisse narrat Jovius, Duinam multiplici stipatum fluvio, ingenti ad æquilonem cursu ferre, mareq; ibi patere, ita ut legendo dexteri littoris oram navibus Catajum peti possit. Ad extremam enim orientis plagam & Thraciæ parallelam Cathaini pertinent Lusitanis in Indiâ cogniti, cum ad coëmendam aromata per regionem Sinarum & Malaccam ad auream navigaverint. Chersonesum, vestesq; ex Sebellinis attulerint pellibus. Historiæ porro Rufforum narrant, Moschos & Tingasios, cum curiosâ flagrant cupiditate lustrandi Orientem versus regiones, emisisse exploratores, qui terrestri itinere superato Obij & Jenesiæ ad Peisidam usq; delati in homines cultu, moribus & sermone, à se mutuo differentes; auditus illis campanarum ab Oriente delatus sonitus, strepitus hominum, hinnitus equorum percepti, conspecta vela & quidem qualia Indorum quadrata &c. Hodie enavigatio tentata, sed cum summo vitæ periculo, perpetuâ glacie & diuturnis tenebris obsistentibus. Hactenus Jonstonus. Quoad usque igitur viguit isthæc Septentrionalium dicta navigatio, supra ceteras universi orbis floruerunt incolas, uti pluribus alio loco demonstravi.

Servatoris crucifixi Signum æneum antiquum, è Musæo M. Jacobi à Mellen, Ecclesiæ Lubecensis Presbyteri, Templiq; primarij B. V. Mariæ Archidiaconi.

Non ovum magis ovo potest esse simile, quàm æneum *Servatoris nostri crucifixi signum*, ab extremâ Jutiâ ad nos allatum, & dubio procul Templo aut Monasterio cuidam surreptum, si magnitudinem duorum pedum & unius pollicis excipias, inaurato ejusdem metalli Sigillo respondet, quod Jo. Smetius Antiquitatum Neomagenf. p. 137. sq. describit. *Sigilla inaurata, ait, sunt mihi duo ænea. Vnum minus magni Protomartyris Stephani, — alterum majus JESV CHRISTI DOMINI NOSTRI. Sigillum hoc, sex pollices altum, & à parte posticâ concavum; crucifixus autem in eo cernitur, per singulas manuum pal-*

mas, & pedum plantas, singulis clavibus trajectus, pedibusq; tabellam premere, atq; in eadem curibus, non reductis aut mutuo sibi impositis & complicatis, sed distinctis ac directis habere. Præter tabellam quoq; suppedaneam, cui crucifixus innitebatur, habere semicinctium, quod velanda, vel medium corporis partem à ventre ad genu, tegetet; sed subligaculum hoc laxè instar braccæ quasi lato clavo est exornatum, atq; oblongis viridibus & caruleis ex vitreâ gemmâ areolis aut laciniis incrustatum.

An *coronata* fuerit hæc Smetiana crucifixi Servatoris figura, non additur. Nostra autem *Coronam* gerit, eo modò efformatam, quæ olim radiata Regum atq; Cæsarum ex auro Diademata fingi solebant. Quod licet piæ antiquitatis mentem, honores Christo regios decernentem, sapiat, rei gestæ tamen nequaquam convenit. Coronam enim, patienti Jesu impositam, *plectilem* fuisse novimus, & quidem ἀκάνθινον, sive *spineam*; quod de *Rubô* nonnulli cum *Clemente Alexandrinô* interpretantur, alij de *Rhamnô*, de *juncô marinô* alij, de *spinâ albâ* verò purimi; ceu *Thomas Bartholinus*, *Caspar Sagittarius*, alijq; , qui singularibus hunc cultum Christi ironicum diatribis examinârunt, fuscè persequuntur. Immò dubium adhuc est, an Servator in crucem sublatus, Coronam gesserit? Vnde meritò V. Cl. *Antonius Bynæus*, de Morte J. C. lib. 3. c. 7. n. 2. p. 217. *Altum de Coronâ spineâ silentium est, utrum à Jesu capite etiam fuerit detracta. Hinc conjiciunt multi, eam in Jesu capite relictam, ut præ Latronibus duobus insignis esset conspicuusque. Quod uti potest verum esse, ac cum crucis titulo convenit, JESVS NAZARENVS REX JVDÆORVM, ita aliter potuit se res habere. Quare id potius ut dubium relinquitur atq; incertum.*

Accuratior in eo, quod exhibemus, Signò *quaternarius* clavorum crucifixi corporis *numerus* est, utpote veritati magis congruus. Nam, licet nihil tritius eâ sit sententiâ, quæ Jesus noster *tribus* saltim clavibus suspensus vulgò statuitur & pingitur; unde *Gregorius Nazianzenus*, vel *Apollinaris*, seu quisquis alius Tragediæ Græcæ de Christo patiente auctor est, *dominicæ* cruci τρισηλὸς ἕλυς, *triclavis ligni* nomen tribuit; non ablutente *Nonno*, qui ad Johan. XIX, 18. complicatos Servatoris pedes ἀλυσὶ γόμεφω, *singulari clavo*, transfixos esse perhibet; quod *Daniel Mallonius*, in Notis ad *Alphonsi Paleori* c. 19. de Stigmatibus Christi, confirmare nititur; Propius tamen ad veritatem accedere videntur,

qvi exitiali Servatoris nostri supplicio quatuor clavos infervisse autumant. Quæ dudum Gregorij Turonensis, lib. 1. de' gloriâ Martyrum, c. 6. fuit sententia, dicentis: *Clavorum dominicorum quod quatuor fuerint, hæc est ratio; duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis.* Sic enim apud Romanos mos erat; unde Plautus in Mastell. 2, 1. *Qui in crucem excurrerit, affigatur bis pedes, bis brachia.* Immò Nonnus, paullò ante memoratus, ad Joh. XIX, 15. Judæos exhibet furore plenos, altâ voce postulantes, ut Jesus cruci traditus, & τετραλύσι δέσμιον, quadrijugè vinculo extensus, pereat. Complures idem evincunt σωραῖον Christi imagines, hinc inde obviæ, quas apud Paulum Aringhūm, Romæ Subterraneæ lib. 3. c. 42. aliosq; videas.

Sed habet etiam figura nostra cruci affixa suppedaneum, seu tabulam, cui pedes insistant; quod πῆγμα paullò ante dictus Gregorius Turonensis, (Francisco Nansio ad Nonni Paraphr. Joh. XIX, 8. & Gerharo Joh. Vosso, Harmon. Evang. l. 2. c. 7. §. 28. observante) primus statuit. Nec defuerunt, qvi hanc sententiam avidè arripere, variis crucifixi Servatoris figuris & picturis inducti, isto habitu hinc inde occurrentibus; Quas inter alios Franciscus Feu-ardentius, in Notis ad Irenæi lib. 2. cap. 42. enumerat, dicens: *Isud denique plurimum confirmant vetustissima crucifixi Domini nostri in Templis servata imagines, quas etiam eodem anno, quo hæc scribimus, c. 13 I. XCV, multis in locis conspeximus, cum dicto scabellulo in quo pedes etiamnum distincti secretiq; duobus clavus affiguntur.* Nimirum Viriduni in majori eademq; vetustissimâ eade unam, & Monasterio quod à Divo Paulo nomen habet, alteram. Treveri ejusdem formæ vidimus in majori templo duas; in eade B. Virginis tres; S. Simeonis duas; S. Paulini unam; & S. Maria alteram. Confluentia in templis diversis tres. Colonia Agrippina etiam ejusdem formæ imagines, id est, pedibus disjunctis, atq; duobus clavus in subjectâ tabellâ confixis, plurimas conspeximus. In summo templo tres; ad S. Severinum tres; ad S. Cunibertum tres; ad S. Gereonem unam; ad S. Ursulam unam; ad S. Mariam de Capitolio unam; in cæmeterio S. Georgij unam; ad Indulgentias unam; ad S. Mauritium unam; ad Clarissas unam; in quodam Xenodochio unam; audimusq; in aliis locis sacris tales multas servari, quibus superior conjectura nostra non mediocriter firmatur. Spectant huc, præter nummum Græcicum veterem, qvi au-

Teus asservatur in Monasterio Laetienti in Hannoniâ , & apud *Lipsum* , in Notis ad lib. 2. de cruce cap. 10. videndus est, complures aliæ, in Româ subterraneâ alibi que passim obviæ, imagines, dominicæ Cruci pagma suppedaneum tribuentes; quales etiam in hac nostrâ Imperiali Lubecâ, & in primis Cœnobij S. Johannis Templò, occurrunt. Ne dicam de *Jano Nicio Erythreo* lib. 6. epist. 4. ad *Bartoldum Nihusium* scribente, possedisse se imaginem Cruci fixi, à fratre in cryptis inventam aeneam, in qua conspiciebatur Christus, quatuor clavis cruci affixus, tabellam pedibus premere.

Verùm enim verò, non obstante istâ testium nube, scabellum hocce suppedaneum, ab aliis viris doctis, ceu commentitium, & à Servatoris patientis cruce alienum, exploditur. Hos inter agmen ducit *Claudius Salmasius*, in Epist. 1. de Cruce *πῆγμα* suppedaneum, à *Gregorio Turonensi* fictum ipsiusque auctoritate a pictoribus & statuariis adhibitum, rejiciens, ac ea, quæ ad stabiliendam istam tabulam è *Justini Martyris*, *Irenæi* & *Tertulliani* scriptis vulgò afferti solent, de *sedili medio* (quod auctor Colloqvii cum *Tryphone*, ut & *Ireneus*, τὸ ἐπέχον πῆγμα vocant) explicans. In qua sententiâ *Georgium Calixtum*, in Appendice ad Lib. *Lipii* de Cruce; *Job. Michaëlem Dilherrum*, in Notis ad Crucifixionem; *Gerbardum Job. Vossium*, in Harmoniâ Evang. pluresque alios, ὁμοψύχως habet, in primis autem *Antonium Bynæum*, supra laudatum, qui lib. 3. de Morte J. C. cap. 5. n. 12. operosè id agit, ut suppedaneum dominicæ crucis fulcrum diruat, licet interim non neget, binos Servatoris pedes totidem clavis ad palum arrectarium affixos fuisse, quod utique, ad servandum quaternarium clavorum numerum, erat statuendum.

Supereſt *femicinctium*, sive subligaculum, in nostrò æquè ac *Smetiano* crucifixi Servatoris simulacrò corpori tam latè prætextum, ut à medio ventre ad genua descendat; unde supra memoratus *Jo. Smetius* d. l. colligit, recentiores tum statuarios, tum pictores, ex natura suæ genii variè etiamnum ludere, quando J. Christum & superiore & inferiore corporis sui parte nudum, atque medium circa ventrem solò indusio vestitum effingunt. Ita enim vulgò solent, ad eum modum, quo dudum *S. Brigitta*, Revelation. lib. 4. c. 70. Jesum nostrum cruce affigendum vestes posuisse, parvumque linteum verendis prætexisse, docuit. Quod perizoma hodie adhuc *Aquisgranenses* se habere gloriantur, & inter sacros Eccle-

sive thesauros numerant, propugnante Jo. Stephano Menochio, de Re-
 publ. Hebr. lib. 6. c. 2. aliis tamen negantibus & explodentibus; Inpri-
 mis iis, qui Servatorem nostrum *planè nudum* è cruce suspensum esse as-
 serunt, quod inter veteres *Ambrosius, Hesychius, Augustinus, Bonaven-
 tura*, aliiq; faciunt, ex recentioribus autem *Cl. Salmasius, Gerhardus
 Jo. Vosius, Antonius Bynæus*, & id genus alij. Hi enim cruciarios olim
 planè vestibus destitutos ad supplicium rapi consuevisse, ex *Artemidori*
 verbis colligunt, *Oνειροcrit.* lib. 2. c. 58. dicentis: *γυμνοὶ γὰρ σταυροῦνται,*
nudi enim crucifiguntur. Quod tamen alij non de totali, sed aliquali
 saltem aut insigni, corporis nuditate intelligunt, cum Jo. Hoornbekio,
Vet. & Nov. lib. 1. c. 15. non necesse esse, censentes, ut qui nudus vel de-
 nudatus esse dicitur, intelligi debeat de omnibus vestibus; quod sæpè de
 exteriori solùm veste, aut de aliis, capitur, non autem ut integrum nu-
 dus censeatur, sed superioribus nudatus, aut ferè nudus, id est, non indu-
 tus tunicâ, quamvis quidem femoralibus, ut *Job. XXI, 7.* Ἐπίσημῳ
 sanè *Arriani* locus, qui ex ipsius *Dissertat. in Epictet.* libr. 4. c. 26. ad tota-
 lem cruciarios nuditatem demonstrandam, vulgò afferri solet, rem
 non exhaurit. Vt ut enim lavantem cum offixo cruci comparaturus,
 dicat: Ἐν τῷ βαλανείῳ ἐκδυοῦμεν, ἡ ἐκλείνας σεαυτὸν, ὡς οἱ ἐστου-
 ρωμένοι, τρίβῃ ἔνθεν ἡ ἔνθεν, in balneo exutus vestibus, & extendens te
 ipsum, ut solent crucifixi, fricaris hinc & illinc: nervum tamen compa-
 rationis non ad vocem ἐκδυοῦμενος extendendum, sed in solâ voce ἐκ-
 λείνας quærendum esse, autumo, eumq; id saltim velle innuere, lavantem
 se extendere debere, quemadmodum crucifixi solent manus pedesq; pro-
 zendere. Hinc plurimi in eam potius sententiam proclives sunt, Serva-
 torem nostrum haudquaquam planè nudum cruce pependisse, sed illas
 sacri corporis partes, quas pudor velari jubet, propter adstantes quos-
 cunq; inprimis scæminas ac pueros, peplo fuisse tectas, sive mavis femo-
 ralibus, ceu *Alphonsus Toftatus Paradox.* §. c. 42. opinatur; cui pollicem
 premit, ac femoralia illa ad nostræ iconis modum describit Jo. Gerhar-
 dus, *Harmon. Evang. in Passion.* c. 13. ubi ait: Rectè monet *Abulensis*
 hoc non intelligendum esse de omnimodâ nuditate; sed sicut aliis crucifi-
 gendis, ita quoq; Christo, publica honestatis causa relicta sunt feminalia
 lineæ, quæ superiore parte sub umbilico fortiter adstricta usq; ad genua
 & poplites veniebant, quæ alia *Judeis* in usu fuisse commemorat *Hieron.*
in Epist. ad Fabiolam.

Denuo typis Jægerianis sub initium mensis Januarij imprimebatur.
Lubeca Literata, quæ tum nomina Literatorum ibi degentium, quot-
quot quidem innotuerunt, tum illorum qui obierunt abieruntq;
exhibet. (1. plag. in 8.)



II.

NOVA LITERARIA,

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Februario. M DCC II.

ROTOCHII.

D. Andr. Daniel Habichhorstius, Fctis Theol. & totius Academ. Senior, die 15. Januar. publicavit *Breviarium Formule Concordiæ & Controversiarum Syncretistico-Pietisticarum*, quod jam antè annū 1689. itemq; anno 1697. in Collegiis Disputatoriis ventilatum typisq; impressum fuit, nunc cum augmento *Thesium Antipietisticarum* est recusum, de quo in Collegio Disputatorio, viginti quatuor Disputationibus absolvendo, sub moderamine *Ejus*, diebus Merc. & Sabb. horis pom. facto ad d. 18. Jan. initio, adhibitisq; semper majoris exercitij gratiâ, duobus Respondentibus, altero Assumente, & altero Assistente, sequentes XII. Studiosi ordine disputabunt, 1. *Christianus Dreyer* / Rostoch. 2. *Joh. Balthasar Niehenck* / Rostoch. 3. *Jacobus Posselius*, Anclamo-Pom. 4. *Jacobus Glinde* / Pom. 5. *Gideon Dbermeyer* / Bremensis. 6. *Matthias Meyer* / Lubec. 7. *Joach. Frid. Huffnagel* / Primislav. March. 8. *Georgius Einden* / Rig. Livonus. 10. *Bernhardus Henricus Osthoff* / Rig. Livonus. 11. *Joachimus Rühn* / Neo-Rupp. March. 12. *Joh. Wölsche* / Neo-Brand. Mecklenb. (2½ plag. in 4.)

Eodem Mense *Johannes Barnsdorffius* D. & Juris Professor Publicus, h. t. Academiae Rector, Programmate edito *Patientis Jesu Imaginē* repræsentabat.

Ernesti Henrici Fecht, Med. D.

ad

Collectores Nov. Lit.

EPISTOLA.

Invitatus à Vobis, ut Novis Vestris Literariis, per totam Europam curiositate non minus, quam utilitate se commendantibus, si quid apud nos aut in vicinia nostra notatu dignum occurrat, quodq; à studiorum meo-

rum indole non sit alienum, inferendum communicarem, desiderio Vestro humanissimo pro ingenij mei modulo assurgere, apud animum meum constitui. Non ea equidem inflatus opinione, quasi satisfacere voto Vestro ex asse queam, quippe qui quam parum ad id mihi negotij sit & facultatis ultrò agnosco, sed, ut studium Vobis meum & gratificandi voluntatem, in qua nemini uni cultorum Vestrorum cedam, probem. Non vero me rem ingratham Vobis facturum putaverim, si in ingressu statim & quasi auspicio hujus officij mei, si de iis, quæ in memoriam combinationis terrarum & Ducatum Mecklenburgicorum, quæ optimè rebus nostris cupiente fato haud ita pridem contingit, ingenia curiosiora posteris tradere moliuntur, aperiam.

Eum nimirum in finem Monetarius noster, Dominus MEMMIUS, non minus excellens quam admirabilis in fingendo sculpendoq; artifex *nummum excudit memorialem*, propter accuratam adhibitam operam, & artificium oculis animisq; adspicientium mirè adblandiens merito suo inter rariora pulcerrimaq; artis decora & quasi miracula collocandum. Is pro figura Emblematis utramq; arcè, Sveriniensem & Gustroviensem, sedes hæctenus utriusq; Ducis Principales, à manu coelitus demissa, nubibusq; circumdata, in medio ambientibus catenis clauastro sistit, cum Epigraphe: **Gott hat aus zweyen eins gemacht.**

Unum ex duobus effecit Deus.

Inferius (*dans l'Exergue*) adjuncto tempore, quo felicitas hæc conjunctarum arcium & combinatorum Ducatum sub Serenissimo nostro FRIDERICO WILHELMO, Principe verè AVGVSTO, nobis contigit:

Consolidata Megapolis

1701. 8. Martij.

In averfa Numismatis fronte Insignium Mecklenburgicorum præcipuum, Bucephalus, à duobus, quas vocant, Victoriis suspensus tenetur, cum perigraphe:

Und Mecklenburg zur Ruh gebracht.

Terramq; Mecklenburgicam tranquillitati restituit.

Notato simul inferius tempore, quo Ordinum Equestris & Provincialis controversiæ cum Serenissimo exoptatissimo successu sunt compositæ:

Gaudium Mecklenburgicum.

1701. 16. Julij.

Erit sanè hic nummus memoriæ gloriæque nunquam intermorituræ incom-

comparabilis *Principis* nostri consecratus, in quo ceu æterno Symbolo subditis & incolis hujus provinciæ, altero nunc tanto, quam antea fuerat, Augustioris, summam Patris Patriæ providentiam tanto cum civium suorum fructu inæstimabili eorum commoditati invigilantem intueri licebit; habebunt in eo exteri & eruditi omnes, quo rem intra paucorum annorum intervallum gloriose à PRINCIPE gestam, si quæ ulla alia, memoria maximè & admiratione dignam, inque universæ posteritatis amplissimum usum evalituram fecundis eloquentiæ præsiidiis, commendare poterunt.

Ex eadem curiosissimi Memmij nostri officina haud ita diu est, quod prodierunt nummi XLVI. arte & ingenio exquisitissimi, Historiam Provinciarum confœderati Belgij intra certam temporis periodum explanantes, juxta cum brevi eorundem eaque Historica explicatione, typis in quarta, quam vocant, forma commissa, novemque plagulis absoluta. Inscriptio libelli summam repræsentat: *Historisch-Emblematischer Medailen Raste/worinnen 46. curieuse Medailles befindlich / welche die merckwürdigsten Begebenheiten / so occasione der zwischen der Spanischen Monarchie und denen Niederländischen Provincien in Anno 1566. entstanden und bis Anno 1609. gewehrten Troublen öffentlichen Kriegen/ und sonst/ sich zugeragen / auff's sinnreichste abbilden und für Augen legen.* Id est: *Scrinium Nummarium Historico-Emblematicum, continens XLVI. numismata curiosa, quæ res, occasione motuum bellorumq; inter Provincias Belgij confœderatas & Monarchiam Hispanicam Anno M D LXVI. exortorum, & usq; ad Annum M DC IX. continuatorum, gestas ingeniosissime depingunt & ob oculos ponunt.* Vix excogitari posse videtur curiosius vel utilius quicquam nummis hisce memorialibus, tantum in se plerumque acuminis, tantum arguti sensus complectentibus, ut ad legendum & indagandum fortissima quadam vi invitent, neque intuentem dimittant, nisi universum emblematum apparatus hauserit & historiam in iisdem latentem. Nec animus tantum iisdem impensissimè oblectatur, verum etiam, mea quidem sententia, cognoscendis comprehendendisq; ejus ætatis in Belgio historiis ita aptè commodeque inserviunt, ut vel ipsi pueri, manibus eadem sæpius volutando, per jocum quasi ludumque ad seriam rerum gestarum contemplationem perducì possint, vel si mavis Illustri & celeberrimi Noricarum Polyhistoris WAGEN-SEILII Infundibuli, quod appellat, Minervæ vices præstare videntur.

Qvo consilio quoque doctissimos Viros, *Franciscum Angelonum & Jo. Petrum Bellorium* numismata, Augustorum temporibus cusa, ferreâ diligentia conquisivisse, iisque ære expressis Cæsarum historiam illustrasse, in publicum notum est. Idem in conciliandâ Seleucidarum historię luce *Vaillantius*, in Constantinopolitanorum Imperatorum *Carolus du Frêne*, in Romanorum Pontificum *Molinetus*, in aliorum alij facere aggressi sunt. Qvin & historiam Fœderati Belgij numismatibus illustratum anno superioris Seculi LXXXVII. in publicum edidit Parisiis *Bizotus*, titulo: *Histoire met allique de la Republique de la Hollande*. In quaquamquam & nostrorum nummorum plurimi compareant æri incisi, vel hoc ipso tamen institutum Memmianum nobilius & luculentius est, quod numismata in metallo, sive argentum desideres, sive cuprum, exemplaria sua longè vivacius repræsentent, ut non intueri tantum in chartâ historiam, sed manu quoque palpare & volutare digitis, positis ante se ex parva cistula nummis, posse videaris. Quod tentatum effectumque à quoquam hactenus haud novi. Primus Memmianorum nummorum curiosam famosissimi illius nominis *Gueux* originem nos docet. Præsentat quippe effigiem Philippi II. Regis Hispaniæ, cum inscriptione: *en tout fideles au Roi* (in allem dem König getreu) & aversâ par complicatarum manuum, loculum mendicorum (la besace) tenentium, cum epigraphe: *jusques à porter la besace* (bis man an den Bettel-Stab gerâth.) Est idem ille nummus, quem Nobiles confœderati Belgij in ipso belli exordio in aula Bruxellensi comparentes de collo suspensum gestarunt. Nimirum notum est, sub Regimine Margarethæ Austriacæ anno MDLXVI. Belgio jugum Hispanicum indies gravius ferente, trecentos Nobiles sub auspicio Henrici de Brederode, experantiqua Hollandiæ Comitum progenie ortos, fœdus pro tuenda Patriâ libertate contra horrendum tunc temporis Inquisitionis Judicium iniisse, & in aula Bruxellensi apud Gubernatricem supplicantes comparuisse; quod cum Ducem, ut res mali ominis, haud parum affecisset, adstantem Comitem de Barlemont ipsius animum his verbis iterum demulsiisse: *quen' ce étoient que des Gueux* (quod isti nihil aliud sint, quam pauperculi). Ex quo tempore si Nobiles in Ordinis quasi symbolum hoc sibi nomen elegerunt, & in ejus rei memoriam prædictum nummum cudi jusserunt. Non minoris elegantię & judicii est ille, qui de anno MDXLI. oculis nostris subjicitur, quo confœderatæ Provinciæ ad vires uniendas & ad constantiam semet ipsas

psas adhortantur; sistens triremem æquali remigum numero promptam, cum inscriptione: *conjunctis viribus ite*: adversa facies monstrat domum in ejusq; fastigio duas ciconias nidum parantes cum epigraphæ: *non semper estas, parate nidos*. Sed memor, me gustum tantum præbere præstantissimi operis, reliqua omitto, cum si percerere acutiora tantum & quæ acre præ cæteris ingenium sapiunt emblemata, instituerem, inane insumere operam merito diceret, cum nullum sit, quin solertiâ & sagacitate cum altero certet, nummusq; nummun. arte & prudentia vel æquare videatur vel vincere. In quibus omnibus tanto artificio MEMMIANA manus prototypa expressit, ut nec à lineamento ullo unquam defecerit & sculptura acris atq; cum summa venustate conjuncta non possit non admirabilem in spectantium oculis delectationem excitare. Ansam ad hunc laborem suscipiendum Monetario nostro dedit Vir quidam eruditus, qui nummos hosce memoriales autoritate publica cusos non minori cura quam sumptibus in itinere sibi comparatos Domino Memmio, ut publici juris faceret, communicavit. Qui cum probè intellexisset, haud facile alibi selectissimorum talium nummorum copiam reperiri posse, & id genus delicias à magnis quibusvis, præcipuè in Belgio, viris summo studio expeti, cum vel stupenda heroum illius ævi facinoræ, vel Belgicæ nationis magnificentiam, in adversis constantiam, in extremo fortunarum discrimine virtutem, curatissimis picturis repræsentent, manum illico iisdem admovit eosq; scalpello expressit. Sunt hæc, quæ Vobiscum, Viri Excellentissimi, communicare volui.

STRALESVNDÆ.

Sub finem superioris anni 1701. Typis Heredum Mederianorum expressæ sunt Declarationes singulares, tum Politiam, tum leges vestitarias Urbis Sundæ, concernentes, titulus ita habet: *E. C. Raths der Stadt Stralsund besondere Declarationes über hiesige / so wohl Policey - als Kleider-Ordnung / publiciret und gedruckt Anno 1701 / bey seeligen Michael Meders nachgelassenen Erben.* (3. plag. in 4.) Ab iisdem Heredibus Mederianis etiam hoc præsentis anni recusa est *Stralsundensis Ordinatio Vestitaria Renovata* juxta Exemplar ann. 1685. impressum, sive: *Etines Ehrenvesten Raths der Stadt Stralsund renovirte Kleider-Ordnung / wornach sich derselben gesammte Bürgere, Inwohner und Angerige nach Unterscheid der Stände zu verhalten.* Nach dem Anno 1685. gedruckten Exemplar, abermahl wieder auffgeleget und verfertiget durch

seel. Michael Meders nachgelassenen Erben / im Jahr Christi 1702. (2. plag. in 4.

Porro: Renovirte Ordnung/ wornach sich derselben gesamte Bürgere/ Einwohner und Angehörige im Verlöbnißen / Hochzeiten / Kind-Tauffen und Begräbnissen / nach Unterscheid der Stände / zu verhalten. Anno 1702. nach dem Anno 1685. gedruckten Exemplar wieder erneuert/ und zu finden bey seel. Michael Meders Erben. (5. plag. in 4.) Ordinationis hujus Caput I. agit de Sponsalibus. Cap.2. de diversi generis nuptiis. Cap.3. de epulis sponsalitiis. Cap.4. de proclamatione è suggestu. Cap.5. de dote rerumq; dotalium lustratione. Cap.6. de donatione propter nuptias reciproca, donis convivarum nuptialibus, ut & Vocatoris mercede. Cap.7. de nuptiis & convivarum numero. Cap.8. de Conviviis nuptialibus, modo item sponsum atq; sponsam in templum deducendi, ibidem copulandi, nuptiasq; instituendi. Cap.9. de Copulationibus privatis. Cap.10. de secundo festivitatis nuptialis die. Cap.11. de famulitii, nautarum, pauperiorum, Bajulorum & mercenariorum nuptiis. Cap.12. de transmittendis cibus. Cap.13. de Coqvorum mercede. Cap.14. de Musicis & Choravlis. Cap.15. de conviviis puerperalibus, nec non lustralibus; nummis à Susceptoribus dandis, &c. Puerperarum visitationibus. Cap.16. de sepulturis. Cap.17. de coenis mortalibus abrogandis. Cap.18. de Ordinationis hujus observatione atq; executione.

GRYPHISWALDIAE.

Die 6. Jan. ipso Festo Epiphaniae M. *Brandanus Henric. Gebhardi*, S. Linguae & Theol. Prof. h. t. Ord. Phil. Decanus, Programme publico in *Natales Apollinis Musarumq;* inqvirens, nomine Collegij Philosophici ad ambiendos legitime Magisterii honores, strenuos Musarum Cultores invitavit. (1. plag in 4.)

Die 15. Jan. *Alexander Caroc*. Jur. Profess. Ordin. h. t. Fctis Juridicae Decanus, Supremi Dicastrii Provinc. Regij Assessor, Ordinum Provincialium Syndicus, nec non Serinisf. Principp. VV. Mecklenb. Gnstrov. Consiliarius, Disputationem Inaugural. *Henrici Christiani Schaefferi*, Gnstrov. Mecklenb. publico Programme (1. pl. in 4. indixit,) simulqve Ortum, Studia & Vitam hujus Candidati commemoravit. Natus quippe hic est *Gustrovii* an. 1664. Patre *Henrico Schaeffero*, Duci GVSTAVO ADOLPHO, dum viveret à Consiliis aulicis. Privatâ institutione *Ada-*

mi Cochij, Theol. Studiosi, nunc Pastoris Dobbertinensis, deindè publicâ, tum in Gymnasio patrio, tum Miseniensi usus est. Ad Académica an. 1693, abiens subsellia *Jenam* quidem concessit, sed cum per aliquod tempus ibi commoratus esset, *Rostochium* se recepit, ibidemq; per integrum triennium substitit. Abhinc *Halam Magdeburgicam*, Lipsiensem Vniuersitatem in itinere salutatâ, an. 1698. profectus est. Tandem ad Gryphiswaldensem accessit Academiam atq; prævio ibi examine impetravit Licentiam assumendi titulum & honorem Doctoralem.

Die 19. Jan. Præsidi *Alexandro Carocio*, Jur. Prof. Ord. & h. t. Fctis Juridicæ Decano, paulò antè nobis memorato, Disputatio Inauguralis *de Teste singulari*, pro Licentiâ consequendi gradum Doctoris, publico examini exhibita est à supra dicto *Henrico Christiano Schaffero*, (6. plag. in 4.) Disputationis hujus *Caput Ium* continet *ingressum*, monstrat etiam *quid testis, quid singulare, quid, & quis testis singularis, & ex quibus causis sit; Caput IIum* indigitat, *quotuplex sit testis singularis? Caput IIIum*, *quando, & quatenus probent testes singulares, necne, docet.*

Sub Præsidio *Jo. Frid. Mayeri*, D. Prof. Prim. & h. t. Fctis Theol. Decani, *Ecloga ad Evangelium in Festo Epiphan.* defensa à *Christiano Ernesto Krüll*, Dömicensi Mecklenburgico, superiori anno 1701. mens. Decembri, p. 355. nominato. Disquiritur illâ, (1.) *quomodo Magi affulgentes novâ stellâ colligere potuerint, novum cumq; Magnum Regem natum esse? (2.) Nativitas magnorum hominum ortu novæ stellæ indicata, & stellæ hodegorum officio fungentes? Quæ sententia sit verborum: Et vidimus stellam ejus in Oriente? (4.) De magis, ac quando & unde ad curias Christi accesserint? (5.) De Muneribus, quæ Christo à Magis fuerint oblata.*

Supra laudatus *Jo. Frid. Mayer*, D. mensè Januario iterum ad *Bibliothecam suam* Studiosos publicè invitavit, & Auctores, quos 10. & 14. 19. 21. 26. & 28. mensis modo dicti diebus daturus erat, recensuit. ($\frac{1}{2}$ plag. in 4.)

M. Brandanus Henricus Gebhardi, S. Lingvæ & Theol. Prof. & h. t. Phil. Fac. Decanus, cujus supra meminimus, Præsidis munus sustinens. Respondente *Joach. Christiano Balthasaris*, Gryphiswald. Eruditorum examini submisit Disputationem posteriorem in *Partem primam Zepha-*

niæ. Hac ipsâ, uti & in prioribus factum (vid. N.L. 1701. p. 134. seq. & 166. seq.) sistitur. *Judeus* in Capite II. *Zephania* ἐλεγχθεῖς, ac in Textu, quidem præter ceteros R. *Isaac Abarbanel*, in usu verò, R. *Isaac Ben Abraham*, contra quem asseritur occasione v. 1. *Promissiones Prophetarum ad Judæos non pertinere*. v. 2. *Leges Mosaicæ jam dudum esse ablatas, nunquam restituendas*. v. 3.) *Non solam Legem Mosis Sinaiticam, sed & Legem Messie Sioniticam, Judæis fuisse prædicatam*: quod ipse in Cap. XVIIII. XIX. XX, Partis I. *Munimimis sui* negat. ($\frac{1}{2}$ plag. in 4.)

Die 31. Jan. citatus *Johannes Fredericus Mayer* Programmate de *Variis Scripturæ Sacræ Lectionibus*, unde orta, atq; an certitudinem Sacri Codicis ledant & differens, Lectiones Curforias M. *Brandani Henrici Gebhardi*, diebus 23, 24. Januar. instiduas, intimabat. (2 plag. in 4.)

GEDANI.

D. 19. Januar. D. *Samuel Schelguigius* pergebat in *Wigandianis* ex Anabaptismo: disputabatur autem de *Lege, Evangelio, Justificatione, Perfectione, Mortificatione & Ceremoniis Ecclesiasticis*, Respondente *Gabriele Bentero*, Ged. Magnif. Senat. Alumno. (4to. pl. 3 $\frac{1}{2}$.)

Hoc etiam mense edebatur *M. Danielis Gradij*, Lingvæ Græcæ & Hebrææ Prof. *P. Otium Martinale* sive Observationum sacrarum Specimen, in quo de Locis quibusdam Biblicis, à *Luthero* accuratè atq; emphaticè expressis, succinctè differitur. Sub calcem annexa est digressio de Mendis quibusdam, *Luthero* non imputantis. it. πρὸς Ἰουδαίους, brevem continens Recensionem Locorum quorundam, N. T. accuratè itidem atq; emphaticè expressorum. Nam in ipso Tractatu non proponuntur, nisi loca σὺμμικτα ex V. T. (8. plag. 5.)

THORVNII.

Præside *M. Georgio Wendio*, Gymnasij Thorun. Rectore & Prof. P., superiori anno 1701. ad finem vergente, *Gotbafredus Citner* / Ravicensis Polonus, curiosis Antiquitatum æstimatoribus expendendum proposuit, *utrum parta per Christum generis humani salus Augusti Imp. Nummis expressa olim fuerit nec ne?* Quæ Dissertatione, post præmissum Capitulum prius cataſceuaſticum, capitulo posteriori anasceuaſticò varii circa salutem Augusti Nummariam commisi errores expenduntur, & qui-

& quidem 1. circa Scopum Augusti, 2. circa Chronologiam, 3. circa Pacis symbolum, 4. circa figurarum in aversâ enodationem, 5. circa Religionem, & 6. circa rationem statûs Augusti. (I $\frac{1}{2}$ plag. in 4.)

Eodem Præside *D. Johannis Nicolai Misleri*, Gießens. Prof. P. Theologiae Thetico-Polemica Disputatio quarta, de *Æterno Dei Patris Filio*, d. 12. Octob. 1701. ventilata fuit, Respondente *Ulrico Tross*/ Neo - Sedinensi Pomeranò. (1 plag. in 8.)

Johannes Rezik, Gymnasij Thoruniensis Prof. P. & Visitator, die 15. Novemb. 1701. Actum Oratorium exhibuit, quo, præmissâ de *Re-rum vicissitudine* Prolusione, *quam infelices reddiderit saepe Viros ultra communem Spheram mortalium evectos Fortuna*, sex Dissertationibus fuit expositum. Et 1. quidem docuit, quam infida sit Principibus fortuna; 2. quam infida sit Principum Ministris; 3. quam inimica fuerit Patribus Ecclesiæ, & quam infesta sit Pastoribus; 4. quam sæviat in Consules; 5. quantopere illudat Philosophis; & 6. quam hostili animo oppugnet Oratores.

Eodem die humanis rebus ereptus fuit *Wenceslaus Johannides*, Gymnasij Thoruniensis Professor & Visitator per 26. annos præclare meritus.

Idem fatum subiit *Petrus Schönwald*/ Ecclesiastes apud Thoruni-ses Neapolitanus per 45. annos fidelissimus, die 21. Novembris improvisâ apoplexiâ legibus mortalitatis solutus.

Sequenti 23. & 25. Novembris nonnulli Gymnasij Thoruniensis Alu-mni *Drama Scenicum* exhibuerunt, *Arthuri Britannici Ludos Eqve-stres* proponens; invitatis Schediasmate vernaculo Spectatoribus, cui titulus: Die beglückte Jugend-und Ritter-Spiele König Artus in Groß-Britannien / erkühnete sich / bey Gelegenheit des renovirten so genandren Artus-Hofes / und auf demselben befindlicher Schau-Bühne der hochlöbl. Brüderschafft besagten Orts / und sämeltichen Rauffmannschafft gemeiner Stadt Thorn zu Wehrung / in einem Theatralisch Actu, durch aller-hand so wohl freye / als gebundene Reden / den 23. und 25. Novembr. des 1701stē Jahrs / vorzustellen / die am Gymnasio daselbst studirende Jugend.

Eodem die 23. Novemb. Præside paullò ante dictò *M. Georgio Wendo*, Rectore & Prof. P. *Johannes Caspar Weickert*/ Maria-Infulanus, di-

sputavit de Quæstione; *Vtrum Christus Augusto Imp. cognitus olim fuerit nec ne?* & Capite priori catastceuatico (1.) Argumenta præposuit, quibus Augustum in notitiam Christi penetrare potuisse, probari solet; à Carminibus scilicet Sibyllinis, ab Oraculo Delphico, & à Tabulis censualibus, deprointa: (2.) Argumenta, quibus eum reapse quosq; penetrasse in notitiam Christi evinci solet; ab Arâ scilicet Augusti, a repudio Dominici tituli, & à singulari erga Judæos favore, accersita. Quibus argumentis Capite posteriori anastceuatico respondit, indeq; confecit, Imp. Augustum aut nullam, aut nominalem solummodo Christi notitiam habuisse. (1½ plag. in 4.

REGIOMONTI.

Circa finem anni elapsi M. *Michael Schreiber* / Eloquentiæ & Historiarum Profess. Publi. Ordinar. nec non Bibliothecarius in funere *Henrici Falcken* / Senatoris Lœbnicensis Programma germanicum evulgavit; cuius titulus: *Der hitzlichsch gesinnete Falcke.* (1. plag.)

Eodem Directore, in *Augustissime Sophia Charlotta, Regine in Borussia* diem natalem, orationem habuit gratulatoriam *Fridericus Wilhelmus* à Lüttwitz, Nobilis Borusf. (5. plag.)

Programma præcesserat invitorium ad hunc actum (1. plag.)

Idem peroravit in solennissimâ *renunciatione Rectoris Magnificentissimi, Serenissimi atq; Excelsissimi Friderici Wilhelmi, Regni in Borussia Heredis* &c. &c.

Programma invitorium præcesserat, continens Regis Rescriptum, & *Magnificentissimi* literæ hanc rem concernentes.

Exstat quoq; Programma in memoriam M. *Danielis Martini*, Scholæ Palæopolitanae Rectoris, subitaneâ morte extincti. Thema sistit *comparationem beati Viri cum Daniele Prophetâ* (1. plag.)

Die 10. Januar. 1702. Promotio Magisterialis *Johannis Gottsched* / Medicinæ D. hujus Extraordinarii, Physices Ordinarii Professoris, nec non Regiæ Scientiarum societatis membri, celebrata, præviâ oratione, quæ *Conradi Tiberii à Wallenrodt*, Generalis Ordinis Teutonici Magistri 21. vindicias proponit.

Die 19. Januar. Eodem dirigente *Natalem Regni Borussiae secundum* commendavit *Fridericus Emanuel* à Froben Nobilis Borusf. Oratione habitâ *de Mirabilibus regni borusfiaci* (4. plag.)

Cui viam stravit Programmata *de antiquo more celebrandi natales regnorum* (1. plag.)

Die 20. Januar. in Obitum *Jacobi Rundsied* / Pastoris Bladiavienſis ipsa vigilia natiuitatis Dominice defuncti Programmata germanicum publicatum est hoc titulo: *Lezte Weynachts-Predigt / welche derſelbe Mann mit verſchloſſenen Lippen gehalten* (1. plag.)

Nec non aliud Programmata germanicum exſtat in funere *Jacobi Raniſch* Pro-Conſulis Lœbnicenſis, *de juſtitiâ capite recondito in tranſibus depictâ*; quod Hieroglyphicum legitur in Cœli Auguſtini Curion lib. I. Hieroglyph. c. 46. Titulus teutonicus hic eſt: *Das unter den Wolcken verſteckte Haupt der Gerechtigkeit.* (2. plag.)

Die 31. Januar. Programmata latinum funeri *Chriſtiani Bernhardi Kalau*, L. L. Studioſi è dicto Periculis: *Iuuentutem ex Urbe ſublata eſſe ver ex orbe ſublata eſt.*

Menſe corrente M. *Michael Hoynovius*, hæcenus Scholæ Lœbnicenſis, nuper verò Palæopolitane Reſtor vocatus, Exercitationem Philologicam ſecundam *de Nomine Jeſu* publicè defendit, Reſpondente *Bartholomæo Andree*, Johannisburg Pruſſo, S. S. Theologiæ & Philoſophiæ Studioſo.

Deniq; M. *Arnoldus Henricus Sahme*, Regiomont. Pruſſ. de *Imaginibus Principum*, von Fürſtlichen Bildniſſen / Reſpondente fratre germano *Reinholdo Friderico Sahme*, Regiomont. Pruſſ.

Et M. *Fridericus Stadlender* / Regiomont. Pruſſ. de *requisitis ad virtutum Moralium acquiſitionem neceſſariis*, Reſpondente *Ludovico Bœhm*, ad templum S. Juthæ, Pruſſ. diſputarunt.

RIGÆ.

Prodiit Tractatus in 4. ſub titulo: *Vorrah Teuſch und Eurländiſchen Gewitter-Hiſtorie*, durch die wahre natürliche Aſtrologie bewehret / nemlich / wie es in dem ganzen Seculo von an. 1600. biß 1700. jährlich von einen Jahres Viertel / zum andern / Winter / Frühling / Sommer / Herbit / theils in Teuſchland / theils in Eurland / nach dem Aſtrologiſchen Fundament gewittert. Zuſammen getragen / und Taſſelweiſe aufgeſetzt durch Mag. *Georgium Krüger*, Prediger an der Barau in Eurland / und Fürſt. Aſtronomum daſelbſt.

BER.

Sub finem superioris anni 1701. *Dorothea Engelbrechtia*, celebris Poëtria, jam aliquoties nobis in his Novis Literariis memorata, geminum *Carmen* vernaculum edidit, alterum glorioſæ memoriæ beatiffimi Regis CHRISTIANI V. alterum unctiōni auguſtiſſimi ſucceſſoris FRIDERICI IV. ſacrum, Hafniæ typis impreſſum. (4. plag. in fol.)

MALMOGIE.

D. Joh. Jacob. Döbelij, de menſibus præcociſus diſquiſitio, occasione ſanguinis per genitalia fluxûs in puella duorum & dimidii annorum.

Virgunculæ, cui à tertio menſe ad medium annum, album fluxiſſe, olim narraſi, in Literariis Veſtris & Rubrô notari debet, quod d. 20. Octobris Autumni præterlapſi, quò duos cum dimidio compleverat annos, ſanguis eadem emanaret viâ. Nullô verò, præter Variolas à contagio, unquam laboravit morbo; quin imò, ipſò cruentationis hujus die omnes corporis facultates vigeant, ut ut facies pallesceret, quæ tamen decoloratio nihil omninò portendere credebatur, donec circa ingreſſum lecti Rubrica induſſi indicaret, quod faciei pallor indicare voluit. Attendant hanc ætatem, qui à ſencinis particula, ſanguineæ maffæ commiſta, ſanguinis per genitalia evacuationem deducunt. Moveant ſidera, quibus à Lunæ motu ſanguinis per has partes motus excitari ſtatuitur. Equidem ipſe præſentem hiftoriam menſtrui titulo inſcribere nolui, cum ab eo tempore aliam non fuerit paſſa, multo minus periodicam purgationem; interim tamen, ſi ad eam accuratè, nominis menſtrui rigore, menſtruationis circulum metiri oporteat, etiam menſium ſic dictorum vel in ſano indiviſuo irregularitas aliam cauſam indigitare videtur, ac perſvadere, vel in adultis non à Lunæ motu regulari & influxu menſes cieri, adeoq; nominis vim expirare. Rem contra omnem à partium conſtitutione & fermentativo quodam motu, nunc citiùs, nunc autem ſero nimis ſanguinem vel per hanc vel per illam viam ad exitum præparante dependere, ex præmaturorum & ſerotinorum menſium circumſtantiis, aliſq; anomalis certo concludi poſſe, ſum perſuafus. Ut enim omni ætate ac tempore ab auctiori motu inteſtino, ſanguis concitatus, muſti adinſtat fermentantis, vaſis ſui rimas penetrat; ita quoq; pro partium robore ac imbecillitate nunc per fauces, nunc per nares, oculos & genitales partes exitum quærit, ubi vaſorum oſcula ſunt laxiora, partium tonus depravatus,

tus, vel, ut stylô utar Helmontiano, robur partis alicujus inæquale furientis Archei impetum sustinere diu nequit. Confirmat hanc theoriam partim plethorica Virgunculæ nostræ constitutio, quæ motibus ejusmodi frequentius tentatur, partim verò albus fluor, quò jam olim generales partes præ cœteris & præsertim mollior vaginæ compages labefactatæ fuerunt. *Ex hoc autem sanguinis per genit alia fluxu quid prædicari potest ac debet?* Præcocem sanguinis fluxum robori multum ac futuræ valetudini detrahere, celeberrimus Pechlinus peculiari observatione, in Boneti Med. sept. repetita & affirmat, & adductis exemplis illustrat. Cum enim vitium in iis naturæ subsit, dum vasa non tam à sanguinis abundantis motu fortiori, quàm ab acrimonia ejusdem aperiantur, vel potius erodantur ac exulcerentur, triste futuris annis ex tali extravasatione nascitur omen, quod œconomia laudabili nutrimento, indeque justo incremento destitutum, indies extenuetur ac marcescat. Sed verò, in quibus, ceu in nostra, cachexiæ nulla adest nota, sed solà quantitate prorumpit sanguis, quin & partes benefico, ut ut raro naturæ motu fuerunt præparatæ, fluxus talis non nisi proficiuus pronuntiandus, qui venæ sectionis ad instar revulsoriæ à gravioribus partes nobiliores liberavit morbis. Denique, cum Virginum sanguis cum vegetabilium flore hoc habeat commune, quod sui præsentia certam fructus spem faciat, unde & menstrua diè Blume vocantur, non adeò intempestivè hic disquiritur: *num tales criticè menstruales virguncula ad generationis negotium naturâ sint aptiores, sicut, reliquis maturiores?* Speciem enim perfectiones ipsæ indicant, perficiunturque ab affluente continuo sanguine genitalia, copiosius nutrimentum recipientia, rejectis simul inde, quæ obstructionem vel morbum quæcumque pariant recrementis. Statuendum ergò omnino, quod, cum partes citius in iis requisitam adipiscantur constitutionem, & præ aliis aliquali gaudeant prærogativa, qua Lucinæ opem maturius efflagitare liceat. Corroborat hanc sententiam, quod D. Ledelius in literis ad D. Elsnerum de femina, ex generosa familia oriunda refert, cui decimò ætatis annò menses coeperunt fluere, quæque fuit salacissima, annòque duodecimò maritale subiit capistrum. Et cum Olearius in itinerarii præloquio, contra Vossium à Mendacii suspitione vindicet historiam, quam à Mandelslo Itiner. Orient. lib. I. cap. 39. de puella annotavit Indica, quæ finitò annò tertio menstruatim cruentata, sexto ætatis annò peperit, illam Coronidis loco apposuisse lubet.

Circa superioris anni finem publicæ eruditorum censuræ subjectæ sunt disputationes sequentes:

1. Præside *Clementæ Jesso*, Respondente *Birnone Christiano Drachardo; de Salaris Clericorum*, sex prioribus post Christum seculis. (2. plag. in 4.)
2. Sub umbone *Petri Kraglund* Respondente *Andræa Lachman*, *De trinâ terra injectione super mortuos*. (3 $\frac{1}{2}$ plag. in 4.)
3. Præsidem habuit *Eliam Heltium*, Respondentem verò *Janum Vindfontanum, de Somnio Uxoris Pilati*, occasione loci Matth. 27. v. 19. (3. plag. in 4.)
4. Sub Præsidio *Johannis Matthiæ Hamerici*, Respondente *Paulo Christiano Boldichio, De Stigmatibus Christi in Corpore Pauli*, ex Epist. ad Gal. 6. (4. plag. in 4.)
5. Præside *Christiano Skoubæ*, & Respondente *Petro Jani Meelbye, De Satyræ Origine*, (2. plag. in 4.)

SVNDERBVRGI.

In *Novis Literariis* anni 1799. Mensè Novemb. p. 347. spem fecimus, *M. Petrum Brandt* Ecclesiasten Sunderburgensem & Ministerii ibidem Seniore, editurum Dissertationem Theologicam *de Passionibus Corporis Christi mystici, ad Locum Coloss. I, 24*. Ea superiori anno 1701. exeunte typis Jenensibus prodit, præter exegeticum Loci Paullini Gal. VI, 17. præfamen, tribus Sectionibus constans, quarum I. Philologica est; II. Analytin Logicam exhibet; & III. Porismata complectitur, quæ ita habent: 1. Gloriosum est pro Ecclesiâ pati. 2. Multa Ecclesiæ Ministris toleranda pro doctrinâ Evangelij propagandâ. 3. Ecclesiæ Ministri Exemplaria esse debent Auditoribus suis. 4. Etiam quisq; Fidelis tenetur supplere reliquias Passionis Christi. 5. Crux Christianorum passiones. 6. Ecclesia, quæ est Corpus Christi, non est quærenda in amplitudine & splendore, sed passionibus Christi. 7. Non adimpletur Christi Passio satisfactionibus & operibus supererogationis Pontificiis. (6. plag. in 4.)

KILONII.

Die 4. Januar. Præside *Christophoro Franckio*, S. Theol. Doct. & Professore, Serenissimi Ducis Slesvici ac Holsatiæ &c. Pro-Cancellario, inq;

supre-

supremo Senatu ecclesiastico Consiliario, h.t. Academiae Pro-Rectoris, Gottlieb Wäpfe / Fridlandia-Megapolitanus, disputatione Theologica *Communionem sub utraq. Specie*, (7. plag. in 4.) §. 1. hujus disputationis loco prooemii Cardinem controversiae inter nos & pontificios monstrat. §. 2. Pro nostrâ sententiâ stabiliendâ invictum è verbis institutionis argumentum depromit. §. 3. 4. 5. 6. 7. Ad distinctionem Becani inter institutionem divinam & præceptum divinum, respondet. §. 8. Novam exceptionem ejusdè adversarii, verbis Christi *bibite ex hoc omnes*. Matth. 26. hunc sensum obtudentis: ac si non omnibus absolutè hominibus, sed præsentibus duntaxat Apostolis, dicta illa fuerint; de novo infringit. §. 9. Locum 1. Cor. III. v. 24. 25. ab adversario distortum, strenuè vindicat. Hoc facto Auctor Scripturam per scripturam explicans, §§. sequentibus conclusiones ejus, v. gr. §. 12. seq. *Christus instituit Eucharistiam sub utraq. specie, non tamen precepit omnibus usum utriusq. speciei*. §. 14. seq. *Christus usum unius speciei & verbis & facto comprobavit*. §. 18. seq. *Tempore Apostolorum usurpata fuit una species*. §. 23. *Post tempora Apostolorum fuit una species in usu*. §. 24. *Sub una specie non minus continetur totus Christus, quàm sub utraq.* §. 28. seq. *Ex unâ specie non minor fructus percipitur, quàm ex utraq.* §. 33. *Possunt esse legitima causa, cur potius sub unâ, quàm sub utraq. Laici communicent*. Et denique §. 37. *Ecclesia legitime statuit, uti laici communicent sub unâ specie*. Macule refutat.

Juris Cultores in nuce quasi habent Historiam Juris Universalem, sub titulo D. Samuel Keyhers / J. C. Vey der Hochfürstl. Hofsteinschen Universität Juris und Mathematicum Professoris Publici. *Kurzgefasste allgemeine Rechts-Geschichte*. (5. plag. in 8.)

Job. Ludov. Hannemanni D. & P. P. Observatio de Venâ sponte ruptâ in genâ Virginis.

Mirum casum hac vice commemorem, omittere non possum. Quippe die 9 Julij circa horam 4. pomeridianam ad me consultum accedit Virgo, hujus nostræ urbis Kilia, hæc narrat, quod ipsi die 7. hujus mensis in platea suorum negotiorû causâ obambulanti sponte vena in genâ sinistra fuerit rupta, ex quâ tres integras horas largâ copiâ depluit sanguis, qui & prius sisti, quàm hæmatite admoto, non potuit. Quare autem mirum appellem, jam patebit, id enim genus casus ab aliis magni nominis viris

via

vix notati & observati sunt; jam enim tribus ante septimanis venæ sectionem passa, paulloq; ante tributum Lunæ, & sat magnâ abundantia solverat.

D. Job. Jac. Stolterfothi Scholion ad hanc observationem vide in mense precedenti Jan. pag. 25.

HAMBVRGI.

Johannis Schulze | Johannei Hamburgensis Rector, edidit *Anatomen Philosophicam, sive, Disquisitiones M. T. Ciceronis Paradoxorum*, quæ, sub illo nomine, sex proponuntur. Illæ pro exercenda juventute scholasticâ, in Johanneo Hamburgensi, ab Auctore sunt institutæ, *Benjaminis Schilleri* sumtibus autem impressæ, (3 $\frac{1}{2}$ plag. in 12.) *Anatomen Philosophicam M. T. Ciceronis* librorum *de Officiis Hominum*, ab eodem auctore adornatam, vid. in N. L. 1701. p. 190.

Impensis ejusdem *Schilleri* hoc ipso anno recusæ sunt *P. Fausti Andrelini*, Forolivienfis, Poëtæ Laureati atq; Oratoris, *Epistola Proverbiales & Morales*, longè lepidissimæ, nec minus sententiosæ, (numero 9.) post exemplar *Coloniense*. Anno 1509. & *Helmstadii* anno 1662. impressum. (2. plag. in 12.) Harum Epistolarum argumenta subjicere placet, *Imæ* summa hæc est: *Quod hæctenus in producendo tantum insudaverit Auctor; nunc demum solutam orationem aggrediatur. IIIdæ, Amico reconciliato, aut raro, aut nunquam fidendum. IIIIa, Quod Æneas non ab omnibus intelligatur, dubiam habens cum Iliæ de palmam. IVta Non esse antiquatis obliteratisq; verbis utendum. Vta. Non habendum esse cum faminâ commercium. VIta, Temporis jacturâ nihil esse neq; perniciosius, neq; detestalius. VIIta, Quod pueri ab optimo præceptore candidis tum literis, tum moribus, sine imbuendi. VIIIta, Labores otio anteponendos. IXta, Quod ideo epistolas scribat, adagiis scæntes, quod ille paucis magna, & moralia, complectantur.* Sub calcem hujus iteratæ editionis adjectus est etiam *elenchus scriptorum tum Veterum, tum recentiorum*, qui Adagia Græca & latina exposuerunt. Veteres: *Collectio proverbiorum Lucilli Tarrhai, & Didymi*, Græcè edita ab Aldo 1505. (fol.) cum fabulis Æsopi aliisq;

Zenobii Compendium veterum proverbiorum ex Tarrhæo & Didymo collectum, edente Vincentio Oloppco, Haganoæ, 1535. (in 8vo.)

Adagia Græcorum ex *Zenobio* seu *Zenodoto Diogeniano*, & *Suida* collectaneis, cum appendice Vaticanâ. *Proverbia* item *metrica Græcè & Latinè* cum notis *Andræ Schotti*, Antwerp. 1612. (4to.)

Michaëlis Apostolij Proverbiorum Epitome, Basil. 1539. (in 8vo) Græcè.

Michaëlis Apostolij proverbialia, Græcè & Latinè cum notis *Petri Pantiæni*, Lugd. Bat. 619. (4.)

Georgij Cyprii proverbialia Græcè ad calcem *Apostolij*, p. 273. seq.

Recentiores.

Præter *Cælium Rhodiginum*, *Alexandrum* ab *Alexandro*, *Andr. Turnebum* aliosque, qui obiter & non ad eò magno numero, adagia in suis scriptis exposuerunt. Memorandi cum primis:

Desiderius Erasmus in IV. Chiliadibus & sesquicenturia Adagiorum, quæ in compendium missa sunt à *Job. Vlpio*, castigata quibusdam locis ab *Henrico Stephano*, *Paulo Leopardo*, &c.

Polydorus Virgilius, cujus adagia subsistunt intra numerum ducentarum.

Johannes Alexander Brasicensis.

Adrianus Junius, cujus extant Adagiorum Centuriæ VIII.

Gilbertus Cognatus.

Petrus Godofredus, & *Guil. Gentius.*

Carolus Bovillus.

Melchior Neipeus, cujus non minus ac præcedentium adagia in locos communes digesta junctim prodire, Hanov. 617. 643.

Job. Antonii Berlucij Adagia selecta, Genev. 1632. in 8o.

Aloysij Novarini Adagia ex Patribus collecta. Lugd. 937. Veron. 651. 2. Volum. (in folio.)

De scriptoribus Adagiorum Biblicorum, & à quibus aliarum linguarum proverbialia exponuntur, videndus *Morhofius* lib. I. Polyhistoris c. 21.

Idem anni currentis primordium Theologis dedit Editionem novissimam & correctissimam *Harmonia quatuor Evangelistarum*, à magni nominis Triumviris *D. Martino Chemnitio*. *D. Polycarpo Lysero* & *D. Johanne Gerhardo* adornatæ, eamque perfectam, iusto Commentario illustratam, indicibusque variis ac accessariis ornatam.

Homiletices studiosis tradidit concionem *Johannis Winckleri*, Pastoris

storis ac Reverendi Ministerii Senioris, sub titulo: *Heilsamte Bewegungs-Gründe/ sich von den Lüsten dieser Welt/ insonderheit der Hurerey zu enthalten/ zu ererben den Segen des HErrn in dem neuen Jahre/ der Christlichen Gemeinde zu S. Michaelis aus dem Evangelio am Jesu der Beschneidung Christi fürgestellt.*

Curiosi naturæ Observatores habent quod rimentur, in libello *Matthæi Slüteri* J. V. D. cujus mentio facta mense Aprili 1700. pag. 123. & alibi, sub titulo teutonico, *Aspecten-Zeiger über das 1702. Jahr: Same zu Ende bengefügtem vorhin heraus gekommenen Aspecten-Zeiger/ aus dessen Vorrede die der Stern-Kunst sonst unerfahrne/ auch Ungelehrte erlernen können/ wie man sich des Aspecten-Zeigers bedienen/ und vom Gewitter vorher urtheilen könne.* (3. plag. in 80.)

In præfatione succinctâ ad lectorem tum superioris anni tempestates & tempestatum causas examinat; tum currentis faciem procellis ac tonitribus mense Majo minacem fore, ex conjunctione magnâ Saturni & Jovis ominatur. In calce observationem Astrologorum subnectit: Conjunctionem magnam Saturni & Jovis cometis formidabilem frequenter fuisse; atq; an hoc anno futura sit, curiosis oculis expectandum reliquit.

Poëtarum palato, præcipue recentiorum & liberiorum, non ingrata erunt Carmina teutonica *Menantis*, quorum titulus ita sese habet: *Die edle Bemühung müßiger Stunden/ in Galanten, verliebten/ Sinn-Schertz- und Satyrischen Gedichten* (9. plag. in 8.)

Illis, qui domi securè peregrinari gestiunt, inservit *Georgii Marcelli* Geographia moderna & curiosa *Ubbildung der Erd-Beschreibung/* daraus die Geographie vermittelst einer kurzen und leichten Lehr-Art in weniger Zeit zu erlernen (8. plag. in 80.) Qui plures ingenii fœtus ab hoc auctore desiderat, adire poterit mensẽ Octobr. superioris anni 1701. p. 320, ibidemq; voti sui compos fieri.

Deniq; operâ *Petri Ambrosii Lehmanns/* (qui, ut mense August. 1698. pag. 136. & mense Martio 1701. pag. 104. memoravimus, *Hamburgum literatum* congeffit,) prodiit libellus sub titulo: *Izt-hersehenden Europa 1. Theil/ darinnen aller Christlichen Potentaten/ Kaysers. und Königl. Majestäten/ Geist- und Weltlicher Chur und Fürsten/ auch Grafen des Heil. Römischen Reichs/ Nahmen/ Geburt/ Bedienung/ Residenzen/ Ver-*

Bermählung/ Kinder / Geschwister und Anverwandten/ vorgestellt werden. (21. plag. in 8.) Præfatiuncula præmissa commendat lectori novam hanc editionem, tanquam priori longè accuratiorem, & novissima, quæ, dum sub prælo sudaret opusculum, contingere, brevibus annectit.

Excerptum ex literis Dn. *Casparis Büsingij* Pastoris Cathedralis, ad Collectores Novorum literariorum.

Si desideriorum meorum principem partem explicare Vobis candidè licet, hoc augmenti vellem Novis Vestris Literariis adjectum, (id quod facili fieri negotio posse, arbitror, ob commercium literarum, quod cum Innumeris Eruditorum Septentrionalium Vobis intercedit) ut nempe è Literatorum ibi degentium numero aliquis tunc laborem sibi commendatum haberet, accuratamque Topographiam terræ borealis, Livoniæ videlicet, Curlandiæ, Samogitiæ, Ingridiæ, Finniæ, & imprimis finium Svecicorum, ad mare album, nec non Lapponiæ Russorum, cujus incolæ inter mare album & promontorium septentrionale (vulgò *Nord - Caap*) interjacent, usque ad fluvium Kola seu Kora & Kildum, evulgaret. Non equidem expecto prælixam terrarum istarum delineationem, sed unam atque alteram duntaxat eamque fide dignam in Novis Literariis relationem. Quod enim ad cognitionem Septentrionis attinet, tam sterilis illa mihi, tamque insufficiens videtur, ut vel Indiæ Orientalis atque Occidentalis facies perspectior sit, ac regiones laudatæ, licet viciniore.

LUBECÆ.

*Observatio Medica, ex Litteris Hannoveranis
ad Amicum Lubecensem.*

Stoltenii fabri ferrarii aula nostræ inservientis uxor tenerioris imbecillisque corporis habitus, macilenta cachectica & summe scorbutica, quæ alias graves morbos passa erat, circa Pentecostes festum ægrotare cepit. Causam mali consuetæ ventriculi debilitati pravæque assumtorum concoctioni adscribere maritus & ægra. Constitit insuper ipsam in dicto Pentecostes festo extra urbem lac vaccinum recens bibisse, ab eoque tempore minus recte valuisse.

Exeunte demum Majo ad eandem rogatus accessi, ipsamque sævis abdominis circum umbilicum doloribus intestinorum, spasms variis & angustiis circa præcordia laborare deprehendi. Colicam eamque atrocem satis æmulabatur malum, cum appetitu, uti perhibebant, ab aliquo jam tempore dejecto, nausea, succitate lingvæ, oris amaritie, siti, duritie ab-

dominis, alvo adstricta, aliisque colicam ordinariè comitari solitis symptomatibus. Remedia anticolica, carminantia & uterina, præcipuè pillulæ purgantes ex Aloes extracto, Extr. panchym. Croll. Resin. Scammon. Trochisc. Alhand. & Mercur. dulc. compositæ in officinis nostris sub nomine Polychrestarum notæ, per aliquot dies tam interne quam externe adhibita nec medicantis nec ægræ spem ullatenus fefellerunt. Gravia enim quæ retuli symptomata paulatim remisere, morbusque mitior redditus ægræ ansam dedit per ædes, quamvis haud absque molestia & summa cum debilitate, aliquatenus ambulandi, quocumque appetitus aliquantisper redire visus est.


Ast brevi recruduit morbus, mirumque in modum ægram excruciauit. Multò enim atrociores superioribus supervenere abdominis rosiones & dolores angustiaë molestiaëque circa præcordia vix tolerandæ, vomitus crebri & tædiosi, insignis virium dejectio, & marcor corporis, dudum emaciati sub ictum fere oculi crescens. Plura latentium in intestinis vermium signa deprehendens anthelmintica selecta, quantum ægræ medicamina maximè horrentis fastidium patiebatur, haud absque successu propinavi. Ejecti enim per os (quater vel quinque si rectè meminì) nec non per alvum aliquoties lumbrici haud modicæ longitudinis, absque tamen ullo levamine. Per vomitum ejecta materia nunc limpida & serosa, sæpius fusca, biliosa, aut ad nigrum tendens colorem, nunc alba & puitosa.

Alvus nonnunquam pertinax, dura & adstricta internis externisque remediis variè sollicitanda. Paulò post ventris profluvium diarrhæam æmulans, sed post modicum temporis intervallum rursus evanescens, multoties recurrens. Excreta nunc naturalia nunc præternaturalia. Quo mitiora fuere quibuscumque ægra colluctabatur symptomata, eò magis ad naturalem statum accedere alvi excrementa. Auctis verò diris istis cruciatibus varia præternaturalia, utpote pelliculæ, membranulæ, lumbrici & vermiculi semiputridi & maximam partem consumpti aliaque in conspectum prodire.

Inter tot gravia symptomata parum comedit ægra, nec abundantius, quamvis maximam sæpius pateretur sitim, bibit. Somnus parcus, brevis, interruptus, & turbulentus ob dolores nocte dieque ingruentes. Abdomen nunc tumidum, durum & murmurans, nunc flaccidum, laxum, molle ac naturaliter sese habens. Sæpius in ista ejus regione, per quam

inte-

TAB. II.



Febr. 1702.

intestinum colon fertur, fluctuantis undæ gradientisqve vivi animalis in modum deprehendere licuit motum. Eo durante symptomata multum aucta, anxietates circa præcordia gravissimæ, dolores cardialgici summi, intestinorum permolesti spasmi, sudor algidus, vomitus quandoqve solito vehementior, extremorum frigus pluraq; , quæ mortem minari visa sunt. Pulsus nunc æqualis, magnus, vehemens, nunc inæqualis, parvus & celerimus, nonnunquam intermittens, alias durus & renitens.

Urinam non uniformem, sed variam reddidit, subrubram nempe, rubram, fulvam, luteam, citrinam, fuscam, pallidam & aqueam. Sedimentum quandoq; nullum seu parvum, quandoqve copiosum, lateritium, farinacetum, pituitosum, aut scorbuticorum ac nephriticorum sedimentis simile.

Quantum ægræ medicinam feci (nam multis antè obitum ejus hebdomatibus ipsam non vidi) juxta indicantia symptomata urgentia & ad necessitatis rationem appropriata malo remedia præscripsi, eaqve inter Martialia, Mercurialia, Carminativa, Stomachalia, uterina, Anthelmintica, amara, fixa & volatilia. Nec tamen quicquam potuere efficacissima alias remedia, præcipuè cum, ut dixi, ægra eadem, præ cæteris ingratiore (quæ in hoc casu sæpius adhibenda fuere) naturâ quam maximè horreret, eademqve ob nauseam obortam sæpissimè, quamdiu ipsam vidi, per vomitum rejiceret. Non potuit igitur quin tot tantisque doloribus dirisq; symptomatibus die nocteqve ex hausta fatisceret, ac tandem viribus planè destituta, postquam biduo antè obitum ignotum, suiqve generis animalculum seu vermem per alvum excreverat, debitum naturæ persolveret. Hannoveræ die 22 Decembris. Anno 1701.

Christianus Ludovicus Kotzebuc, Phil. & Med. D.
Medicus Electoralis Brunsvic. & Lüneb.

Descriptio Vermis.

Caput & collum pectusqve equinum ferè habet. Illud verò crista orna- *Tab. II.*
tum. Os (putredine puto corruptum; traditus enim mihi post octo de-
demum hebdomadas à morte foeminæ) invenire non licuit. Oculos, aut
saltem locum ubi oculi fuer, mihi visus sum videre. Caro frequens &
mollis. Ossa etiam mollia ut vix sentiri possint. Pedes non dexter & si-
nister, sed anterior & posterior in medio corpore, uti depicti sunt, & cæ-
tera diversi. Anterior enim ungulas habet tres, illis, quas alaudæ habent,
quoad formam non quoad ossa similes. Posterior equini quid refert & in
extremitate etiam corneum quid & duriusculum ostendit. Interna rima-
ri nolui, quoniam integrum conservare debui.

Fran-

de infernali serpente protoplastarum seductore.

Juliani apostatæ ludos contra Mosis scripta nimium quantum renovavit hodiernorum Atheorum impudentissimus Balthasar Becker circa colloquium serpentis cum Eva in paradiso, super quo multæ inutiles conjecturæ sive quæstiones ab eruditis sunt divulgatæ, *serpentem olim non fuisse talem, qualis fuit in prima creatione, sed homini fuisse, veluti bestiam erectam, admodum familiarem, & in numerâ alia, quæ partim quoque satis ingeniosè sunt excogitata apud Delrium in Genes.* Georgium itidem Schedium *viridarii vernaculi philologici cent. 2. tit. 3. & 7.* Sic Æschatius Maier *in scrutinio ingeniorum c. 10. p. 274. 275.* argutè docet, cur formâ serpentis apparuerit Diabolus protoplastis, columbæ vero Spiritus Sanctus. Quæ sane omnia non impugno, sed commodiore via tamen posse absque ullis scrupulis enodari statuo, si circumstantias temporis atque ipsius biblici textus penitus lustramus. Enimvero Moses quia Diabolum indignum deputavit cujus vel nomen infereretur suo pentateucho, quemadmodum nec nomina magorum Ægyptiorum *Iannis & Iambris* expressit Exodi 7. v. 11. quod tamen fecit postea Apostolus 2. Tim. 3. v. 8. Sic aptiorem suo proposito bestiam invenire non potuit, sub cujus larva astutiam diabolicam pari eademque mortifera malitia junctam adumbraret ac virulentum serpentem. Inseruit itaque nomen serpentis qualis tunc temporis horrore erat mortalibus, *ut fraudulenta Demonis malitia facilius homini innotesceret juxta Aug. l. 11. de Genes. ad lit. c. 3.* serpunt enim vario multiplicique flexu ac totius hinc corporis impulsu horribiles, dum erecto collo, tumida cervice, ardentibus oculis, sibilis venenatis terrent mortales & vel solo afflatu occidunt nondum invadentes. Si igitur cum Apostolo Diabolum denotamus, quem cum Mose similiter serpentem nominat 2. Cor. 11. v. 3. & v. 14. *Ipsè transfigurat se Satanâs in Angelum lucis,* nulla nos necessitas cogit, ut statuamus forma serpentis allocutum esse protoplastas, cujus propositum paucissimis tantum Moses attingit verbis, quomodo seduxerit à veritate Evam in mendacium. Neque repugnet bonitati Dei, si venenatas adhuc toleret beluas, quia putridos halitus ex ære at trahunt atque terra, cui maledixit Dominus, quos vapores simul ac haurit homo, sanguis ei quasi congeliat ob frigiditatem veneni nimiam & eate nus concretionè spisso moriendum est. Difficultatem in pœna-
repe-

repetita diaboli ad serpentem: *Quia fecisti hoc, maledictus tu præ omni animali & præ omni bestia agri, super ventrem tuum gradieris & pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ, solvere videtur sive declarare S. Johannes Apoc. 12. v. 9. projectus est draco ille magnus serpens antiquus qui vocatur diabolus & Satanas, qui seducit univèrsam orbem & projectus est in terram & angeli ejus cum eò misi sunt, id quod de mundanis & terrena unicè captantibus egregiè exponit Luifius ab Alcazar pag. 652. & 653. Sanctus item Paulus Phil. 3. v. 19. ubi ventri suo litantes imò adorantes istos super terram serpentes appellat, appositâ similitudine Israëliitarum, cum manna contemnerent, à serpentibus ignitis vulneratorum Num. 17. v. 6. de quo Seidelius in rudimentis philosophiæ naturalis l. 2. p. 530. 531. Serpens præcipuè nascitur pulvere terræ, comedit enim venenosas carnes & herbas & quo venenosiora comederit, eò venenosior est ejus morsus. Ad hunc casum cum damnatus sit Diabolus cum Angelis suis, recte Deus Regem Babylonis cum illo comparat Isaia 14. v. 12. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* apud Joh. Tarnovium *Exerc. bibl.* p. 206. Et quia Gerhardus sequentia: *Inimicitiam ponam inter te & mulierem:* cum omnibus Theologis ad solum Diabolum applicat, licet etiam naturaliter horreat homo serpentem, cur prioribus nec similiter Diaboli damnatam intelligeremus malitiam, sub angvis (quo nullum nocentius animal in terra apud orientales præsertim gentes invenitur) nomine ac draconum virulentis technis atq; infestationibus descriptam?*

Cum die 22. Februar. superioris anni *Adolphus Matthaus Rodde*, J. V. L. Secretarius & Protonotarius, ordini Senatorio nomen dedisset, (ut mense Martio 1701. p. 94. notavimus) inq; locum ipsius *Joachimus Lüderus Carstens*, antehac Secretarius, post Protonotarius, successus esset, vices utriusq; circa anni currentis primordium suppleverunt.

1. *Thomas Fridericus Carstens*, qui, postquam Academia Celeberrimas, Regiomontanam videlicet, Rostochiensis & Francofurtensium adiisset, studiisq; ibidem strenue incubisset, ad majora paulatim tendens, sub Comite Bielkio Auditoris partes (Gallis Auditeur Charge) tam cupidè quàm feliciter suscepit; quam Spartam cum aliquandiu laudabiliter ornasset, filiorum modo dicti Comitis Ephorus comesq; itineris per Germaniam, Galliam & Bataviam factus est.

2. *Henricus Baleman*, J. V. L. qui Altorfii literis imbutus, sub Præsidio

sidio *Johannis Christophori Donaueri*, J.V.D. nunc Consilarii Nassovio-Sigenfis & Reip. Nordlingensis 1698. de *literis dimissoriis* (von *Ab-schieds-Brieffen*) publicè disputavit. Post Italis Saxonum studiorum cursum profecutus est, & Itineribus per Germaniam, Italiam, Galliam, Bataviam, non sine fructu confectis Gröningæ pro Grade obtinendo, de *Jure interpellationis* (vom *Annahnungs-Recht*) disseruit.



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Martio MDCCII.

ROSTOCHII.

Die 4. Febr. habita Dissertatio de *Scepticūmi Ortus & Progressu*, Præside *M. Henrico Ascanio Engelsen* / Autore & Respondente *Johanne Eberhardo Udam*, Revaliâ Livonno (5½ plag. in 4to) Proœmium ab epiphonemate Polycarpi, *Deus bone, in qua tempora me reservasti!* mutuatum, sequitur ipsa Dissertatio, binas sistens sectiones, quarum prior *historiam Scepticisimi, prout ea à Gassendo exhibitâ est*, examinat. Posterior verò Historiam ejus genuinam pariter ac naturam ob oculos ponit.

§. 1. Sect. I. Dividit Scepticismum in generalem & specialem, seu universalem ac particularem. 2. Versutiam Scepticorum, falsam ut plurimum familiæ suæ pertextentium historiam, notat, §. 3. seqq. Gassendi argumenta pro stabilendo scepticismo & adducere & infringere strenue laborant.

§. 1. Sect. II. Scepticisimi onomatologiam 2. Scepticorum differentiam paucis attingit. 3. De particulari agit Scepticismo, hâc scilicet methodo, ut breviter observet, invasisse hoc venenum ipsa Theologiæ sacraria æque ac Philosophiæ adyta. 4. Universalem lustrans Scepticismum, affectus ejus, 5. naturam, finem, modum &c. graphicè depingunt. §. 6. Ex sententiâ nostratium scepticisimi ortum diabolo adscribit, simulque scepticorum subtiliorum Catalogum communicat. §§. sequentes usque ad II. inclusivè, eandem telam pertextere satagunt. Denique 12. causam ortus atque progressus investigare, 13. Nonnullos, scepticorum nomine injuriâ insignitos, vindicare, 14. Oppugnatores sententiæ pestiferæ varios recensere, masculè desudant.

Die 7. ejusdem mensis *Johannes Barnstorffius*, V. J. D. ejusdemque Professor Ordinarius ac p. t. Rector, Memoriam *Johannis Christophori Hauwedelii*, Viri, dum viveret, ob juris peritiam celeberrimi, Supremi Terrarum Mecklenburgicarum judicii, quod Parchumi est, per integros 34. annos Vice præsidis gravissimi, Programme publico, (3. plag. in 4to.) recoluit, ita quidem, ut beatè Defuncti Originem, qui anno scilicet 1618. natus est Patre *Cunrado Hauwedelio*, Jcto, multorumque Imperii Principum & Statuum in Ducatibus Franconiæ & Sæviæ Consiliario, studiorum porro atque itinerum seriem, Conjugii initi fertilitatem, functionum feliciter susceptarum varietatem ac eminentiam, mortis denique 83. ætatis anno, tam placidæ quàm beatæ faciem ob oculos poneret.

Idem mensis eruditorum manibus programma invitatorium tradidit è calamo jam dicti *Johannis Barnstorffii* ad exequias *Henrici Ernesti de Cramm*, Equitis Megapolensis, Sacræ Theologiæ studiosissimi (1½ plag. in 4to.)

M. Carolus Arndius, Gustr. Meckl. evulgavit Scriptum sub titulo: *Schediasmata Bibliotheca Græcæ Difficilioris*, seu Notitiæ Historico-Literariæ Veterum Autorum Græcorum, quorum scripta vel mutila, vel dubia, vel spuria, vel genuina, sed pauca & rara, ad nos pervenerunt, quatuor Scriptores Græcos rariores, *Phalaridem*, *Antonium Imp.*, *Agapetum*, & *Basilium Imp.*, representantia, & in gratiam Scholarum, Scholarumque Moderatorum & aliorum *Φιλαρχαίων* composita. Rostochii, Typis *Johannis Wepplingii*, 1702. (4. plag. in 4.)

Prodromus est operis Historico-literarii, descripturi Auctores profanos difficiliores h. e. quorum reliquæ imperfectæ ad nos pervenerunt, quoad vitæ compendia, Scriptorum fragmenta, & Doctorum judicia.

Continet. (1.) Epistolam FECHTII, quæ judicium suum exponit de opere jamjam insinuato.

(2.) Proë-

- (2.) Proœmium quod partim remissive aperit subsidium Notitiæ Historico-literariæ Autorum profanorum Græcorum & Latinorū faciliorem h. e. quorum vita & scripta supersunt; partim Methodum quâ adornandus est recensio Autorum profanorum difficiliorum h. e. quorum vita & scripta non supersunt.
- (3.) Opusculum ipsum specimina quatuor representans. (1.) in Phalaride Tyranno, cujus Vita contracta; Scripta cum editionibus illustrioribus & controversiis novis atque novissimis circa eadem exortis, denique Eruditorum judicium antiqva & recentiora proponuntur: (2.) in M. Q. Antonino Imp. Rom. cujus Vita nervosa, Scripta spuria & genuina cum editionibus, judicium item Eruditorum recensentur selectiora: (3.) in Agapeto Diacono, cujus Vita compendiaria, Scripta Regia admonitoria, & Doctorum judicium breviter deducuntur. (4.) in Basilio Macedone Imp. Rom. cujus Vita concisa, Monita relicta regia, & Eruditorum judicium summatim explicantur.
- (4.) Syllabum Manuscriptorum quæ ad usum Reipubl. literariæ in Scribentis Autoris privatis latent.
- (5.) Additamentum de Subsidiis Antiquioribus selectis ad conscribendam Historiam literariam Autorum profanorum difficiliorum necessariis, Philosophis, Historicis, Rhetoribus, Medicis, Philologis, Grammaticis & Theologis.
- (6.) Judicium Michaelis Neandri, Philologi suo tempore incomparabilis, de Adagiis Erasmi operâ editis, divinum profus & admirabile.

GRYPHYSWALDÆ

D. Jo. Frid. Mayer, Consiliarius Regius & Ducalis, S. Theol. Profes. Primarius, Vniversitatis Gryphicæ Pro-Cancellarius, Regii Consistorii Præses, & Pomeraniæ Ci-

terioris, ut & Ruziæ Superintendens Generalis, h. t. Academiae Rector, Dissertatione habitâ de *Psalterio Mariae* ad Disputationem Inauguralem *M. Brandani Henrici Gebhardi* viam sternebat. (1½ plag. in 4.)

Stratam cum applausu eruditorum ornabat *M. Brandanus Henricus Gebhardi succinctâ exegefi Psalmi primi & secundi*, unâ cum annexis usibus elenchticis, & quidem sub Præsidio *D. Johannis Friderici Mayeri*, pro licentiâ adeundi Doctorales in Theologiâ honores, exhibitâ ac ventilatâ. (2. plag. in 4.)

Dictus *D. Johannes Fridericus Mayerus*, ad lectiones cursorias *M. Lucae Schræderi*, Güstrov. Mecklenburg. Pastoris ecclesiæ ad D. Nicolai, & Ministerii apud Stralsundenses Superintendentis de *Abyssô Misericordiæ & Commiserationis atq; Pœnitentiæ Divinæ* ad Hof. cap. XI. 8. 9. habendas Auditores invitans de *Pœnitentiâ DEI* verba faciebat. (1½ pl. in 4.)

Mense currente sub umbone ejusdem Præsidis *M. Jeremias Papke*, Gryphisw. Pomeranus, Mathematicum Professor Publ. Extraordinarius designatus dissertationem de *Auferibilitate Papæ*, ex hypothesibus Pontificiis publicæ doctorum censuræ exponebat. (2½ plag. in 4.)

Idem sæpe laudatus *Johannes Fridericus Mayerus*, *D.* Disputationem inauguralem *M. Lucae Schræderi de Episcopis veteris Ecclesiæ* die 4. Febr. instituendam commendaturus, de *Clandestino Matrimonio*, quod Galli *le Mariage de Conscience* vocant, perorabat. (1. plag. in 4.) Docens adversari illud 1. *Ordini* in ipsâ Matrimonii institutione divinitus constituto. 2. *Fini*, quem humanorum corporum conjunctioni legitimo modo factæ DEUS præstituit. 3. *Amori maritali*. 4. *Amori Christiano*. 5. Monstrat repugnantiam tædarum furtivarum cum *Obsequio*, quod vi mandati divini justis Magistratus politici legibus debetur. Denique objectionibus nonnullis secus sentientium solutis propositum Respondentis

dentis æque ac Personam dignis efferre laudibus annitur.
(1. plag. in 4.)

Die 4. Febr. Cathedram conscendens *M. Lucas Schröderus*, Præsides *D. Iohanne Friderico Mayo* Disputationem suam Historico-Theologicam *de Episcopis veteris Ecclesia*, pro licentiâ assumendi Doctoris Theologi & insignia & axiomata, sententiarum collationi publicè exponebat. (2. plag. in 4.) Desudat auctor in eo totus, ut capite I. ostendat vocem Episcopæ esse *Officii* nomen, notans fœminam, sacris functionibus obeundis destinatam. II. *Honoris* nomen, quo Episcoporum uxores à maritis ornatae fuerunt. III. Episcopissarum quarundam Elogia ex *Gregorio Nazianzeno* communicat.

Superiori anno 1701. Mense Martio p. 79 seqq. Novis Literariis inferere placuit ordinationem illam Celsissimi Cimbrorum Ducis in Academia Kiloniensis commodum & incrementum publicatam; nunc aliam, ejusdem planè tenoris, in gratiam Universitatis Gryphicæ à Cancellario ejusdem, Illustrissimo Comite *Georgio Mellin*, evulgatam, oculis B. L. subjiciemus, quæ ita habet: *Verordnung / welche der von Ihro Königl. Majest. zu Schweden / 2c. 2c. bey der Universität zu Greiffswald Hochbestallter Cancellarius, der Hochgebohrne Graff und Herr / Hr. Jürgen Mellin / auff Damigow / Schönfeld / Resow und Schönningen / 2c. Erb-Herr / Allerhöchstged. Ihro Königl. Majest. Raht / Feld-Marschall / und General-Gouverneur in Dero Herzogthumb Pommern / und Fürstenthumb Rügen / 2c. zu Auffnahm derer Studien, und der Academie desto bessern Flor publiciren lassen. Alten Stetin / gedruckt bey Gabriel Dahlen / Kön. Buchdrucker.*

Emnach die Universität zu Greiffswald von denen Hochsel. Pommerschen Hertzogen fürnehmlich zur Unterhaltung der wahren Religion / Ausbreitung des aufgegangenen hellen Evangelischen Lichtes / Beforderung des gemeinen Wesens und Vermehrung guter Wissenschaft und

Künste / vormahls aus gottseligem Eyffer gestiftet und auffgerichtet ; Ihro Majest. Unser Allergnädigster König und Herr auch in so rühmlichen Fußstapffen beharrend / auff Mittel und Wege nicht minder bedacht seyn / daß diese der gottseligen Vorfahren heylsame Intention beständig erreicher / ein so herrliches Kleinod sorgfältigst conserviret / von allen Mängeln und Hindernüssen gesaubert / und was durch die Zeit und andere schädliche Begebnissen in decadance gerathen / empor und zu mehrerem Wachsthum / Glor und Auffnehmen wieder gebracht werden möge ; Mir auch Krafft des allergnädigst beygelegten Muneris Cancellariatus dieser Academie vor allen Dingen gebühret / darob zu seyn / daß der Zustand dieses Seminarii nach der Höchsten Obrigkeit Wohlgefallen mehr und mehr verbessert / die Docentes sowol als Discentes zum schuldigen Gehorsam / Fleiß / und Emsigkeit auffgemuntert / und den vorgesetzten Zweck desto ehender zu erhalten / aus allen Kräfften conjunctim, und ganz einmühtig gearbeitet werde. So habe auff mitgenommenen Raht / der Nothdurfft erachtet / folgendes reglement verassen / durch den Druck publiciren / und allen und jeden / so zum Corpore der Academie gehören / so lange bis Allerhöchstged. Ihro Kön. Majest. etwas anders und vollständigeres gnädigst verordnen werden / zur Nachricht und genauen Beobachtung recommendiren wollen.

I.

Sollen hinführo alle Professores Ordinarii (auffer die so das Instrumentum dotationis ausgenommen) exeptis feriis, horis Concilio Academico destinatis, Kranckheit / von Ihro Königl. Majest. anbefohlene Reisen / und andere Noth und unumgängliche Ehren-Fälle / die Woche 4. mahl im Auditorio publico lesen / so wohl des Winters als des Sommers / und sollen die Winter-Auditoria zugerichtet / auch Licht und Brennholz von der Universität unverweigerlich angeschaffet werden. Derjenige / so eine Lection auffer obenangeführten erheblichen Ursachen versäümet / soll eine jede versäu-

versäumete Lection mit 2. Reichsthl. bezahlen. Wer aber 12. Lectiones in einem viertel Jahr negligiret / soll von dem ganzen viertel Jahrs Salariò nichts geniessen; Das Geld aber unter die fleissigen Professores alsbald bey Auszahlung getheilet werden. Der Famulus Academicus soll alle Wochen eine schedulam dem Pro-Cancellario einreichen / wie viel ein jeder Professor die Woche gelesen / welcher denn bey herannahendem Ende des Quartals selbige dem Magnificentissimo Domino Cancellario übersenden soll / damit man alle viertel Jahr die fleissigen und unfleissigen Professores kennen möge. So soll auch jeder Professor monatlich sub fide iuramenti eigenhändig numerum Lectionum specificiren und überreichen / damit auch dieses eigenhändige Zeugniß könne überschicket werden.

2.

Die ordentlichen Ferien, in welchen mit den Lectionibus gefeyret wird / seynd: Die Wochen/darin die heiligen 3. hohen Feste fallen. Die Woche von Weihnachten biß den I. Epiphan. Alle ganze Festtage. Die Apostel-Tage halb. Der grüne Donnerstag und Charfreytag. 4. Wochen Hundes-Tage.

3.

Die Lectiones sollen also eingerichtet werden / daß sie früh von 7. Uhr angehen / und währen biß II. Uhr / und Nachmittags von 1. Uhr biß 5. Uhr.

Um 7. Uhr der erste Professor Medicinæ und der Profess. Mathem. 8. Uhr / der Professor Locor. Theologic. und der Professor Institution.

9. Uhr / Professor Juris Canonici, und Profess. Log. & Metaph.

10. Uhr / Professor Theol. Primarius und Professor Pandectarum.

Nachmittags:

1. Uhr / Profess. Theol. Exeget. Lingg. Orientalium, und Profess. Juris Publici & Feudalis.

2. Uhr / Professor Medicinæ, und Profess. Philos. Pract. & Historiar.

3. Uhr /

3. Uhr / Profess. Controversiarum Theol. und Medicinæ
Extraordin.
4. Uhr / Professores Juris Honorarii und Professor Elo-
quentiæ & Poëtos.
5. bis 6. sind der andern Extraordinariorum, als auch die
Nachmittage Mittwochens und Sonnabends.

4.

Die Lectiones sollen für dieses Jahr also eingetheilet werden:
Der Ober-Profess. Theologiæ und General-Superintendens
soll Theologiam Conscientiarum lesen / und zum Fundament
unsere Kirchen-Ordnung legen.

Der Secundus Locos Theologicos, und dieses nach Anleitung
der repetitionis Chemnitianæ Menzeri.

Der Tertius sol Controversias lesen / und zwar die Irrthümer
solidè zu erkennen:

Der Papisten, das Concilium Tridentinum.

Der Calvinisten, Catechismum Palatinum.

Der Socinian. Catechismum Raccoviens.

Der Arminian. Confessionem Remonstrantium,
und Apologiam Confess.

Der Qvaker, Mennonis Fundamentum.

Der Quartus Theologiam Exegeticam, des Bitters ein Buch
aus dem Alten/und Sommers ein Buch aus dem Neuen Testament.

Die Extraordinarii können lesen für allen Dingen die Libros Sym-
bolicos, oder was der Pro-Cancellarius für nöhtig finden wird.

Der Professor Juris Canonici, Stephani Institutiones.

Pandectarum, Brunnemanni repetitionem Wesen-
becianam.

Juris Publici, Bœcleri notitiam Imperii.

Feud. Stryckii Examen.

Institutionum, nebenst dem Text Schilteri Institution.

Der I. Profess. Medicinæ, Georgii Franckii von Franckenau
Institut. Med.

2. Sturmii Physicam.

Professores Philosophiæ.

Professor Eloquentiæ & Poëseos, soll lesen:

1. Viertel-Jahr / Vossii Institut. Coll. Caufino de Eloquentia Sacra & Profana.

2. Viertel-Jahr / Orationes aus dem Cicerone und alle Wochen eine Stunde dabey dem Virgilio widmen.

Profess. Lingv. Orient. soll alle Viertel-Jahr das Horologium Schickar. absolviren/und das andere Opitii Græcismus.

Der Profess. Philos. Pract. & Historiarum : Grotium de Jure Belli & Pacis.

In Historia. Puffendorffii Einleitung.

Profess. Log. & Metaph.

In Log. Weissii Logicam.

In Metaph. Donati Metaph. Usualem.

In Pneumat. Prückneri Compendium.

Die Profess. Extrad. können lesen was der Pro-Cancellarius in Illustriff.Dni.Cancellarii Nahmen für gut befinden wird.

5.

Der Catalogus dieser Lectionum soll allemahl des Jahrs 2. mahl/ das erstemahl an 1. Epiph. und das andermahl In Eccto Trinit. nach Ordnung der Facultäten gedruckt und ausgeheilet werden/ damit jederman sehe / mit was Fleiß die studierende Jugend unterwiesen werde.

6.

So soll ein jeder von den Professoribus gehalten seyn/ alle halbe Jahr sein fürgenommenes Pensum zu absolviren / so daß die Kirchen-Ordnung / Repetitio Chemnitiana, ein Liber Biblicus, das eine halbe Jahr Papismus, das andere Calvinismus, und in dem kommenden Jahre geliebts GOTT / 1. Socinianismus, das andere halbe Jahr Arminianismus cum Fanaticismo zu Ende komme. Dergleichen sollen auch alle andere Facultäten leisten. Doch wird Facultati Juridic. das ganze Jahr zu ihrem Spatio eingeräumet / darinnen denn ein jeder sein Pensum soll zu Ende bringen.

K

7. Auff

7.

Auff daß man aber eines jeden Professoris Gleiffes desto besser möge versichert seyn / sol ein jeder Professor nach Verstießung eines halben Jahrs einen Entwurff seiner Lectionum wohl geschrieben / (Die Schreibe- Kosten sollen ihm ex Acad. redivibus gut gethan werden) dem Pro-Cancellario zu stellen / welcher sie dem Illu- strist. Dn. Cancellario übersenden soll. Darauff sie in ein Volumen sollen gebunden und in der Bibliotheca Academica zum Andencken des rühmlichen Gleiffes sollen auffgehoben werden.

8.

Es wird allen und jeden Professoribus anbefohlen Collegia Examinatoria zu halten / und sol ein jeder alle halbe Jahr anzeigen / ob und mit wem er solche angestellet.

9.

Damit man des Gleiffes der Studierenden versichert sey / soll ein jeder Professor alle Viertel-Jahr 2mahl unvermuthet eine Schedulam unter den Auditoribus lassen herum gehen / damit sie ihre Nahmen alsobald in Lectione aufschreiben / solche Schedulas zu Endigung des halben Jahrs dem Pro-Cancellario zu senden / selbige Illu- str. Dn. Cancellario zu überlieffern ; Daraus denn der Landes- Rinder Gleiß sol geurtheilet / und sie für allen andern sollen herfür gezogen werden / und wird der Professorum Gewissen und Eidt / auch derer Studierenden eigenem Nutze anheim gegeben / bedacht zu seyn / daß hierunter kein Unterschleiff fürgehe.

10.

Solten wegen Seltenheit der Studioforum Medicinæ die Professores sich beklagen / wie sie ihre Lectiones einstellen müssen / so sollen sie biß zu mehrer Freqventz bedacht seyn / solche Lectiones zu halten / davon auch der andern Facultäten Studiosi Nutz haben können / E. g. die Studiosi Theologiæ / wenn sie von den Morbis Biblicis , von den Plantis und Arboribus Biblicis lesen. Die Studiosi Juris , wenn sie de lethali- tate Vulnerum , de Tem- pore Partus , oder wozu der gelehrte Zacchias in seinen Quæstio- nibus Medico-Legalibus , Gelegenheit gibt / ihre Lectiones an- stellen.

stellen. Im übrigen sollen die Medici / wenn sie 2. oder 3. Auditor-
res haben / zu lesen gehalten seyn / die Professores der andern Fa-
cultäten aber wenn dero 4. fürhanden. Doch lebet man der guten
Hoffnung / daß bey rechtem Fleiß und guter Disciplin der Herren
Professorum man über solchen Mangel nicht werde dürffen Klage
führen.

II.

Damit die Disputationes desto fleißiger mögen verrichtet wer-
den / sollen 200. Rthl. aus der Academia Einkünfften gewidmet
seyn / auff daß alle Wochen eine gewisse Disputation gehalten wer-
de / so nur aus 2. Bogen bestehet. Davon der Buchdrucker 2. Rthl.
und 120. Exemplar lieffern soll. 2. Rthl. fallen dem Præsidi pro la-
bore anheim. Der Studiosus respondiret ganz umbsonst / und
darff nicht einen Heller Unkosten / es habe Rahmen wie es wolle /
beytragen.

12.

Diese Disputationes sollen zu Ehren / Ihr. Königl. Majest. Ca-
rolinæ heißen / und unausfeglich / Wöchentlich Mittwochens oder
Sonnabends von schönen / raren / nicht überall vorkommenden Mate-
rien von 7. Uhr bis 9. Morgens früh angestellt werden. Und fän-
get der Theologus an / denn folget der Jurist , der Medicus und
Philosophus. Der Mangel der Medicorum wird durch die Pro-
fessores Extraordinarios ersetzt. Und wird die Ordnung unter
allen Professoribus gehalten / wie sie in ihren Promotionibus in
Actibus publicis sitzen. Hiezu wird der Professor Primarius
den Anfang / im Rahmen Gottes machen / Mittwoch nach 1.
post Epiphan.

13.

So auch die andern Disputationes durch Gottes Seegen
sich häuffen solten / damit denen Lectionibus nichts entzogen wer-
de / sollen die solennes oder andere publica Mittwochß finita Di-
sputatione Carolina von 9. bis 11. oder Nachmittags von 1. bis
3. / eine andere 3. bis 5. und Sonnabends den ganzen Tag gehal-
ten werden.

14.

Damit aber die Oratoria desto fleißiger getrieben werde / sollen an denen 3. hohen Festen als auch Michaelis , die 4. Theologi den heil. Abend fürher eine Oration in dem Auditorio halten / wozu der Decanus per Programma publicum invitiret. Ingleichen sol der Decanus Fac. Theol. alle Charfreystags Nachmittags 3. 4. bis 5. Uhr / von dem Leyden und Tode Christi / unter einer beweglichen Trauer-Music peroriren. So sollen auch Ihr. Königl. Majest. Gebuhrts- und Nahmens-Tag / entweder mit einem Actu promotionis (wenn selbiger vorhanden) oder mit einer solennen Oration unter schöner Music und geistreichem Gesang in der St. Nicolai Kirchen celebriret / und **GOTT** für das Leben / Segen / allzeit Siegreiche Waffen / und Glück unsers allergnädigsten Königes / innbrünstig angeruffen werden. Die Oratores sollen seyn die Professores Wechsels-Weise nach denen Facultäten. Ingleichen sollen an dem Sterb- Tage des Höchst- Seel. verstorbenen Königes CAROLI XI. der fundatorum und Restauratorum der Herzoge von Pommern einem jeden zu Ehren eine zierliche Parentation gehalten werden / welche theils der Professor Eloquentiæ selber / theils die Professores Philosophiæ ordinarii halten sollen. So soll auch der 25. Tag Junii, als an welchem Tage die Augspurgische Confession übergeben / ein solenner Actus Oratorius angestellet werden / **GOTT** für solche grosse Wolthaten zu danken und zu bitten / daß Er diese allein seelig-machende Lehre bis ans Ende der Welt im Königreich Schweden / und bey uns / als auch anderer Orten bis an dem jüngsten Tag unverrückt erhalten wolle: die Oration kömt Facultatis Theol. Decano samt dem Programme zu / oder welchen er es aus der Facultät (so es ihm unmöglich) committiren wird.

15.

Soll hinführo alle Monath der General-Superintendens, oder in Abwesenheit der folgende Theologus Mittwochs Morgens von 10. bis 11. einen öffentlichen Consistorii-Tag halten / da er einen casum Conscientiæ der studierenden Jugend an dem schwarzen Bret Sontags vorher notificiret / selbigen hernach zu verabscheiden / denen alten

alten Studiosis Theologiae proponiret / ihre Rationes pro und contra anhöret / die rationes dubitandi solviret, und wie ein Responsum Theologicum einzurichten / anweist. Die andere Woche sol Sonnabends Morgens der JCTus einen Gerichts-Tag halten / die Studiosos lassen advociren und ihnen den Processum gründlich weisen.

Alle 14. Tage der Medicus eine Anatomie anstellen.

Alle 3. Wochen der Physicus ein Experiment machen.

Alle 14. Tage der Mathematicus eine Demonstration: dieses aber alles in loco publico.

16.

Die Unkosten der Promotionum sollen gemildert und bis auff 160. Rthl. geseket seyn. Das grosse Convivium wird ganz eingestellt; und niemand als die zu dem Actu höchst-nöthige Persohnen an der Zahl ohngefehr 7. mit den Knaben / auff eine wenige Collation genöthiget. Solte aber ein Candidatus es selbst begehren / und ein groß Convivium haben wollen / sol es ihm wol frey stehen / hergegen alle unnöthige Unkosten vermieden werden. Die solennia aber in der Kirchen belangend und was ad splendorem honorum gehöret / davon sol nichts unterlassen / sondern vielmehr als auch sonst in allen andern solennen Actibus augiret werden. Und wird denen Professoribus hergegen auf ihre Seele gelegt / keinen Untüchtigen ad hos gradus zu promoviren / ihren Gewissen und der Academie keinen Schandfleck anzuhängen; Ingleichen auch die Candidatos über 3. Wochen nicht auffzuhalten.

17.

Schließlich wird nochmahls die Schärffe der Disciplin ernstlich anbefohlen / ja genaue Acht zu haben / daß man GOT durch muhtwillige fürsehlliche Sünden nicht beleidige / und seinen gerechten Zorn über die Vniversität und gankes Land entzünde / unschuldige Menschen ärgern und verführen lasse / wovon an den Pro-Cancellarium allbereit resolution ertheilet. Wovon auch die Professores, so hierin nicht alle Schärffe gebrauchen / an jenem Tage Rechenschaft geben sollen. Vielmehr werden die Professores unter sich selbst an Brüderlicher Lie-

be und Einigkeit / (da dann der Pro-Cancellarius an statt Illustriff. Cancellarii genaue Acht haben wird / damit keine Zänckereyen entstehen / und sie alsobald in herba suffociret werden) unermüdeten treuen Fleiß / unärgerlichen / unsträfflichen Wandel den Studierenden ein Fürbild seyn / auff daß dieselbe Tempel des Heiligen Geistes seyn und bleiben mögen.

Werden demnach diejenigen / so entweder unter dem Corpore der Sn. Professorum sortiren / oder ad coetum discentium gehören / obigem allen gantz genau geleben / den schuldigen Gehorsam bey jedwedem Paragrapho zu erweisen geliffen seyn / und durch Tergiversation oder Saumsabl zu beschwerlichen Compulsiv-Mitteln / womit man einen jeden gerne verschonet siehet / keinen Anlaß geben. Urkündlich beygedruckten Insignels und eigenhändiger Subscription. Datum Stettin / den 4. Januar. Aö. 1702.

(L. S.) Jürgen Mellin.

SEDINI.

Sub finem superioris anni 1701. à *D. Joh. Frid. Mayo*, Superintendente Generali, *N. Fabricius*, ad Pastoratum Aulicum in locum *Samuelis Hollmanni* vocatus, introducebatur. Hic *B. Hollmannus* Herfordiæ in Westphaliâ anno 1632, Februario exeunte, natus est. Positis in Scholâ patriâ & Athenæo Gedanensi haud contemnendis studiorum fundamentis, Academias petiit, & primùm quidem ann. 1655. *Regiomontanam*, ann. 1657. *Rostochiensem*. Nonnulla quoque eruditionis ibidem edidit specimina, in illâ scilicet *de primis Principiis Physicis*, disputans; in hac verò, Præside *D. Henrico Müllero*, Dissertatione quadam Psalmum I. illustrans. Postquam ab anno 1659. usquè ad 1665. *Stralsundæ* in ædibus *Gosmannianis* hæsis-

hæssisset, dicto hoc anno Pastor Castrensis vocatus est, ut animas illorum, qui rem tormentariam tractant, prædicatione Verbi Divini curaret. Deinde anno 1669. obtigit illi vocatio in aulam Illustrissimi Pomeraniæ Governoris, *Caroli Gustavi Wrangelii*, & tandem paulopost Concionatoris atque Pastoris in templo arcis Sedinensis functio. Quater in Conjugio vixit, sed postremam Conjugem morte sua, quæ 1701. d. 10. Novembr. ætatis septuagesimo, & Ministerii trigesimo sexto anno sibi accidit, fecit Viduam, quinque liberos, parente orbatos, relinquens superstites.

Die 10. Febr. Manuctore *M. Friderico Redtelio*, Con-R. *Actus* quidam *Oratorius* à nonnullis Scholæ Senatoriæ Alumnis fuit exhibitus, cujus Germanicus titulus ita habet: Die von zwey jungen Gesellen / oder Studenten / und von zwey Tugend begierigen Jungfern gesuchte / und in dem grünen Walde des Esculapii, von einigen daselbst sich verlustirenden Römern und Vestalischen Jungfern angezeigte rechte Wege zu der schönen und hochnöthigen Tugend der Mäßigkeit. Ad hunc Actum audiendum publico Programmate (2 plag. in fol.) illius summam personarumque seriem tradente, laudatus *Redtelius* invitavit.

Idem etiam Mythologiam Schavianam auctiorem secundâ vice edidit.

Præter hanc & alia ejusdem *D. Schavii* scripta, quæ intra privatos hactenus asservavit parietes, luci publicæ fortè exponet, qualia sunt:

Lexicon cum Paraphrasi Statianum.

Paraphrasis Juvenalis, &c.

Die 21. Febr. vivis excessit *Joachimus Nicolaus Meyerus*, Hereditarius in Neuen Grape. Lucem adspexit ille Sedinæ, ann. 1657. d. 15. Jul. Patrem ibidem nactus *Johannem Philippum Meyerum*, Jctum & urbis Senatorem, qui ann. 1653. ab Imperatore FERDINANDO III. nobilitatis jura & insignia justis tabulis consecutus est. Quum sub privatâ primum, & postea

postea publicâ, in *Gymnasio Carolino*, curâ & institutione factos fecisset progressus, ut lucem ferre posset Academicam, ann. 1679. *Lipsiam* concessit. Vnde tamen ob mortem Parentis voto citius anno insequenti domum redire necesse habuit. Hinc abiit *Lugdunum* apud *Batavos*, & post *Vitragectum* & *Frankeram*, ut Musas his in locis sectaretur. Consumtis ibi aliquot annis iter per *Belgium*, *Brabantiam* & *Flandriam* in *Galliam* direxit, deindè in *Angliam*. Patriæ tandem reditus privatam elegit vitam, quam & morte, *Viduæ* superstiti nec non quinque liberis cum primis acerbâ, finivit, postquam vivendo confecerat 44. annos, 7. menses, & totidem dies,

REGIOMONTI.

Die 8. Febr. M. *Johannes Engelbrecht*, *Schiffenb. Pruss.* Respondente *Johanne Reimholdo Wenck, Rhein. Prusso*, Disputationi submisit Axiomata hæc Analytica: (I.) *Analyticâ & aliis Scientiis Philosophicis instructus, est Auditor κεναιδευµένος & legitimus Philosophia.* (II.) *Termini artium, quos Scholastici notiones seu intentiones secundas appellant, & ratione prædicationum & argumentationum cognoscuntur, non sunt Entia Rationis, seu fictum quid ab intellectu.* (III.) *Vulgare illud Axioma: Duae particulae negandi apud Latinos affirmant, de omnibus Propositionibus intellectum, verum non est.* (IV.) *Non omnia adverbia affirmativa, quæ aliàs seorsim considerata universitatem significant, indicant propositionem universalem vel ejus sunt signa; Nec omnia adverbia, quæ per se significant particularitatem, signa sunt particularis Propositionis. Nam signa affirmativa hæc: Semper, Ubique, Alicubi, non sunt signa Propositionum.* (V.) *Signa Universalis & Particularis non cuilibet subjecto in quolibet casu posito addi debent: aliàs enim non erunt Signa Universalitatis & particularitatis.* (VI.) *Propositiones, quæ habent Subjectum universale formaliter tale, non sunt pro indefinitis recipiende.* (VII.) *Propositio etiam rectè dividitur in propriam & impropriam.* (VIII.) *Secundùm Analyticam omnes Propositiones Theologicæ examinari possunt; dummodo non sint pure fidei & supra captum humanum.*

Die 9. Febr. *Georgius Emmerich*, Med.D.P. P. & *Immanuel Heinrich Garmann*, Chemnicio-Misnicus, Respondens Autor, disputarunt de *Duumviratu Helmontiano*, sive de *Ventriculo & Splene*, Duumviris ab *Helmontio* vocatis: Sectione (1.) Exponunt nomen & officium Duumvirorum, & quid *Helmontio* Duumviratus. Sectione (2.) agunt de Stomacho Duumviro. Sectione (3.) de Splene altero Duumviro. Sectione (4.) de Actione & usu Duumvirorum secundum *Helmontium*. Sectione (5.) de Centro animæ sensitivæ & mentis in Duumviratu; in plerisque à Sententia *Helmontii* abeunt eumque refutant. (4. plag. in 4to.)

Die 13. Febr. Præside *Benjaminô Ewaldt* / Med. Doct. Diatribam de *Pulvere Sympatheticô* in publicâ ventilatione defendit *Melchior Philippus Hartmann* Regiomont. Pruss. Diatriba hæc in tres divisa est sectiones: Prima agit: de *Sympathiâ, pulverisq; Sympathetici analysi ac viribus* Secunda: de modo, sive rationibus quibusdam operandi pulveris *Sympathetici* Tertia: de causis usum pulveris *Sympathetici* quoadantenus *dissuadentibus*, cum additis cautelis practicis. (2½ plag. in 4to.) Calci verò hujus diatribæ annexa leguntur sequentia *Corollaria Physico-Anatomica: de causis symptomatum & mortis animalium pulmonibus præditorum sub campanâ, post educationem aëris per antliam pneumaticam, quæ Respondens amicæ disquisitioni subjicit:*

(I.) Notum est, quod animalia pulmonibus prædita, sub campanâ constituta post educationem aëris per antliam pneumaticam, variè p. n. afficiantur, atqve tandem mortem subeant. (II.) Symptomata vulgatissima sunt, partium quarundam intumescencia, imprimis abdominis & oculorum, vomitio, dejectio, pulsus cordis celer, anhelatio, motus convulsivi diversarum partium, spuma circa os. &c. (III.) Quæ symptomata tandem mors consequitur, in aliis celerius, in aliis tardius, pro idiosyncrasiâ subjectorum. (IV.) Per Experimenta à *Dn. Parente* publicè instituta cognitum,

quæ tenerrimæ sunt ætatis tardiùs mori, item pulmonibus
 minùs sangvineis prædita, ranas, lacertas &c. (V.) Causæ
 horum symptomatum & mortis ab aliis aliter afferuntur;
 Nos statuimus fieri hæc omnia propter turbatum sangvinis
 circuitum, qui tandem sufflaminatus in vasis & visceribus
 vitam ipsam tollit. (VI.) Probârunt hoc anatomæ in felibus,
 catellis, pullis, echinis terrestribus, talpis, muribus,
 sciuris, & aviculis variis, &c. quorum animalium pulmones
 eum præcordiis inspecti, ut plurimum sangvinem stagnan-
 tem, aliquandò etiam coagulatum, demonstrârunt. (VII.)
 Idem singularis docuit pulmonum inspectio, cum horum
 color intensissimè rubens & compages à sangvinis infarctu
 tam densa, ut ab hepate vix dignoscerentur, in non paucis
 comparuerint, iidemqve aquæ impositi submersi fundum
 petierunt, instar pulmonum ex embryis exemptorum. (VIII.)
 Quin in felium & pullorum atqve catellorum nonnullis,
 sangvinis in pulmonibus stagnatio fecit, ut non solum bron-
 chialia vasa, sed etiam ipsam tracheam sangvine repletam
 viderimus. (IX.) Stagnatio autem sangvinis istò modò in
 pulmonibus præcipuè contingit, quod post eductiones aër
 intra campanam residuus ab iisdem inspirari neqveat; quod
 dum fit, sangvis ad vasa pulmonum jugi appulsu affluens,
 propter denegatam expansionem vasorum bronchialium in
 extremitatibus capillaribus hæsitat, aut sibi aliò viam vi-
 facit, ut omnis circuitus tollatur. (X.) Aër autem intra cam-
 panam residuus propterea ab animalibus inspirari neqvit,
 quia intra angustias expansus est, qualis semper difficiliter
 locò movetur, quàm liber. (XI.) Quod aër intra camp-
 nam expansus, difficulter, aut prorsus non movetur, hoc
 pluribus aliis experimentis demonstratum est; e. gr. cum
 candela, pruna, fomes, funis igniarius, charta, accendun-
 tur, ad eductionem hæc omnia extingvuntur propter de-
 negatum motum intra conclusi; elegantissimum spectacu-
 lum præbent candelæ pro fumo, quæ quidem diu sub cine-
 ribus

ribus post eductiones latentem, ignem fovent; sed ut non ulterius possit proserpere, & corpus consumere. (XII.) Sunt, qui pulmones ab aëre comprimi volunt, quia aliquando minores comparent: verum hoc non à compressione ullâ, sed à collapsu vasorum, aut recessuum spiritalium provenit, evidens hoc in ranis præcipuè, lacertis & testudinibus. (XIII.) Cætera non negamus, quod aër habeat facultatem premendi; verum intra campanam post eductiones, cum aërem in motu esse negamus, negamus etiam ab hoc aëre quicquam premi. Certè si expansio non est confundenda cum pressurâ, expanditur aër ad eductiones, id quod experimentum de scypho æneo sumptum, illustrat; Si enim huic membranam laxiorem, seu minus rigidam vinculo allegaveris, & juxta tubulum, per quem aër educitur, collocaveris, campana quidem superimposita corio adhærebit; membrana vero tantum abest, ut intra scyphum adigatur, quod per pressuram fieri debebat, ut contra ea sursum attollatur, quasi inflata, id quod alio experimento declarari potest per tubulum liquoris impositum instar thermometri. (XIV.) Quamvis & nos maximè dubitemus, an in hoc instrumento campana ipsa per pressionem aëris corio adhæreat; Fieret enim per aëris, vel ante eductionem, vel post eductionem campanam ambientis pressuram; Sed non per pressuram prioris, quia sic & citra eductionem campana corio firmiter adhæreret: nec per pressuram posterioris, quia hic non habet præresin, sive consilium magis ad campanam ruendi, quam dilabendi per rimas fenestrarum, aut per januas apertas, aut per inspirantium pulmones. (XV.) Repugnat idem sensui, sive experientiæ; si enim campanæ aut vitro, quod scypho æneo agglutinatum, levissima quæque, aut maximè compressilia superimposueris ad eductionem aëris nec minimum indicium pressuræ ullius observabis. (XVI.) Item si campanam majorem campanæ minori, aut membranam membranæ supra scyphum æneum super-

imposueris, aut adstrinxeris, minor campana solum ad educationem aëris corio adhærebit, non item major superimposita: Sic & membrana interior ad educationem aëris introrsum adducetur, non verò etiam supra alligata, nisi alteri agglutinata fuerit, ad quod præcavendum papyrus interponi poterit, sicque, licet utraqve membrana cum papyro intermedia uno vinculo arcè scypho æneo adstringantur, intima membrana solum adducetur, non verò extima, uti nec papyrus intermedia. (XVII.) Porro si Antlia pneumatica eodem luto, quo aër exterior aliàs arcetur, parieti intergerino insereretur, ut aër eductus non posset ingredi conclave alterum, nihilominus ad educationem aëris in altero conclavi campana corio firmiter adhærebit. (XIX.) Scilicet aër quidem omnibus incumbit, sed non omnia premit, premit solum quando est in motu, & quidem ea, quæ loco dimovere potest, ut ipsi cedant. (XIX.) Ita quoque merito dubitamus, an intumescencia memorata, aëris in campana residui influxui, & intra animalia expansioni sit adscribenda, siquidem idem phænomenon ad perturbatum sanguinis circuitum referri potest, cum alias extra campanam similem intumescencia ab eodem oriri manifestum sit. (XX.) Accedit, quod enectorum, etiam capitibus præfectis, cadavera ad educationes non intumescant. (plag. 2½ in 4to.)

Die 15. Febr.. *M. Fridericus Seüberlich* Reg. Pruss. quætionem: *Utrum in Republ. bene constituta sint toleranda Asyla?* publicè ventilavit Resp. *Paulo Drigalsky* Bialâ Pruss. (4. plag. in 4.)

Die 18. Febr. *M. Christianus Masceovius* Regiom-Pruss. *De Honoribus petendis* disputationem priorem habuit. Respond. *Henrico Wegner*, Reg. Pruss. (plag. 2½ in 4to.)

Die 21. Febr. *Balthasar Thilesius*, quem in V. J. Licentiatum fuisse renunciatum Nov. Lit. præt. anni pag. 172. referunt, jam designatus Profess. Juris extraord. pro loco professionis Disp. inaugural. horis ante- & pomeridianis habuit

buit de *Absolutione a Juramento* Respond. *Dan. Corn. Sahm/Reg. Pruff.* (plag. 2½ in 4to.)

Die 23. Febr. Præsides *Bernhardo von Sanden/ Jun. S. Theol. D. & Profess. Ordin.* Disputatio habita est de *Nomine JESU*, originatione, typis, significatione, &c. Respond. *Jacobo Keber*, Holland. Boruffo. (plag. 3½ in 4to.)

Die 25. Febr. *Mafecovius* Præsides, Disput. posteriorem de *Honoribus petendis* habuit, Respond. *Friderico Höpenero Reg. Pruff.* (plag. 2½ in 4to.)

Die 27. Febr. de *Visus modo fiendi*, Disputationem physicam habuit *Johannes Godesched*, Philos. & Med. D. & P. P. extr. Physices Ordinarius, Autore & Respond. *Jacobo Finckemann*, Mariæburg. Pruff. (plag. 2½ in 4to.)

Die 28. Febr. Sub Præsidio *Joh. Stein/ V. J. D. Profess. Ord. Tert.* Respond. *Christoph Frideric Landenberg/ Reg. Pruff.* disputavit de *bona fide in Usucap. necessaria.* (plag. 3. in 4to.)

RIGÆ.

Die 28. Febr. vitam cum morte commutavit *M. David Caspari*, Regius Ecclesiarum Rigensium Superintendens, Consistorii Adfessor, nec non ad D. Petri Pastor Primarius, S. S. Theol. in Gymnasio Professor, Scholæque Cathedralis Inspector. Postquam ille Regiomonti anno 1648. d. 5. Mart. lucem adspexisset, non in patriâ solum Scholâ primûm, sed postea etiam ab anno 1667. usque ad 1673. in Academiâ ibidem literis incubuit. Varia hîc edidit specimina, nimirum sub Præsidio *M. Danielis Rhode* pro Receptione in Facultatem, quam vocant Philosophicam, *Philosophicas Theses* ventilavit. Has exceptit alia, de definitione τῶν πολλαχῶς ἢ τῶν πρὸς εἶν ἢ ἀφ' εἰδὸς λεγομένων: Disputatio Præsides *M. Andreâ Hedione* habita. Publicè quoque de *Definitione Hæretici* sub umbone *M. Melchioris Zeidleri*, S. S. Theol. Prof. P. Secund. & Concionat. Aulici disputavit. Sexennio in Re-

giomontana exacto, Jenam, visis ante in viâ Academiis Wittebergenſi & Lipſienſi, anno 1673. ingreſſus eſt, ubi eodem anno Magiſteriū *βραβέων* reportavit, Exercitatione, de *Vitâ DEI*, qualis ea ſit ex mente Græcorum & potiſſimum Ariſtotelis præviâ. Hinc Tubingenſes adiit, aliasqve Germaniæ Univerſitates, Altorfinam, Argentoratenſem, Helmſtadienſem, Francofurtenſem, &c. ut & plurima loca celebriora obſervantiori perluftravit oculo. Quapropter nec deſuere etiam de ſexu ſeqviori, quæ Carminibus elegantioribus felicia quævis illi acclamarunt. Inter quas emicuit poëtiſſa haud vulgariter docta, *Gertrudis Mölleria*, nata *Eiſeria*. Studiorum atqve peregrinationis curſu feliciter abſoluto, anno 1674. Regiomontum in patriam reverſus eſt, & varias Exercitationes Academicas, quas ipſe Præſes defendebat, propoſuit, quas inter eminent *Triga Theſium Philoſophicarum*. Præterea quinque alias de fabuloſis nonnullorum animalium affectionibus, de *Cantu Cygni*, de *Partu Urſarum*, aliisqve rebus curioſis publicæ luci dedit. Hoc ipſo loco licet ann. 1676. Communis Conſultorii & Electoralium Alumnorum Inſpectio ſecundaria ipſi committeretur; poſt biennium tamen, nempe anno 1678. aliam obtinuit vocationem ad Profeſſionem Philoſophicam in Gymnaſio Rigenſi ornandam, & ad Rectorem Scholæ Cathedralis obeundum. In hoc munere demandato induſtriam ejus teſtantur *Diſputationes Philoſophicæ*, quarum celebriores typis deſcriptæ, nec non *Ethica & Politica*, quæ publicè extant, aliæ item *Diſſertationes*, de *Dubitatione* ann. 1682. de *Norma Phyſices* ann. 1683. de *Phænice* 1687. evulgatæ. Pulpita Eccleſiaſtica aſcendens, primùm ann. 1681. d. 17. Jan. Eccleſiæ Cathedralis Diaconus, & ann. 1683. Scholæ Inſpector, deinde anno inſeqvienti, d. 16. Septembr. Eccleſiaſtes Concionum Hebdomadalium, tandem ann. 1691. Eccleſiæ ſuprà dictæ Paſtor, uti & Conſultorii Adſeſſor conſtituebatur. His muneribus Profeſſio Theologica in Gymnaſio ann. 1698. acceſſit

MENSIS MART. M. DCCII. 81

accessit, & vocatio ad Pastorum Petrinum, nec non Superintendententis sparta, quæ à Potentissimo Sveonum Monarchâ CAROLO XII. ann. 1700. d. 10 Septembr. ipsi fuit confirmata. Ast febris acutissimâ correptus, quinquagesimo quarto ætatis suæ anno omnibus hæc honorum titulis mors illum exiit, è binis Conjugibus ante se mortuis septem relinqvens liberos.

VIBURGI in FINLANDIA.

L. Hurtigius de Canthier, contexit librum jam preloparatum, & vel Latiali vel Germanico idiomate, prout editori, si quem invenerit, visum fuerit, evulgandum, titulus ejus Teutonicus ita habet: *Vorbote der Ubralten Weisheit erster Theil / darin gezeiget wird / daß die heutige Aristotelische Schulgelehrten der alten ihre Cabalam, Magiam und Philosophiam aus ihrer Schule relegiret / und an deren staat fälschlich supponirt die vier Facultates Ethnicorum, als Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam, und Philosophiam zum Unterscheid der heutigen Neuen Schul-Weisheit / und der Ubralten reinen Einsfalt / wie es mit dieser anigo bewandt / und mit jener / der Alten beschaffen gewesen: jeko aber was zu der Weisheit partem præliminarem, die Etymologie, Synonymie, Homonomie, &c. dienet / angeführet / und wie weit die heutige Schul-Weisheit von der Alten Weisheit ist unterschieden / mit unwiederreiblichen Gründen demonstrirt, entworffen von einem Liebhaber der Wahrheit und der reinen Weisheit / genant *L. Hurtigius de Canthier*. Constat in formâ octavâ ultra 2. Alfab.*

BERGIS.

Die 16. Februarii *M. Severinus Lintrupius*, designatus Prof. Hafnienfis, & Scholæ Bergensis Rector, Resp. *J. D. Ramo*, Nidrosiensis, Disputationem Theologicam, *de sex præcipuis Pontificiorum Erroribus quæstuosis*, habuit; Quam cum fortè Bergas transiens Ill. Dn. *Fridericus Gabel* / Hereditarius in Brantewiß & Bavelse / Eqves auragus Ordinis Danebrogici,

gici , S. R. M. Daniæ & Norvegiæ Consiliarius intimus , Statûs ac Justitiæ , Pro-Regis per Norvegiam Vicarius , supremus Diœceseos Aggerhusiensis Præfectus , Gubernator Ferroæ , &c. Vir , non officiorum magis , quæ ornat , splendore , quàm meritorum splendore , variisqve ad Reges & Principes exteros legationibus inclytus , nobilissimâ filiorum bigâ comitatus , auscultaret , à dicto Scholæ Bergensis Rectore geminâ *Oratione* panegyricâ fuit salutatus , *gratulatoriâ* unâ , stylo lapidario , quâ venientem excepit , metricâ alterâ *eucharisticâ* , quâ abeuntem prosequeutus est.

Petrus Neocomius , Joh. Fil. Nordlandus , S.S. Theol. C. tripartitum nuper composuit *sacrorum carminum vernaculorum fasciculum* , brevi typis evulgandum ; cujus I. Pars *Horologium Zionæum* , seu Hymnos miscellaneos ; II. *Suscitabulum animæ spirituale* , seu Hymnos matutinos ac vespertinos , pro numero dierum septimanæ ; *Imaginem Christi crucifixi* , seu Historiam Passionis & Heptalogum in cruce , complectitur.

CARTEMUNDÆ in FIONIA.

Matth. Henr. Schachtii , Scholæ Cartemündensis Rectoris obitum in N. L. anno 1700. Mensè Novembr. p. 333. paucis memoravimus ; cum autem plenior vitæ ejus descriptio nuperrimè tantum nobiscum fuerit communicata , haud abs re fore judicavimus , si eandem & hic infereremus. Natus fuit ille Viburgi in Jutiâ. ann. 1660 , d. 29. Aprilis , Patre *Henrico Schachtio* , Scholæ illius loci Rectore & Episcopo Gothlandico designato. E Scholâ patriâ ann. 1678. ætatis decimo sexto , dimissus , primùm Hafniam adiit , ibidemque Disputationem *de Philosophia in genere* , nec non binas *Orationes* , alteram *de Ebrietatis detestatione* , alteram *de Literarum præstantia* habuit. Deindè anno sequenti Kilonium profectus est , & postmodum Rostochium , Lipsiensem etiam , Jenensem , Francofurtensem , aliasque Academias invisit. Relictâ Germaniâ Svecos adire placuit , & cum Holmiæ aliquamdiu Vpsaliæ-

Vpsaliaeque commoratus esset, Viburgum quidem ad munus scholasticum obeundum ann. 1682. fuit vocatus; postea tamen Gedanum, dehinc Regiomontum, porro Hafniam & in Hollandiam se contulit. In Fioniam tandem veniens literis commendatitiis stipatus, Scholæ Cathedralis Othoniensis Cantor & Collega ann. 1683. constituebatur, quam spatam ann. 1686. cum Rectoratu Cartemündensi permutabat, habitâ ibi Oratione valedictoriâ *de honoribus modestè appetendis*; hîc verò inaugurali, *de otio fugiendo*. Ast in flore ætatis, annum quadragesimum agens, 1700. d. 8. Augusti obiit.

Scripta ejus Medica, Philosophica, Historica, Physica, Chronologica, Mathematica, Musica, in lucem publicam, si superstes fuisset, emittenda, recensita videre licet in Novis Literariis, scilicet ann. 1698. p. 186.; 1699. p. 24. & 116. & anno 1700. ubi p. 209. Schediasmatis, specimen *de eruditis Mulieribus Danie* exhibentis; p. 253. Observationis *de Anseri monstroso tribus rostris nato* & p. 333. Schediasmatis, *de antiquitatibus quibusdam in tumultis veterum Fionensium circa Cartemündam & vicina loca effossis*, mentionem fecimus.

FLENSBURGI.

In Celsissimo Judicio Provinciali nupero sequens species facti typis impressa distributa fuit: Umständliche Erzählung der Sachen sich enthaltend / zwischen Tit. Hn. Hans Heinrich Baron von Kielmannseck / angemasten Retrahenten und Citanten, an einem; und Tit. Hn. Adrian von Temming / Königl. Majest. zu Dennemarck Norwegen ic. bestalten Raht / auff Rohövet / Citanten / am andern Theile / cum rationibus dubitandi & decidendi, in puncto angemasten Beyspruchs an das Adel. Guth Rohövet im Herzogthum Schleswig belegen / cum adj. sub lit. A.B.C.D.E.F. G.H.I.K.L.M.N.O.P.Q. (plag. 17. in fol.) Status controversiæ hic est; an *Filius major factus retrahere possit allodium, quod pater ab extraneo emerat, & iterum, præcedente publico proclamato, vendiderat*? Negativam partis Citatæ Advocatus D. Jönsen defendit,

fendit, in illaqve *Sam. Stryckium*, cum Facultate *Hallensi & Francofurtensi*, in duobus Responsis assentientem habuit.

SLESVIGÆ.

Laurentius Eckstorff Typographus quarta vice edidit *Ordinationem Provinciale* sequenti titulo: *Schleswig-Holsteinische Land Gerichts-Ordnung / wie dieselbe im Nahmen Ihro Königl. Majest. zu Dennemarck / Norwegen ꝛc. und Dero zu Schleswig-Holstein ꝛc. Hoch-Fürstl. Durchl. als beyder regierender Herren der Herzogthümer Schleswig-Holstein ꝛc. zu Beforderung der Justitz anno 1636. revidiret und publiciret / jeso zum vierdten mahl auffgeleget / mit vielen constitutionen und edicten vermehret / corrigiret / und in Paragaph. eingetheilet / und mit marginalibus illustriret. Nebst angeführten Landes-Matricul und ausführlichem Register. 1702. (in fol. 8. alphab.; in 4to autem 4. alphab.)*

KILONII.

D. Joh. Ludovici Hannemanni

Observatio seu Meletema,

de partium humani corporis Sympathiâ.

Si non accuserer, ac si acta agerem, quædam de Uvulæ prolongatæ vel prolapsæ per frictionem in carpo restitutione repeterem ac adderem. Nullum enim remedium in totâ ferè medendi arte æque certum ac infallibile est, ac hæc, uvulam in suam reponendi sedem methodus. Bis, si non ter, de hoc uvulæ lapsui medendi modo in *Ephemerid. nostræ Leopoldinæ Academiæ* locutus sum. Interim *Conjux* mea creberrimè in se aliisque uvulam hoc modò in suum restituit locum. Quod si itaque quicquam inter artis Medicæ desiderata ponendum; tunc utique summo studio isthuc annitendum est, partium humani corporis inter se consensum commerciumque magnâ cum industriâ scrutemur. Magnorum Anatomicorum industriæ multum debemus, horumque laborem nemo unus gratâ non mente agnoscit. Ast quamdiu introitus ad hoc Sympathiæ palatium non patet, vix in multis morbis curandis

randis felicem methodum invenire dabitur. Quis crederet
 uvulæ consensum intercedere cum membro virili. Sanctè
 testari possum Virum quendam magni nominis mihi con-
 questum esse, sese aliquoties post coitum suâ cum Conjuge
 institutum aliquid tristis sensationis circa uvulam percepisse.
 Quæ tristis sensatio aliquid Sympathiæ mutuae cum pene ar-
 guit. An autem illa Sympathia quærenda sit vel in partium ali-
 quâ identificâ figurâ; vel quod eò pertingant nervi, horum-
 que ductus inter se conspirent; vel an potius fluidiores vel &
 fluidæ partes istuc per suos meatus parallelos ducantur, ac
 ita se invicem impellant, tradant, vel cieant, in medium
 relinquo. Quoniam talis perceptio vel titillans, vel & mo-
 lesta in instanti instar fulminis ab unâ extremâ parte corpo-
 ris ad alteram extremam transfertur. Meritò istius Sympa-
 thiæ mysterium in fluidioribus vel & fluidis, si non & forsân
 in fluidissimis partibus collocandum est. Nostro arbitrato
 salvò aliorum judiciò omnes partes nostri corporis fluidio-
 res inter se continuum contextum ac indissolubilem habent,
 non secus ac aqua, in quam si mittis lapidem, in circulos
 resolvitur. Ita autem fluidum primò cit partes rectâ lineâ
 sibi correspondentes & paralelas. Denique cit partes ex ob-
 liquò sibi respondententes. Vivimus hodiè in seculo, quò mul-
 ti nituntur naturæ Phænomena tam in magno quàm parvo
 mundo mechanicè explicare. Quorum conatus laudamus,
 ut ut hætenus infra spem & metum steterint illorum cona-
 mina. Ast hîc Rhodus, hîc saltus. In hoc Mysteriò Sym-
 pathiæ partium humani corporis ingenii sui vires Medico-
 rum summi Aristarchi experiantur. Et ita posteritas admi-
 rabitur & venerabitur nostros conatus. Hujus enim gratiâ
 hoc arboretum plantavimus, ista colligat nostri studii fructus.

Sed contraho vela!

PLOENÆ.

Liber ille vernaculus anno 1698. impressus, & in N. L.
 eodem anno, mense Martio, nobis memoratus, quem in gra-

tiam exercentium rem culinariam Coqvus hujus loci Ducalis tunc edidit, jam secundâ vice & quidem auctior prodiit sub titulo: *Neu-verbessertet Fraiteur a la mode*, welcher der delicaten und neubegierigen Welt zu sonderbahren Nutzen darleget / sein mit Fleiß zusammengetragenes und wohl-eingerichtetes Koch-Buch / worin zu finden / wie man sowol Hoch-Fürstlich- als anderer vornehmer Höfe Tafeln / nach bester Manier des heutigen Etats / mit wohl-schmeckenden Speisen galant bestellen und versehen könne / 2c. bis in die 443. Species vermehret / nebst einem Anhang von ein und zwanzig Tafeln / und deutlichen Bericht / wie die angerichtete Speisen in guter Form und Ordnung schieklich darauff in einander zu setzen / wie auch auff vieler Begehren / eine Verdeutschung der in diesem Buch vorkommenden Fransösischen und andern frembden Wörter / samt nöth- als nüglichen Register / zum andernmahl mitgetheilet von Sans Schuppen / der Hoch-Fürstl. Durchl. zu Hollstein Plöden isiger zeit bestelltem Mund-Koch. Lübeck und Leipzig bey Peter Böckmann. Plöden / gedruckt durch Tobias Schmidt / Fürstl. Hoff-Buchdrucker. 1702.

HAMBVRGI.

In Officinâ *Gothofredi Liebezeiti* sequentes libri, sumtibus ejus excusi, venales prostant, nimirum:

Bibliotheca Disputationum Theologico-Philologicarum in V. & N. Testamentum &c. collecta à *M. Jac. Frid. Wildeshausen* 1702. (15. plag. in 4to.)

Sebastiani Edzardi Prof. P. de Termino gratia ante mortem, consensu Theologorum destituto, Schediasma, quo ferè 200. loca Theologorum illustrantur & vindicantur. 1702. (7. plag. in 4.)

Ein ausführlicher Tractat vom Philosophischen Werck des Steins der Weisen durch eine Jungfer E. H. genandt / anno 1574. geschrieben. Worinn nicht allein die wahre *Materia* desselben wohl-vernehmlich entdeckt / sondern auch die Handlung seiner Bearbeitung treulich angewiesen wird. Dabey angefüget ein Catalogus librorum Cabalisticorum. Hamburg 1702. (7. plag. in 8.)

Ibid.

Ibidem etiam, *Gothofredo Libernickel* impensas subministrante, alia prodire scripta, qvalia:

D. Johannis Riemeri, Superintendententis Hildesiensis *Explicatio Orationis Dominica*, seqventi modo inscripta: *Der Kinder Gottes Haupt-Schlüssel zum Himmel und Herzen Gottes / darunter das höchstheilige Vater Unser / das Kern- und Grund-Gebet aller Noth / zu nüglicher Erbauung in allen Ständen treulich / Schriftmäsig und rechtgläubig erkläret hat D. Johannes Riemer / Superintendentens zu Hildesheim. Hamburg 1702. (3. Alphab. in 8.)*

Porro libellus Menanti, cujus superiori Mense Februario meminimus, varias, jucundas pariter ac veras, amoris historias proponens; titulus ita legitur: *Die verliebte und galante Welt / in vielen annehmlichen und warhafftigen Liebes-Geschichten / welche sich in etlichen Jahren hier in Teutschland zu getragenen Curieusen Gemühtern zu beliebter Ergezung ans Licht gestellet. Hamburg / 1702. (13. plag. in 8.)*

Item ejusdem Auctoris Liebenswürdige Adalie / in einer annehmlichen und warhafftigen Liebes-Geschichte der galanten Welt zu vergönnter Gemühts-Ergezung heraus gegeben. (1. Alphab. 6. plag. in 8.)

Præter hætenus recensita quoque sæpe antehac laudatus *Johannes Schultz* evulgavit *Continuationem Exercitii sui Catechetici*, in quo, sicut superiori anno 1701, mense Augusto p. 352. notavimus, discipulos suæ curæ commissos *ex Psalmis 5. 6. & 7.* tum in vocabulorum non punctatorum lectione, tum in sollicitâ eorum ad analogiam fidei interpretatione erudivit. (2. plag. in 4to.)

RACEBURGI.

Johannes Wigandus à Laffert, Consiliarius Luneburgi orbi erudito communicabit Scriptum quoddam, Luneburgi sub prelo Kelpisiano sudans, seqventis tituli: *Semi-Centuria Relationum Criminalium*, sive, *Peinliche Fälle / deren Ver-*

lauff/ Erörterung und Abhelfung in kurz-verfaßten Berichten der Durchl. Herrschafft vormahln unterthänigst vorgestellet worden/ samte einigen dahin gehörigen Responsis und Sententiis.

LVBECAE.

*Francisci Wörgeri Scholion
ad ridiculam quandam observationem
de cantu galli gallinacei.*

Cornelius Mussus T. I. conc. de nativitate Domini edit. latinae q. 45. hæc verba ponit: Non est unquam auditus strepitus gallorum tantus, quantus in hac beata nocte: inusitato suo cantu orbem universum gaudio atque admiratione impleverunt. Indignum istud prorsus deputassem quod notaretur, nisi similia in casibus tamen multò vilioribus memorassent Historici: Georgius enim Strigenitiuus in Praefatione Gallicinii auctor est, anno 1558. cum multi parochi propter turbas à Strigelio excitatas ex officii statione in exilium agerentur, infantulum vix hebdomadas quinque habentem tribus sibi succedentibus noctibus exerte prolocutum. Hei, Hei, Hei, quo fugimus? istamve exclamationem singulis vicibus semper gallum gallinaceum suo confirmasse cantu. Zu Mustviel bey Egolffstein auff dem Gebirge anderthalb Meil von Grafenberg gelegen / im Jahr Christi 1558. hat ein Kind um Mitternacht nachfolgende Worte klärlich und deutlich geredt: *Ey / Ey / Ey /* wo solln wir hin? wo solln wir hin? Und soll / wann diese Worte drey-mahl geredet / der Sahn allewege darauff zu krähen angefangen haben. Worauff viele Prediger welche als wackre Hanen ihren Halß getrost auffgethan wider die Erklärung Strigelii, domahln ihrer Dienste entsezt und ins Elend sind vertrieben. Similiter *Wolffius sine Tomi secundi memorabilium refert, Joachimum II. Brandeburgicum contra Turcas Imperatori adduxisse exercitum auxiliarem 1100. Equitum, & Peditum 4000., ac cum iter fuisset ingressus, gallos vix ante biduum natos leta acclamatione totum diem cecinisse. Hæc talia posse malos Spiritus veluti turbatores pacis patrare, largior historicis, sed quid ejusmodi*

modi ludicra faciunt ad sacratissimam noctem, qua natus est Salvator noster? Duabus tantum rationibus hanc monachalem Mussi Bitontini Episcopi nœniam seu legendam confuto. Nam si quis vigilantiam opponat galli, qua nunquam Solis ortum incautè patitur obrepere, sed in assidua vigilia venientem diem cantu salutatur, longè illustriores vigiles constituit Dominus, Pastores nempe omnes Bethlemiticos à cœlitibus ipsis ad lætitiâ istam annunciandam desuper instructos. Adversatur igitur humili nativitati Salvatoris fastus galli atque pompa per erectum collum ipsosque adeo pedes diffusa, deinde rostrum ad inferendos ictus lancinandumque hostem acuminatum, unde & veteres bellicam hanc avem in belli signum adoptarunt (quod ex antiquitate illustrare hic non vacat) juxta Jambum Græcum.

Ἄλεκτρον μὲν τοι γε νικῶν τὴν μάχην
Σφριγᾶ τε καθαρῶς καὶ τοβῆι καὶ τέρεται

*Victor dnello voce gallinacens
Gestique fastum prodit insolentia.*

Hoc igitur duplici nomine exploditur gallorum cantus in nocte nascentis Domini, neque enim aliàs fieri posse atque etiam esse factum imus inficias, dum & locuti sunt galli, sed uti nobiscum Vossius *de Idololatr.* sentit, fraude *Dæmonum*, notumque fuit ipsis gentilibus. Istud testatur Plinius *nat. Histor. lib. 10. cap. 49.* Lucianus itidem *Tom. 2. p. m. 593.* ἐνθρωπίνως ἐλάλεσεν ὁ ἀλεκτρυών. In magnâ quidem versatur commendatione peregrinarum à remoto cœlo avium pulchritudo, gemmata nimirum pavonum cauda, smaragdinus psittaci viror torque distinctus miniato, crocea Indici corvi penna coeruleo discrimine, nostrarumve punica columbarum colla auro & argento interlucente radiantia, attamen, si verum dicere volumus, nulla avis gallo gallinaceo decerior, sicut eam describit in *Rusticô* Angelus Politianus,

- - Cui vertice purpurat alto
Fastigatus apex, dulciq; errore corusca
Splendescunt cervice coma, perq; aurea colla
Perq; humeros it pulcher bonos: palea ampla decenter
Albicat ex rutilo.

Deinde ipsa pugnacitas galli adversatur pacifico adventui Salvatoris, sicut externus splendor ejusdem humilitati. Devicto enim hosti insultat, jacentem pedibus calcat, infestisque mucronibus lancinat, imò convellit insuper moribundum rostro, scindit pectus, collisoque ac lacerato capite cerebrum dispergit, neque minus ostentator gloriosus quam præliator crudelis profligato hoste triumphum cantu celebrat, rei que fortiter gestæ victoriam canit. Ut de salacitate atq; aliis vitiis nihil addam explodendæ Cornelii Mussi futili legendæ, fatis jam satis videor hanc excussisse ridiculam sententiam.

Haud ita pridem, Mense Januario sc. anni currentis 1702. mentionem fecimus libri cujusdam posthumi B. D. *Augusti Pfeifferi, Nuptialia* dicti; jam iterum alius Scripti ejusdem Auctoris, Berolini sumtibus *Job. Christoph. Wapen* impressi, meminisse juvat, cujus titulus ita sese habet: *Augusti Pfeiffers / S. S. Theologiæ D. und der Lübeckischen Kirchen höchstverordneten Superintendentis Anti - Papiasmus è Catechismo γνησιως demonstratus, oder Gründlicher Bericht / wie die Papiistischen Grund: Irrthümer auch ein Einfältiger aus dem kleinen Catechismo Lutheri deutlich erkennen / Sie mit ihren Aufschüchtern richtig widerlegen / und sich davor in Lehr und Leben gebührend hüten oder so er irgend etwas davon angenommen / solches nach desselben Anleitung ablegen kan. 1702. (17. plag. in 8.)*

Sequenti modo in hoc Scripto procedit, ut (1) dilucide explicet quodvis Catechismi caput; (2) Ex hoc ipso errores Pontificiorum circa explicatam partem maximè notabiles refutet; & denique (3) disquirat, annon fortè inter Lutheranos reperiantur Pseud-Evangelici Papizantes.



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Aprili MDCCII.

ROSTOCHII.

Die 26. Febr. Rector Academiæ *Joh. Barnstorffius* Civibus suis programmate publico *patientis JESU imaginem* repræsentavit. (1. plag. in 4to)

Die II. Martii *Zacharias Grapius*, S. Theol. D. Phys. ac Metaph. P.P. & ad ædem Cathedralem V.D. Minister, Dissertationem Philologicò-Metaphysicam, quæ specimen *Metaphysica Biblica* exhibet, examini publico submitit, Respondente *Johanne Henr. Zyllo*, Parchimo-Mecklenb. S.S. Theol. Stud. (plag. 2½ in 4to.)

Dissertationis hujus §. 1. Philosophiæ, & in specie Metaphysicæ, Ofores, Dan. Hoffmannum sc., Wenceslaum Schillingium, Valentinum Cremcovium, Gvilielmum Amesium, Robertum Barclajum, William Caton, Christianum Hoburg, Pietistas, aliosque sub fictitiis nominibus latentes, eorumque Refutatores memorat, & §. 2. Metaphysicæ usum in Theologiâ præcipuè haud exiguum esse asserit, adhæc §. 3. tres abusus se insinuantes rejicit; Hinc §. 4. quis Metaphysicæ in Theologiâ & in interpretandø S. Codice sit usus ostendit, insuper ad Danhauerum, Pfeifferum, Joh. Bened. Carpovium remittens; Postea §. 5. dicit, extare quidem Logicam, Grammaticam & Rhetoricam, Physicam, Ethicam, Politicam Sacram; non autem Metaphysicam Biblicam ex professo tractatam, quam proinde exoptat, & quomodo illa Christiana s. Biblica dicatur, explicat; §. 6. Porro disquirat: *Quamnam Philosophiam Spiritus S. habeat? Vtrum Platoniam, an Aristotelicam, aut quamnam aliam?* Hæcque breviter
 N dedu-

deducuntur & deciduntur; nec minùs §. 7. tres regulas circa Metaphysicam Biblicam conscribendam observandas tradit; §. 8. autem hætenus dicta exemplis quibusdam Biblicis illustrat, & quidem (a) vocabulò Entis, ejusque oppositò Non-Entis; §. 9. (β) ex Cognatò Entis, quod *τὸ Ἔστι*; §. 10. (γ) Attributis Entis *unitis*, & quidem (1) Unius; §. 11. (2) Veri; §. 12. (3) Boni; §. 13. (4) Attributis quibusdam *disjunctis*; §. 14. (5) Exemplo quodam ex parte speciali Metaphysicæ deprompto; tandem §. 15. Vfus Metaphysicæ Biblicæ mentionem facit, & denique §. 16. Epilogum subjungit.

Die 18. Martii *Rektor & Senatus Academia* Programma publicavit, quo Studiosi admonentur, ut, quoniam eodem die 18. Martii Serenissimus Princeps & Dominus, Dn. FRIDERICVS WILHELMVS, Dux Mecklenb. Regens, Acad. Cancellarius Magnificentissimus, præsentiam suam urbem Rostochiensẽ primam vice esset dignaturus, ipsi quoque omni elaborarent studio, ut præsentiam Principis reveriti, omnem petulantiam & impudentiam, omnesque nocturnos tumultus penitus detestentur.

Die 19. Martii D. *Joh. Barnstorff*, P.P. hodiè Acad. Rektor, Programma aliud (2. plag. in fol.) quo Patres, Cives & Fautores Reipubl. literariæ ad Actum Oratorium invitavit, seqv. die 21. Martii adornandum, quo Principi Serenissimo jam laudato, de primo eoque splendidissimo in urbem suam Rostochium ingressu, communi Univerſitatis nomine *Vernaculo Carmine* gratulaturus erat paulòpost nominandus.

Eodem die 19. Martii universa Studiosorum cohors in honorem altè memorati Serenissimi Ducis, præcedente die 18. maximo Militum, Equitum & Ministrorum comitatu Rostochium ingressi, concentum musicum satis splendidum instituit: *Carmen gratulatorium* in pulvinari holoserico rubro fimbriis aureis circumdato oblatum, super albumi sericum aureis literis impressum, & argenteis columnis fimbriisque aureis circumfutum erat.

Die 20. Martii de nocte per totam civitatem domus Academicæ & Professorum & Senatorum, Civiumqve plurimorum luminibus illustrabantur & emblematicis ornabantur, qualem sanè illuminationem Rostochium primis ab incunabulis suis vix vidit. Nam à tempore HENRICI pingvis, Ducis sui, ultra duo sæcula, terra Mecklenburgensis non vidit Principem, qui solus jure suo Ducatus Megapolenses obtinuit: undè & primum antiquæ potentix Mecklenburgensium Restauratorem novo lætitiæ & submissionis signo excipiendum esse Rostochium judicavit.

Die 21. Martii *Joh. Petrus Grimenberg* / S. Theol. D. Profess. P. Duc. Consiliar. Consist. & Distr. Mecklenb. Superintendens, communi Vniversitatis nomine Serenissimo Duci ERIDERICO WILHELMO, cum Dn. Fratre CHRISTIANO LVDOVICO omnibusqve Consiliariis & Ministris præcipuis, augustum præsentix splendorem Auditorio maximo largienti de primo hoc eoqve fortunatissimo in urbem Rostochium ingressu inter applausus Musicos *Germanicâ Oratione ligatâ* gratulatus est.

Die 22. Martii Præsentibus denuò *Serenissimis Principibus* jam memoratis in Auditorio majori, sub Præsidio *Joh. Joachimi Schöpfferi*, V. J. D. Profess. Publ. & Comit. Pal. Cæs. nec non Consist. Ducal. Assessoris, Dissertationem Juridicam, de *Venatione Superiori von der hohen Jagt - Gerechtigkeit* / habuit *Jens Christoph von Lehsten* / Eqves Mecklenburg. Autor & Respondens. (pag. 5. in 4to.) Postquam in Præfamine probavit venationes DEO quidem non invisas, eas tamen Clericis non æqvè ac Principibus, & illis qui superioritate territoriali gaudent, licitas esse in Dissertationis *Cap. I* quod de *Venatione superiori in genere* agit, exhibet vocabuli *Venationis* Etymologiam, Homonymiam, Definitionem, Divisionem, vel in majorem & minorem, vel ex modo venandi, in illam, quæ fit canibus, & quæ bombardis, &c. vel ab objecto, in

venationem aprorum, cervorum, &c. *vel* ratione Concessionis, in perpetuam & precariam, denique in realem & personalem; *Cap. II.* docet *Cui nam competat venatio superior*, nempè hodie tantum illis, qui territorii Domini sunt, & quibus hi venationem expressè vel tacitè concesserunt; *Cap. III.* agit *de effectu venationis majoris*, qui consistit in facultate venationis actum pro lubitu instituendi, nisi quis lege, vel conventionè prohibeatur, *item* jus subditos cogendi, ut servitia præstent venatoria &c. Tandem addit quæstionem: *An Princeps venationem majorem capitali supplicio munire possit?* & sibi videri ait Auctor distinguendum esse: An Princeps huic delicto, qui cervum vel aliam bestiam in Principis sylvâ clam venatus, vel furatus fuerit, capitis pœnam expressè imposuerit; an verò extraordinairè talem furem puniendum esse mandaverit. Priori casu, si pœna capitalis publicè constituta sit, & clandestinus venator vel fur sciverit, vel facile scire potuerit hanc pœnam, juste capitis pœnam imponi posse.

Die 23. Martii *Andr. Daniel Habichborst*, S. Theol. D. ejusdemque P.P. & Consil. Consist. Mecklenb. suæ Facultatis, & Collegii Ducalis Professorii totiusque Vniversitatis Senior, Eidem Serenissimo Principi, Dn. FRIDERICO WILHELMO, loco gratulationis inscriptum exhibuit *Tractatum Germanicum Anti-Papisticum*, jam ann. 1698. Mense Novembri in N. L. memoratum, sed hætenùs per alia negotia tam Auctoris, quàm Typographi impeditum, quò minùs plenè citiusque exprimeretur. Tractatu hoc duodecim dilemmata Jesuitica, sub titulò: *Zweystößigen Maurbrechers Lutherischen Irrgeistes* / ante aliquot annos edita, nuperque ad seductionem Lutheranorum repetita, solidè refutantur, sub rubrica: *Dreystößiger Stürmer des verführischen Jesuwiedrigen sogenannten Zweystößigen Maurbrechers Lutherischen (fälschlich sogenannten) Irrgeistes / welchen allen Evangelisch-Lutherischen Christen / da leyder bey Hohen und Niedrigen der Jesuwiedriger Irgeist sich zu*
inli-

insinuiren trachtet / zur Warnung / sich für desselben / als von der alten Apostolischen Kirchen weit abgewichenen Lehre / fleißigst zu hüten / Amts / Eifers und Gewissens wegen übergiebet Andreas Daniel Sabichorst. D. (plag. 10. in 4to.)

Die 24. Martii D. *Albertus Joachimus de Krakevitz*, Catech. Christ. ut & Hebr. Lingv. P. D. P. Disputationem Philologico - Sacram *Sepulchra Patriarcharum* exhibentem, præfente Sereniss. Ducis Regentis Fratre Dn. CHRISTIANO LVDOVICO, Eruditorum examini submisit, Respondentis munere functus est *Joh. Ludolphus Tidemann*, Bremensis. (2. plag in 4to.) Omnem hanc tractationem in duas dispescit Sectiones: In *priori* variorum recenset sententias; in *posteriori* autem exponit mentem suam tribus positionibus Apologeticis pro Stephano, N. T. Proto-Martyre, ejusque concisa de sepulchris Patriarcharum narratione, quæ habetur Act. VIII, 15. 16. contra R. *Isaacum*. Positiones illæ sunt hæc: (1) *Stephanus* dicendo: *Jacobum* translatum esse in *Sichem*: nequaquam erravit. (2) *Non est a veritate alienum*, quod *Patres*, i. e. *capita tribuum sepulti sint in Sichem*. (3) *Quoad emtionem agrorum ab Abrahamo & Jacobo diversis temporibus factam*, nulla est *Mosen inter & Stephanum pugna*.

Die 28. Martii *Natalem Serenissimi Principis cum Dn. Fratre suo* aliquoties nobis laudato in Auditorio majori præfentis, Oratione Germanicâ solutâ inter concentus *Muficos* celebravit *Henr. Christ. Tiedtke* / J. V. D. & Oratoriæ Prof. prævio Programme Germanico à se conscripto i. plag. in fol. constante.

Eodem die 28. finito Actu Oratorio jam dicto, in præfentiâ *Serenissimorum*, Dissertationem Juridicam de *Apertura Regali*, sub Præsidio paulo antè memorati *D. Joh. Joach. Schöpfferi*, in honorem Ejusdem Natalis proposuit Autor *Conradus Detl. de Plesse*, Eqves Mecklenb. (plag. 4½ in 4to.) Ita tractationem instituit ut in *Cap I. de Apertura Regali in genere* agat, tradendo

tradendo Nominis *Apertura* Etymologiam, Homonymiam, Synonymiam, & Definitionem realem. Porro, quid vox *Regale* denotet, exponit remissivè, deindè jus *Aperturæ* ad Regalia majora refert, & tandem originem *Aperturæ* Juri Gentium adscribit. *Cap. II.* monstrat, quod hoc Jus *Apertura* competit soli superiori, & cui hic jus illud specialiter concesserit. Adhæc quæstio satis ardua ventilatur: *An Imperatori jus Apertura in castris Statuum Imperii competit?* & certis conditionibus præsuppositis affirmatur. Idem jus quidem Pontifici in Ecclesiis Romano-Catholic. non Protestantium; etiam Episcopis, imo & Capitulo; Principi item in castris apanagiatis, nec non in illis dotalitii jure in Viduam translatis; non verò Augustæ, vel Ministro Principis, nisi huic certa quadam ratione, competere docetur. *Cap. III.* *Effectus juris Apertura* recenset, quales: (1) *Subditi Domino territorii, apparatu festivo, obviam procedere tenentur.* (2) *Princeps solenniter introducendus est.* (3) *Post felicem ingressum submissâ gratulatione excipiendus.* (4) *Subditi varia lætitiæ signa, de felici adventu Principis sui, edere debent.* (5) *Offerre debent claves civitatis, vel castelli.* (6) *Principi advenienti, totiq; ejus Comitatus, de commodo hospitio prospiciendum* (7) *Jus Albergarie, i. e. jus exigendi alimenta.* (8) *Magistratus civitatis, vel castelli Principi territorii & Munitiones & Tormenta, & Apparatum Bellicum, Militemq; prædianum ostendere, ac lustrandum exhibere tenetur.* (9) *Civitas, & Castellum Domino territorii permittere tenetur, ut suo sineveatur milite.* (10) *Civitas vel Incola obligati sunt Principi abituro Angarias præstare.*

Eodem Die Natali M. Job. Ehrenfried. Pfeiffer, Augusti filius, Carmen vernaculum, quod in Auditorio majori recitaturus fuisset, nisi geminus præcedens actus id impedivisset, Serenissimo Ipsi, in palatio Ejus ante hos Actus exhibuit. (plag. 3. in fol.)

GVSTRO VII.

Die 28. Martii Natalem Serenissimi Principis FRIDERICI

CI WILHELMI & hic celebraturi septem Alumni Gymnasii, Orationibus inter concertus Musicos Serenissimo gratulati sunt, prævio Programmate I. plag. in fol. *Joach. Ottonis*, Gymnasii Rectoris.

GRYPHISWALDIÆ

Mense Febr. prodiit *Catalogus Operarum Academicarum*, in quibus ad Festum Trinitat. usque anni præsentis 1702. omnes & singuli Vniversitatis Professores occupati erunt; ex illo etiam simul moderna Academia hujus facies elucescit, in qua hoc tempore docent:

In Facultate Theologica.

Jo. Frid. Mayer, D. Profess. Primar. Acad. Pro-Cancell. & h. t. Rector.

Jacobus Henning, D. Prof. P. & Pastor Jacobæus.

Nicolaus Daffovius, D. Prof. Ord. atque ad D. Mariæ Pastor.

Brandanus Henricus Gebhardi, D. Theol. Prof. Ord.

M. Joh. Stephani, S. S. Theol. Prof. Extra Ord. Archi-Diac. ad D. Nicolai.

M. Theodorus Pyl / ad D. Nicol. Verbi Minist. & S. S. Theol. Prof. Extra-Ord.

M. Michael Lobes / S. S. Theol. Prof. Extra Ord. Eccles. Mar.

In Facultate Juridica.

Petrus Mascou, V. J. D. & P. P. nec non Consist. Regii Director.

Conrad Friedlieb von Friedensberg / Jctus, S. R. Majest. Sveciæ Justitiæ. Consil.

Alexander Caroc, Jctus & Consiliarius Regii Dicasterii, Pandect. Profess.

Nicolaus Michaëlis, J. V. D. Consul, & Professor Honorarius.

Jacobus Baltzer, V. J. D. Prof. Honor. & Reipubl. Syndicus.

Johannes Schack / J. V. D. Jur. Publ. & Feudalis Prof. Ordin. Consistoriiqve Regii Assessor.

H. C. Gerdesen, J. V. Lic. Instit. Prof. Publ.

In Facultate Medica.

D. Matthæus Clemasius,
Caspar Warch / Med. Doct. & Prof. Ord.

In Facultate Philosophica.

M. Christianus Saalbach / Poëtic. ac Orator. Prof. Ord.
D. Brandan. Henr. Gebhardi, Lingv. Orient. Profess. Ordini;
suprà laudatus.

Jö. Philippus Palthenius, Jur. Nat. & Gent. ut & Histor. Prof.
Ordinar.

M. Theodorus Hornius, Log ac Metaphys. P. P.

M. Nicolaus Köppen, Prof. Extra-Ord.

M. Matthias Lobetantz, Philosoph. Historiæqve Literariæ
Prof. Extra-Ordin.

M. Jeremias Papke, Mathematicum Prof. P. Extra-Ordinar.

M. Michaël. Richey, Philos. Prof. Extra-Ord.

Eodem Mense lucem vidit Dissertatio *Carolina, Scriptores Pontificios, qui Catalogos Commentatorum in S. Scripturam vulgarunt, exhibens, & hanc sub Præsidio D. Jo. Frid. Mayeri, Profess. Prim. Facult. Theol. Decani, Acad. Pro-Cancell. & h. t. Rectoris defendit Ludovicus Jacobus Dithmarus, Rëgiom. Borussus. (2 plag. in 4to.) Refert autem illa sequentes Scriptores (1) *Sixtum Senensem cum Notgerò. (2) Antonium Possevinum. (3) Angelum Roccham. (4) Fabianum Justinianum (5) Andream Schottum. (6) Antonium Sanderum. (7) Jacobum Pamelium. (8) Bibliothecam Jesuicam Alegambii. (9) Hispanam Nicolai Antonii. (10) Catalogos Thuane aliarumq; Bibliothecarum. (11) Ludovicum Jacobum à S. Carolo, & (12) Richardum Simonem.**

Die 15. Febr. Disputationem *Carolinam, quæ Argumenta quædam Juris Publici de Capitulatione Imp. Rom. Germ. ex suffragiis omnium Imperii Ordinum concipienda; & de ejus perpetua formâ, sistit, Præside Johanne Schack / J.V.D. Prof. P. Ord. & Reg. Consist. Assess. defendit Petrus Haselberg / Bard. Pomeranus. (plag. 2. in 4to.)*

Die

Die 19. Febr. D. 70. *Frid. Mayer*, Lipsiens. Prof. Primar. Acad. Pro-Cancellarius, & h. t. Rector, ad Orationem inauguralem à D. *Nicolao Michaëlis*, Professore & Consule Gryphico, de *Officiorum cumulatione*, habendam O. O. O. Auditores invitavit. (2. plag. in 4to.) In hoc Programmate primum agit de *Henrico Rubenovio*, Academiae Primo Rectore & Procancellario, Professore & Consule Gryphico. Deinde disquirit, *utrum Professorium ac Consulare munus in una personâ coniungi possint?* & hoc dum affirmat, non solum objectiones quasdam removet; sed etiam binis illustrioribus exemplis assertum suum confirmat; alterum præbet B. *Sigismundus Finckelthausius*; alterum *Jacobus Bornius*, hodiernum superstes, ambo in inclutâ Lipsiâ Professoriâ & Consulari dignitate conspicui. Tandem Professoris Novitii *vitam* describit, quam ille accepit Stralesundæ ann. 1645, d. 19. Septembr. à Patre *Nicolao Michaëlis*, Tundera-Holsato, qui mirâ longævitate annum nonagesimum attigit. Quum in Scholâ Patriâ & Lycæo Stadenſi studiorum fundamenta probè jecisset, Academiae Francofurtanæ nomen dedit, ibiqvè Præside *Samuele Stryxio* tres Dissertationes Juridicas defendit, alteram de *Datione in solutum* ex Nov 4. c. 3. & reliqvas super *Institutis*, argumento ex *Brunnemanniis ad Instituta Exercitationibus* deprompto. Quadriennio hîc absoluto ann. 1668. Gießam Hasforum adiit, & duabus Exercitationibus feudalibus in publicum emisſis, sequenti anno 1669. Argentoratum, ubi etiam in Cathedrâ Academicâ visus est, sub Præsidio *Rebhamii de relaxatione à juramento præstito* disputans. Domum hinc quidem reversus, sed post Parentis obitum Gryphiswaldiam concessit, atqve ann. 1671. *Gradum*, quem vocant, *Licentiæ*, habitâ Dissertatione inaugurali de *Deterioratione*, suscepit, & Professioni Juris Extra-Ordinariæ admotus fuit. Postea per aliquot annos tam *Gustrovii*, quam *Stralesundæ* degit, donec *Gryphiswaldiam* repeteret, ibidemqve ann. 1679. *Se-*

nator, & ann. 1686. Consul eligeretur, cui dignitati nuper admodum Professio Honoraria accessit.

Edidit

Tractatum de *Deterioratione*, 1695.

Dissertationem supra laudatam, de *relaxatione à juramento praestito*, cum additamento, de *pseudomemo ac fallaci juramentorum interpretatione per reservationem mentalem*.

Ipsò procurante extant

Commentaria Matthia Stephani ad Novellas, tertiâ parte auctiora, unâ cum notis *Brunnemanni* antea ineditis.

Publico adhuc parat

Matthia Stephani Dialecticam juridicam multa sui parte ex *B. Autoris* autographo locupletiolem, locisque Topicis non paucis auctiolem.

Die 20. Febr. modo dictus *D. Nicolaus Michaëlis*, Professionem Honorariam Oratione Initiali de *Cumulatione Officiorum*, s. *Officii duplicitate*, aggressus est, eamque præmisit lectionibus suis ordinariis eodem die à meridie publicè habendis. Implet 2½ plag. in 4to. In hac nominis officii Etymologiâ & significatione investigatâ, sequentem quæstionem præcipuè tractat: *Annon aut Academia, aut Civitatis status detrimentum patiatur, si ex Collegio Senatorio in Professorum numerum unus vel alter cooptetur, & utriq; Corpori illas utriusq; juribus inservire licitè queat? & Negativâ rejectâ affirmativam adstruit sententiam.*

Die 23. Febr. *D. Jo. Frid. Mayer*, Profess. Primar. h. t. Rector, & Consistorii Regii Præses, juxta tenorem §. 15. Ordinationis illius in emolumentum Academiae Gryphicæ evulgatæ & superiori mense Martio p. 63. seqq. insertæ, Consistorium in gratiam Studiosorum ex illorum ordine constituit, & convocavit, ex quo exposcit sententias, quid de hoc statuendum sit casu? *Titius* Pastor in *Ustenhoff*/cum ex errore panem tantum in administratione Cœnæ, non autem Vinum consecrasset, tamen distribuit, quæritur: (1) *Num vera fuerit*

fuerit Cæna? (2) *Quid cum Communicantibus illis agendum, num admissi erroris sint monendi & de novo ad veram S. Cæna sumtionem invitandi?* (3) *Quali pœnâ Pastor puniendus?* Omnia hæc retulit *Christianus Ernestus Krull*, Affessoribus *M. Matthiæ Loberantz*, Profess. Extra-Ordin. *M. Gregorio Langemak*, & *Joach. Christian. Balzer*, suffragia horum excipiente & Responsum formante *M. Jeremiâ Papke*, Prof. Extra-Ord.

Die 1. Martii Præses *Christianus Saalbach* / Poëtic. ac Orator. Profess. Ord. FCtis Philosophicæ Senior, & Acad. Bibliothecarius, & Respondens *Johannes Christianus Bartels* / Palæo-Sedinensis, Philos. & Theol. Studiosus, publicè proposuit *de Numero Oratorio*, Schediasma Rhetoricum. (plag. 3. in 4to.)

Die 8. Martii *D. Jo. Frid. Mayer*, Profess. Primar. Superint. General. Consistorii Regii Præses, Academiæ h. t. Rector, & FCtis Theolog. Decanus, supra dictâ ratione Consistorium constituit, illudque Studiose Juventuti ejusdem Academiæ intimavit,

Die 9. Martii *Gryps cecinit exequias*, h. e. ad maximi olimt & proh ultimi è Gryphicâ gente Pomeraniæ Ducis, BOGISLAI XIV. Parentalia, proximo die 10. Martii ab Eloquentiæ Professore, *M. Christiano Saalbach* / oratione exequiali celebranda, gratiæ insignis memor *Academia Gryphica*, Fautores atque Cives suos publico Programmate invitavit per *Jo. Fridericum Mayerum*, D. h. t. Rectorem (1 plag. in 4to.) Quo ipso Gloriosiss. memor. Ducem d. 10. Martii anno 1637. viventium numero ereptum, & d. 25. Maji 1654. tumulo illatum esse tradit, simulque è *B. Micralii* Programmate, in funere BOGISLAI XIV. posito, causam, quare signo Gryphis usi fuerint Pomeraniæ Duces, sequentibus exprimit verbis: *Gryphicam familiam vocamus, quia in vexillis & aliis imperii Pomeranici ornamentis emblemate Gryphorum usa est: Emblemate, inquam, quia non putandum est, dari in rerum naturâ tales Gryphos, quorum*

pars prior figuret Aquilam, postrema transeat in Leonem. Non ita, sed qui Gryphos in insignibus suis pingi curabant, eo ipso tanquam typo generositatis & fortitudinis voluere innuere, quum aquila inter aves, & leo inter quadrupedia quasi reges sint, sibi ad res fortiter gerendas opus esse aquilinâ celeritate & robore leonino. Porrò memorat quædam de rei literariæ, & imprimis Academiæ Gryphicæ, amore, qui in BOGISLAO erat, è dotationis instrumento verba affectu teneriore plenissima eum in finem afferens, & proindè hortatur efficiat, quantum in se sit, ne BOGISLAI unquam nomen intermoriatur. Tandem his claudit verbis: Vale amice Lector, Pomeraniæ Civis, & eam vita rationem tibi ineundam puta, ut singulis non diebus solum, sed horarum momentis memoriam id tuam subeat: Gryps canet exequias!

Die 15. Martii *D. Nicolaus Michaëlis*, quem paulò ante laudavimus, *Breviculum judiciale*, quod instar instructorii pro rite formando judicio ad casum practicum legitimè proponendum, ventilandum & dijudicandum, proposuit, & Studiosos, practicæ scientiæ cupidos, ad hoc præexercitamentum programme invitatorio exoravit.

Vt igitur B. L. eò exactius constet de modo, quo laudabiles hosce labores practicos etiam Juris Professores instituunt, haud abs re fore judicavimus, si hanc unicam exhiberemus Sciagraphiam judicalem:

Dn. Judex Ordinarius wird von *Cajo* imploriret / daß / da er wieder den *Sempronium* Klage zu führen genothbringeret wurde / derselbe ihn damit hören und einen terminum zum gerichtlichen Verhör ansehen möge.

Dn. Judex setzet einen Tag an auff den 15. Martii läffet ad locum judicii seine Assessores cum Actuario convociren / und beyde Theile coram zu erscheinen citiren: In termino wird dieses Gerichte gesezet / partes erscheinen / und werden ab Actuario ad audientiam eingefodert. Actuarius muß ad Protocollum bringen / was passiret.

Dn. Judex eröffnet die audience, und stellet Reo die geführte Klage für / und wil die gültliche Vereingung versuchen / als selbige nicht angenommen werden wil / läffet er dem Reo seine Vertheidigung frey / und injungiret dem Actori, seine Klage ad protocol- lum zu bringen.

Actor P.P. proponiret folgenden casum, und muß Actuarius selbst ad protocollum verzeichnen.

Es habe sein Vormund in seiner Minderjährigkeit seines Vatern Haus / sonder des Magistrats consens an Beklagten verkaufft / wie er nun zu seinen voigtbaren Jahren gekommen / und er diesen seines Vormundes getroffenen Handel ihm schädlich zu seyn befunden / wolte er en respect seines Vormundes nicht sagen / daß der Kauff ob defectum consensu Magistratus an sich null wäre / sondern nur da- gegen ex *L. 5. si tutor. C. vel curator interv.*, ad restitutionem sei- nes väterlichen Erbes geklaget und gebeten haben / solchen Contract für nichtig zu erklären / auch Beklagten anzuhalten / daß er ihm sein väterliches Erbe gegen Empfang des ausgezahlten wieder raumen solle / cum imploratione officii judicis pro administratione juris & justitiæ.

Reus excipit, er bedinge gegen zudringenden Kläger compe- tentia, er hätte mit ihm nicht zu thun / sondern er ließ seinen Verkauf- ser / den Vormund dafür antworten / weils ein pupill dasjenige zuge- nehmen schuldig wäre / was der Vormund pro sua ipsi competen- te autoritate als nöhtig und nützlich gehandelt. Bedinge im übrigen qvævis competentia, wolte sich hiedurch nicht eingelassen / noch li- tem qvovis modo contestiret haben.

Actor repliciret ; Er acceptirte daß Reus den Verkauf seines Erbes von dem Vormunde geschehen nicht läugnen / weniger daß ihm ex allegata *L. 5. C. si tutor vel curator interv.* zustehende be- neficium streiten mögen / imploriret demnach officium judicis, Krafft selbigen ihn zu restituiren / sintemahl der Vormund nicht be- mächtiget nach gefallen seines pupillen immobilia zu vereuffern / sub- mittiret / nisi quid novi, und bedinget de expensis tam temere causatis.

Reus dupliciret / daß Actor nicht bemächtiget legitimum factum tutoris zu revociren / sondern müste solches allerdinges gut heißen / wolte derowegen hierüber sich durchaus nicht einlassen / hielte es nur für eine bloße Zuchtigung / erhohlet seine exception, und bittet Kläger in expensas zu condemniren und submittiret cum debita imploratione.

Hierauff werden partes vom judice angewiesen einen Abtritt zu nehmen.

Nach dem Abtritt erhohlet Dn. Judex den proponirten casum cum voto. Der erste Assessor giebt sein votum, und adtipuliret dem Judici. Der andere Assessor ist contrairer Meinunge/ Judex concludiret und restituiret Klägern *practica dict. L. 5. C. si tutor vel curator interv compensatis expensis.*

Darauff werden Partes eingefodert / und sententia concepta publiciret.

Die 22. Martii D. 70. *Frid. Mayer*, sapissimè memoratus, iterum Studiosæ inventuti publicè Consistorium indixit.

Eodem die habita fuit Disputatio *Carolina*, quâ Problema *de funere à filio vivo et viventi Parenti facto* juridicè exposuit, & publice ventilandum exhibuit Praeses *Nicolaus Michaëlis*, J. V. D. Profess. Honorar. & Consul, Respondente *Theodoro Wyl* Gryphiswaldensi. (2. plag. in 4to.)

In Praefatione docet Auctor, licet quorundam Barbarorum modus vivos sepeliendi justè à Christianis damnetur, tamen funus viventi & videnti parenti etiam hodiernum ductum approbari, & hoc, quo modo accadat, ulterius prosequitur, dum ostendit § 1. terræ motibus homines sæpè vivos tegi & sepeliri, § 2. mortuos sepelire esse quidem rem religionis, quod comprobat è *Papiniano*, *Finkelthufio* & *H. Grotio*; facinorosis & punitis autem sepulturam non contingere; § 3. diversa mortis genera recenset; hinc § 4. sistit descriptionem Problematis *de funere vivo ac videnti parenti facto* juxta *Cothmannum*, qui illud ita depingit: *Patri viventi funus facere videri filium*

filium, si ad paciscendum super hereditate suâ adigat; & § 5. exponit, quomodo funus & funeratio ab exequiis & justis differant. Postea § 6. quærit: an provocatio parentum, ad paciscendum vel dividendum, à liberis facta, sit legitima? & quo jure fieri possit, quo item modo, ut & quo successu & effectu? in hac materiâ considerat (α) § 7. jura, juxta quæ hæc funeratio, vel funeris ductio, instituenda, (β) § 8. provocantes, & provocatos, qui sunt Parentes binubi, & liberi prioris matrimonii, (γ) § 9. modum, vel formam provocandi, ubi differentia inter pacta & ipsam divisionem proponitur, (δ) § 10. & 11. effectum hujus funerationis tam quæ præsens, quàm futurum, (ε) § 12. contraria, quæ hanc funerationem cessare faciunt.

Die 29. Martii, Dissertationem *Carolinam Philologicam de Beelzebub* sub Præsidio *Brandani Henrici Gebhardi, S. S. Theol. D. ejusdemque & L. L. Orientalium Prof. Publ. Philos. Facult. h. t. Decani, Eruditorum examini exhibuit Ludovicus Jacob. Diitmarus, Regiomonte-Borussus.*

SEDINI

Die 2. Martii celebrabantur exequiæ *M. Johannis Joachimi Mülleri*, in æde Cathedrali & arcis verbi Divini Ministri, cui natale solum contigit *Wüllerslebia* in Comitatu Schwarzenburgico, & Patrem ibi habuit *Johannem Müllerum* Scholæ Cantorem. Quum ex disciplinâ domesticâ dimitteretur, primùm in Scholâ *Rudolstadtensi*, porrò in Gymnasiò *Gotthardò*, tandem in *Academiâ Lipsiensi* literis incubuit. Paulopost hunc ipsum, anno 1687. cum quorundam generosorum Virorum filiis, quibus vitæ studiorumque comes additus erat, in *Belgium* venientem Ecclesia ibi Lutherana, quæ *Winschuci* colligebatur, suum Ecclesiasten vocavit, & publicis literis instructum ad sumtus templi ædificandi necessarios ab exteris colligendos emisit. Hoc dum ageret, *Hafniam* quoque pervenit, ibidemque, præmissâ Disputatione Theologicâ sub Præsidio *D. Lassenii*, laureâ Philosophicâ exornari meruit.

Con-

Confecto per tres annos itinere ad *Batavos* quidem rediit; ast per breve tempus in novâ illâ inauguratâ æde docuit, siquidem ann. 1700. *Sedinum* evocabatur, ut in templo Cathedrali & Aulico Diaconi munus obiret, quod tamen spe citius insequenti anno 1701. d. 2. Novembris vivis ereptus, deposuit, cum vixisset 45. circiter annos & 11. menses.

REGIOMONTI

Die 1. Martii, *M. Hieronymus Voglerus*, Reg. Pruss. anno 1699. d. 17. Sept. Jenæ in Magistrum promotus, pro Receptione in Facultatem Philosophicam ad disputandum proposuit *Theses Philologicas V.* Respondente *Johanne Sigismundo Babasio*, Regiom. Pruss.

Die 15. Martii, *M. Johannes Ludolphus Loxk*, Reg. Pruss. anno 1701. d. 13. Sept. Jenæ in Magistrum promotus, pro Receptione in Facultatem disputavit *de vita ad summum bonum obtinendum necessaria*, Respond. *Paulo Rowaki*, Regiom. Pruss.

VPSALIAE

Die 15. Febr. *Zacharias Esbergius*, antehac S. R. M. à sacris concionibus, jam verò Pastor Ridderholmensis, Resp. *Andreas Lebetin*, Neric. S. Theol. Studioso, bonorum examini submitit Disputationem Theologicam de *processione Spiritus Sancti*, quæ Holmiæ literis B. Nicolai Wankifwi, J. H. Werner. Fil. impressa est. (plag. 15 $\frac{1}{2}$ in 4.)

Triadis Disputationis hujus membra facit Autor, quorum *Imum* sistit ordinem & tempus vetusti Schismatis inter Occidentalem & Orientalem Ecclesias; *Udum* tentatam Schismatis farturam exponit, & *Ultium* necessitatem hujus Doctrinæ de processione Spiritus Sancti, ipsamque Doctrinam explanat.

HOLMIAE

De Nummis MARGARETAE

Svecor. Danor. & Norvegorum quondam Reginae;

Disquisitione Nicolai Kederi,

Regii Antiq. Collegii Assessoris.

Subit sanè mirari, quod, post tam sollicitam Antiquariorum

riorum nostrorum inquisitionem, inter monetas Svecanas, Danicas & Norvegicas nulla usquam compareat, quæ certò ac indubitatè Margaretæ trium borealium Regnor. Principi queat assignari. Johannes Mullenius, qui Danicos & nonnullos Norvegicos recensuit Nummos, nullam planè Regiæ hujus commemorat monetam. Et frustra eam in Museo Regio Hafniensi, quod Oligerus Jacobæus descripsit, quæsi veris. Nota est obscœna illa ac putidissima de Reginâ nostrâ vulgi Fabula, narrata etiam præ cæteris ab Erico Vpsaliensi, Scriptore aliàs gravi & fide dignissimo, in Historiâ Svecor. Gothorumque, his verbis: *In perpetuum ludibrium & opprobrium regni monetam quondam instituit turpitudinis sexûs sui insignia præferentem.* Fabulæ occasionem aperiet nobis infra Arnoldus Hvitsfeldius. Apud nos autem illi toto, ut ajunt, cœlo errant, qui commento isto seducti eidem Regiæ exoticum quoddam monetæ tribuunt genus ex argento, inusitatâ planè Europæis Nummis formâ muliebria fermè exprimens, cum impressis tudiculâ characteribus quibusdam peregrinis, quando id ad Regnum Siam pertinere fidem faciunt Johannes Baptista Tavernerius *dans ses Voyages*, seu *in iis quibus itinera sua enarrat Commentariis*, nec non De la-Loubere in Opere *du Royaume de Siam*, i. e. *de Regno Siam.* Ex hoc quoque genere procul dubio fuit Nummus, quem ad Margaretam itidem traxit Christianus Franciscus Paullini in seiner Zeit-kürzenden erbaulichen Lust / h. e. *in fructiferâ juxta ac jucundâ vacui animi occupatione:* Im Trierischen Gebiete sind schwarze Steine gefunden worden / so eine Weiber-Schaam vorbildeten / eben wie die Münze der Königin Margret zu Dennemarck / Norwegen und Schweden / so D. Sachs zu Strassburg im Jahr 1649. bey D. Lucken gesehen hat. Denn wie sie die Könige in Norwegen und Schweden überwunden hatte / ließ sie dem Männlichen Geschlecht zur Schmach eine silberne etwas runde Münze prägen / so einer völligen Weiber-Schaam / in allem ähnlich war. i. e. *In diœcesi Treverensi lapilli colore nigro reperti sunt, formâ referentes membrum muliebre, prorsus ut nummus Margarete, Danorum, Norvegorum ac Svecorum Regine, quem*

D. Sachs Argentorati anno 1649. penes D. Luckium vidit. Namq; postquam illa Reges Norvegiae ac Sueciae devicerat, in opprobrium virilis sexus monetam argenteam, aliquantulum rotundam, omninò natura femineae similem cudi fecit. Nam quod utiqve hic Musei Luckiani Nummus ipsam formam pudenda ferè retulerit mulieris, simplicem ac genuinum verborum ipsorum sensum attendenti in propatulo est. Diversum tradidit Vir quidam Celeberrimus existimans, quod non formam, sed impressam notam Nummus hic membrum istud non sine verecundia dicendum representaret. Et perperam mihi facere videntur rei nummariae nostrae studiosi, qui in iis, quas instituunt, Nummorum Svecicorum seriebus nummulos quosdam argenteos tenues non duplici, ut alii accidere solet Nummis, sed simplici duntaxat percussos typo, ita ut nota hinc promineat extuberans, illinc verò recedat concava (cujus generis Nummi vulgò nunc *bracteati* vocantur) capiteque humano, imberbi, coronaque cincto signatos dictae tribuunt Reginae, cum ruditas operis illis temporibus haud conveniens eos longè faciat vetustiores. Adde quod caput istud pro masculino potius quam pro foemineo sit habendum, quando & alii nummuli par omninò cum his habentes metallum paremque fabricam ac magnitudinem, cum capite etiam coronato, sed barbam insuper furcatam apud curiosos, quamvis rarius, occurrunt. At quis non miretur, Martinum Aschaneum eo prolapsum esse inconsiderantiae, ut in *Collectaneo*, ceu vocat, *monetali* MS. vel talem cum capite barbato ad Reginam nostram traheret nummulum, huicque apponeret: *Drottning Margreta med tiustvat Stegg / i. e. Regina Margareta barbâ bifidâ?* Joannes Schefferus in libro de antiquis verisque Sueciae insignibus quendam Margaretae produxit Nummum majorem, argenteum, non verò percussione, sicut alii Nummi, sed arte formatum fusoria, qui unâ parte praefert primam nominis Margaretae literam, cui valor quatuor Orarum literis IV.O. additus, tresque coronae subjectae; alteram habet Epocham sic: **ANNO. MCCCXCVI. & tres Cruces.** Verum quoniam isthoc

Numisma

Numisma ipsi Scheffero falsitatis nomine meritò fuit suspectum ; *sunt enim in eo*, ceti Vir excellentissimus summaque mihi observantiâ perpetim colendus Ottho Sperlingius in Epistolâ de Nummis bracteatis & cavis ad Virum perquam Reverendum & Clarissimum Jacobum à Mellen rectissimè judicat, *multa impostura recentis indicia*, ego illud cum reliquis (quæ hic ex eadem haud dubiè prodierunt officinâ) majoribus istis fufis, partim Latinè literatis, partim *Runicis*, veterum quorundam Regum nostrorum nomina insolentiùs ostentantibus, & antiquitatis speciem quandam simulantibus jure optimo in Crucibulum damno. Huic tamen Nummo Schefferus tandem ista subnexuit : *Si quis tamen talis à Margaretâ publicatus unquam, factum id videtur certo sine, ac ad conservandam certe alicujus rei memoriam. Fortè, quod eo anno, qui notatus est in nummo, Sororis sue filium, Ericum vulgò dictum Pomeranum, curâisset eligi à Svecis etiam in suum successorem. Quia tamen sic convenientius fuerat, non Margaretæ, sed Erici nomen nummo imponi, istuc potius inclinem, ut existimem formatum in Sveciâ ad servandam ejus obitus memoriam. Mortua namq; est Margaretæ anno MCDXII. qui annus nummo inscriptus est. Vbi cum accuratæ cæteroque & cogitatæ scriptionis Vir modò annum, qui solam & veram ficti hujus & commentitii Nummi facit Epocham, videlicet M CCCXCVI. eo enim Ericus iste Rex Sveciæ electus est, modò annum M CDXII. quo obiit Regina, in nummo extare, proindeque nunc talem nunc alium Nummi cusi finem fuisse, scriberet, aliud agebat, neque Schefferus erat. Duos nummulos ex argento bracteatos, alterum literâ M coronatâ, alterum figurâ quadam proximè quoque accedente ad M veteri more formatum, & stellâ inter ejus crura insignitos, Margaretæ à laudato Sperlingio in dictâ epistolâ attributos uti Reginæ non demere, ita nec certos ac firmos reddere queo. Nam præterquam quod unicâ literâ initiali aliis destitutâ indicii concurrentibus vix certi quid hac in re asseri possit, complures consimiles alii quoque nummuli, argentei nimirum & bracteati & istâ magnitudine & comme-*

moratam modò literam variè ac multimodè formatam, nunc cum superpositâ coronâ, nunc illâ carentem, nunc intermediâ ornatam stellâ exhibentes, partim Magno *Ladulaos*, partim Magno *Smek* Svecorum Regibus à Viro Celeberrimo & de re nummaria patriæ nostræ indies præclarè merente Eliâ Brennero in Thesauro Nummorum Sveo-Gothicorum vetusto sunt addicti. Et illum, quem in Specimine antiqvæ rei monetariæ Danorum Thomas Broderus Bircherod, Professor Gymnasii Othoniensis percelebris, è suis Reginae adscripsit, in medio quoque relinquo Nummum, putante quippe Mullenio (ut mox patebit) Maris esse vultum, qui muliebris Bircherodius est Nummum ita describenti: *Est & moneta ex meliori metallo & ferme argenteo, quæ faciem muliebrem coronatam exhibet singulari quadam figurâ cinctam. Mullenius inter incognitos nummos hunc ponit, quia detritus forsitan fuit, quem ille habuit, undè & Regis faciem hinc conspici putat. Ser. 1. N. 23.* Vbi tamen, ne quid dissimulem, subsistendum paulisper, notandumque, quod dicto loco, in eo quo ego usus sum opusculi Mulleniani exemplari, sine ulla Regis mentione, nudè Caput coronatum extet. Addit porrò Bircherodius: *Meus autem nummus clarè satis mulierem seu Reginam ostendit, &c. Aversum nummi latus mitram Episcopalem cum crucibus quibusdam habet.* Hvitfeldius in Chronicis Danicis circa finem Vitæ Margaretae de hujus quoque monetâ & quidem Oerebrox (seu, ut alii scribunt, Oerebrogiæ) percussâ mentionem fecit: *De Svenske bestylte hende (Dronning Margrete) fore / at hafve gifvet demnem til ørebro it usedvanligt Daaben oc Mercete paa deris Mynt / som er der Lem paa Qvindsolck / som Naturen vil hafve skult / oc paa den anden Side it Qvindsolckis Ansiet / med den ene Løcke flettet / den anden udslaget. Men saadan Forseelse siunis være kommen meere aff Forseelse udi Stempter / end aff foract. Samme Stempel skulle kun være it ø / oc betyde ørebro eller ørtug. Fordi hun vaar Danské / icke Svenske / tillegger hendis Misgunstige (som hver er tier at sit eget) allehaande Lyder. i. e. *Infimulabant Sveci, quod illa (Margareta Regina) Civitati Oerebrøensi ejusq; monetæ rem**

pro insigni & notâ dederit prorsus insolentem, membrum, putâ, illud
 femineum, pudicè aliàs velandam, addens alteri monetæ parti faciem
 feminae cœnâ hinc plexâ, inde sparsâ. Verum absuit contentus, errori-
 que ansam præbuit malè formata notâ, quæ debebat esse O (respon-
 dens nostræ pariter ac Germanorum diphthongo O, quam
 Latini sic OE pingunt) & OErebroam vel OErtugam indicare. Ni-
 mirum quia Dâna erat, non Sveca, adversatores (suum enim cuius
 placet) multa ei affingunt vitia. Ast nulla jam penes Curiosos ta-
 lis prorsus superest moneta. Brennerus tamen ab isthac de-
 scriptione hæud ferè abeuntem, sed, loco r̄s O, simplex O ha-
 bentem possidet, eidemque tribuit Reginæ nummulum ar-
 genteum, ubi O etiam eandem Civitatem, quæ & Orebroa
 scribi solet, denotare queat: Ortugam enim hoc elemento
 significari, quando nummulus istorum temporum Ortugis
 hæud paulò est minor, non facilè existimem. Ast possit quis
 scrupulosior subdubitare, an aliò pertineat dictus nummulus,
 cum quod adscripto careat Principis nomine, secus ac in
 proximè eam antecedentium sequentiumque Erici Magni
 nempe, Alberti, Erici Pomerani, Christophori aliorumque
 nummis usû fuit receptum, tum etiam quod hos amplitudi-
 ne ac pondere non æquet. Quicquid tandem sit, ego potius
 Brennero accederem, quam his, qui nullos prorsus intra an-
 num penè imperium illud, quo Margareta Svecis præfuit,
 eam in Sveciâ cudi fecisse Nummos suspicantur. Egrè enim
 mihi persuadere possum, à Reginâ nostrâ ingenii alioque non
 inelegantis, & regnandi cupidissimâ neglectui fuisse habitum
 istum, qui apud gentes cudendorum Numismatum hæud ru-
 des invaluit, morem non infimi momenti, ut nimirum Prin-
 cipes, simul ac imperii summâ essent potiti, eam monetâ
 suo nomine & quandoque vultu signata firmare satagerent.
 Ammianus certè Marcellinus, utor verbis Caroli Patini ex Histo-
 riâ Numismatum cap. 5. observat, clecto Imperatore, ex templo pro-
 cusam fuisse ejus typis monetam, nomine atq, effigie ejus insignem, tan-
 quam publicum majestatis documentum. Item Vopiscus probat, Proculum

positum imperio & majestate supremâ, eo quod purpuram gestârît & monetis sui temporis Augusti nomen fuerit inscriptum, ceu annotavit paulo superiùs idem Patinus. Vbi verò memoria longè eruditissimum hunc Antiquarium fefellit, concernente quippe non Proculum, sed Firmum seu Firmium probatione istâ Vopisci, cujus ipsius verba utpote antiquitatum Cultoribus lectu haud injucunda futura adducam. En ea ex Firmii vitâ: *Scis, mi Basse, quanta nobis contentio proximè fuerit cum amatore historiarum M. Fontejo, quum ille diceret Firmum, qui Aureliani temporibus Egyptum occupaverat, latrunculum fuisse non Principem: contra ego mecumq, Rufus Celsus & Cejonius Julianus & Fabius Sossianus contenderent, dicentes illum & purpurâ usum & percussâ monetâ Augustum esse vocitatum. Quin etiam nummos ejus Severus Archontius protulit.* Et Josephus Maria Svaresius in Dissertatione de Numismatis & Nummis antiquis, cap. 6. docet quoque, quod qui imperium ambiebant, suo vultu (addo: & nomine) monetam clanculum signari curarent, addens insuper, quod eam deinde sparsione publicarent. Saltem novimus, quod recentiore ævo gentes nonnullæ, coronatis Imperatoribus, Regibus, eorumque Conjugibus. confestim in plebem nummos illorum spargere liberè diripiendos consueverint. Cujus moris vel Rutheni etiam observantes sunt. Aureos enim peractâ solenniter coronatione Mariæ Gorgonæ (ut foeminas jam duntaxat memorem) magno numero in populum missos fuisse, discimus ex Petri Petreji Historicâ Relatione de Moscoviâ: *Als sie nun wieder von der Krönung aus der Kirchen geführet / da wurden etliche tausend Pfeninge auff beyden Seiten unter das Volck geworffen / das Stück zu zween Ungarischen Ducaten / etliche auch kleiner / auff beyden Seiten mit zweyköpffigen Adlern / wie man sie damahls geschlagen.* Quæ verba Latine versa hoc sonant: *Cum ab inauguratione & templo illa reduceretur, aliquoties mille Nummi ad utrumq, via latus in vulgus sparsi sunt, quidam estimatione gemini Ducati Hungarici, & nonnulli minores, signati pro more istius temporis utrinq, aquilâ bicipite.* Nec ambigo, quin isti aurei Mariæ etiam nomen prætulert.

Et

Et Sophia Soror Tſarum Joannis & Petri Filiorum Alexii in imperii consortium admiſſa plures varia magnitudinis variisque ponderis Nummos aureos ſuo ipſius etiam , præter Fratrum capita & nomina , vultu ac nomine inſignitos (è quibus aliquot mihi in Ruſſiâ paratos curioſè aſſervo) conſeſtim diſpergi curavit. Interim tamen nullas cum certâ ſæpiùs commemoratâ Margareta nominis inſcriptione videmus, Oertugas ſive Ortugas. Sed extarent haud dubiè , niſi non pauci è crebrioribus Nummorum acervis, quos vel noſtrâ ætate tellus Svecana poſt longas eorum noctes è ſœcundo ſinu gremioque in lucem edidit , aurifabrorum quorundam barbarâ & reſupinâ inſcitiâ atque negligentâ clauſtino colliqvefacti æternisqve , proh dolor ! addicti fuiſſent tenebris. Et haud ſcio , an in magnâ iſtâ & variâ Albertinarum Ortugarum copiâ , quam , ut non ſine ſtomacho inaudivi , ante quadriennum egregiè quidam fatuus conſari fecit , ut poculum inde ſibi pararet , hæc noſtra Alberto proxima latuerit Margareta. At quid vicem earum doleo ? Ejusmodi enim fata non minùs aliarum gentium nummis ſæpenuerò fuère ſubeunda. Inter mille exempla hoc loco varia magnoque accuratè collecta numero nominabo duntaxat Nummiſmata antiqua , quæ apud Hiſpanos (annotante in Symbolis epistolice Laurentio Pignorio ex Bibliothecâ Hiſpanicâ A. Schotti) heres Joannis Andreæ Stranei Valentini eruditi hominis in mortarium ad Pharmacopolii ſui uſum ſibi conſlanda curavit , dignus utique ipſe in grandiore mortario , Anaxarchi more , piſtillis probe & naviter tundi. Dum Margaretam quærimus , ejus defectum aliquomodo ſupplebit Maritus Haquinus Norvegiæ Rex , nuper detectus in nummo ex argento cum bonâ aris admiſti portione , qui nunc penes Brennerum cernitur , habetque à fronte : HACWIN. DVX. NORWEGIE. & caput humanum obliquè à parte dexterâ conſpiciendum cum ſaciâ ſeu diademate , unde circùm aſſurgunt quaſi trifolia ; à tergo autem : MONETA. EASLOIA. & crucem cum interpolitis

qua-

quatuor rosis. *Easloja*, seu, ut recentiores exarant, *Asloa & Alsloa* non ignobile olim fuit Norvegiæ emporium, vulgò *Oysto & Osto* dictum, è cujus cineribus orta est vicina *Christiania* auspice Christiano IV. Quoniam Haqvinus heic Norvegiæ appellatur duntaxat Dux, videtur Nummus cufus eo tempore quo Haqvinus minorennis, Parente Magno *Smek* Svecorum, Norwegorumque Rege adhuc vivo, electus quidem Rex Norvegiæ, at, tutelam intereà Filii curamque Regni agente Patre, nondum ipse imperii gubernaculo manum admoverat. Nisi fortè ad Haqvinum *Galin* Sverronis Norvegorum Regis ex Sorore Nepotem Norvegiæque Ducem potius hic Nummus sit referendus, quod, ut ingenue quod sentio dicam, magis arridet, quandoquidem is cum nummo per Bircherodium vulgato Philippi ex Ingonis Norvegorum Regis Sorore nati, quem, sicut aliquot anteà mensibus Gutormius Rex Norvegicus Haqvinum *Galin*, Erlingus Rex itidem Norvegicus constituit Norvegorum Ducem, ejusdem est metalli, magnitudinis, speciei & loci, ne cætera dicam, quæ similitudo ut in Philippi & Haqvini istius, qui Magnum *Smek* habuit Genitorem, tantâ temporis intercapedine à se invicem distantium Nummis concurrere queat, periculum est, quemadmodum fusiùs in hanc rem commentaturus est ipse Brenner. Nummus verò isthic Philippi secundum Bircherodii descriptionem talis: *Argenteus est, sed vilioris notæ, habens ex unâ parte laureatum* (ex inspectione figuræ Nummi, quam multoties laudatus apponi curavit Auctor hic, *diadematum* potius dicerem, adde & *obliquatum*) *Ducis Philippi caput, quod sanè in Septentrionalibus nostris nummis mirum & rarum est, arte prætereà haud mediocri expressum, ut etiam ad Romanos aliquo accedere possit modo: Inscriptio, quæ hoc caput ambit, ita sonat: PHILIP. DVX. NORVEGIE. Aversum nummi latus crucem cum quatuor rosis ostendit & inscriptione tali: MONETA. EASLOENS,*

RYPÆ

M. Petrus Terpagrius Rypensis, Theologiæ in Æde Patriæ Cathedrali Lector, edidit *Inscriptiones Rypenses, Latinas, Danicas, Germanicas*, cum præmissâ brevi Urbis descriptione. Hafniæ, 1702. (1 Alphab. in 4to.)

Inscriptionibus Danicis & Germanicis Versionem Latinam adjecit. In Præfatione promittit Ripas Cimbricas, seu plenam Urbis Patriæ Rypensis Historiam.

Clemens Jessæus, Rypensis, superiori anno 1701. mense Decembri, publicè in Collegio Medicæo, quod Hafniæ est, differuit de *Salariis Clericorum VI. prioribus post Christum Saculû*, Respondente *Biornone Christiano Drachardo*. Hæc ipsa Dissertatio typis exscripta est, constatque 2½ plag. in 4to.

SLESVIGÆ

E Typographeo Eckstorffiano prodiit Ordinatio quædam, ad cujus normam in Principatu Holsatico-Slesvicensi dies pœnitentialis, qui in diem 12 Maji incidit, instituendus erit, titulus ejus hic est: *Nach gnädigsten Befehl des Durchläuchtigsten Fürsten und Herrn / Herrn FRIEDRICHS / Erben zu Norwegen / regierenden Herzogen zu Schleswig-Hollstein / Stormarn und der Dithmarsen / Grafen zu Oldenburg und Delmenhorst &c. soll es an dem verordneten Buß- und Betz Tage / so in diesem Jahre 1702. den 12. Maji, als den Freytag nach Jubilate und vor Cantate, einfallen wird / in Ihre Durchl. Fürstenthümern vorgeschriebener maffen gehalten werden.*

In hæc Ordinatione Textus horis ante- & pomeridianis explicandi præscribuntur, quorum ille ex Hebr. III. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. hic verò ex Apoc. III. 10. desumptus est, succincta simul horum additur explicatio. (2 plag. in 8.)

TONNINGÆ

Parhelii,

Tonningæ die 14 Martii an. 1702.

hora matutina 7. 30. ad 8. 30.

Q

obser-

observati.

- TAB. III. a. Sol.
 bb. Parhelii, haud instar Solis radiis cincti, sed eos dextrorsum & sinistrorsum vibrantes.
 c. Radii parhelii dextri, pallidi coloris, triginta circiter pedum longitudinem æquantes.
 d. Radii parhelii sinistri, ad 24. pedes circiter porrecti.
 e. f. Irides.

KILONII.


Die 22. Febr. prodiit *Gunth. Christoph. Schelhammeri*, Med. D. & Profess. Publ. Primarii, Sereniss. Ducis Archiatri, Disputatio *Friidericiana II. & de Resolatione Corporum per ignem altera*, quam publico Φιλιτρῶν examini exposuit *Christianus Vricus Schreiber*. (2½ plag. in 4to.)

Sicut in priori hujus argumenti Dissertatione, anno superiori, mense Julio habitâ, Auctor ostendit, animalium nullum Chemicorum igne in sua vera principia resolvi, sed partem eorum consumi, ut pingve: partem in nigrum pulverem verti, qui in aperto igne, fuligine, quæ adhæret, depulsâ, dilabatur in cineres sale & terrâ constantes: partem expelli in atras, ut humidum, & quicquid inest subtilius: aliqua verò, quod est præcipuum, in alias mutari formas, ut quæ sub specie salium prodeunt, volatilis potissimum: tale enim neque in urinâ inexistere, neque in sanguine, sed demum sub manibus eorum per ignem produci constitit; Ita nunc in hac, quid in plantas valeat ignis potestas, & an ex his eliciat elementa potius, quam composita aut immutata corpora, inquirat.

Hic ipse etiam edidit librum, qui Kiloni typis Bartholdi Reutheri impressus est, & Hamburgi in Officinâ Liebezeitianâ prostat, cujus titulus ita legitur:

Natura vindicata Vindicatio, quâ ea, quæ libro de *Natura* olim fuerunt asserta, ulterius confirmantur atque explicantur,

TAB. III.



1702. April.

cantur, de *Motus principio primo, & Causarum secundarum* actione illustres controversiæ elucidantur, cum primis verò Clariss. Viri *Joh- Christoph. Sturmii*, Altorfni Professoris celeberrimi, querelis respondetur. (1 Alphab. 3 plag. in 4to.)

Hic liber jam abhinc quadriennium natus est, occasione Dissertationis cujusdam *J. C. Sturmii* modo dicti, qui offensus quibusdam in *Schelhammeriano* Scripto, anno 1697. sub titulo *Natura sibi, & Medicis vindicata*, edito, non diu post conscripsit Exercitationem, cui titulum fecit, *Natura incassum vindicata*, & Philosophiæ suæ Electivæ ultimam esse voluit. Causam verò, cur tam serò prodierit hic Tractatus, sequentibus verbis Auctor exprimit: *efficit Bibliopolarum morositas, quæ in hoc Europa extremo angulo est maxima, ut nunc demum lucem adspicere possit.* Tractationem ita instituit, ut tum sua priori de *Natura* libro asserta tueatur, tum recentiorem illam de *DEO* immediatè omnia movente sententiam falsam, jam per universam Galliam, Angliam, Belgium disseminatam, ab ovo, quod ajunt repetat, & integram pressius urgeat, oppugnet, eamque obtundere, atque proruere tentet. Hoc dum agit, *Cap. I.* Introductionem & Occasionem Operis exhibet; hinc progreditur ad *Cap. II.* quo Naturam omnem quovis sensu se nunquam negasse, neque nomen ipsum simpliciter extinctum & extirpatum velle, *Sturmius* conatur ostendere; porrò ad *Cap. III.* se confert, quo *Sturmius* eam, quam *Schelhammerus* ipse asseruit, naturam, neque negasse se unquam, neque hoc sensu naturæ nomen abolitum voluisse contendit. Succedit *Cap. IV.* quo hæc duo, Naturâ & ex latâ semel lege, receptoque olim impetu (quæ *Schelhammeri* mens est) fieri quæ fiunt omnia, & immediatè à *DEO* moveri etiamnum omnia, secum è diametro pugnare ostenditur, & his circumfusa nebula discutitur. Postmodum *Cap. V.* sententia de lege & efficacia ejus §. III. occasione paulò diligentius expenditur, & reliqua quæ huc pertinent diluuntur. Paulo post *Cap. VI.* disquiritur, an & quomodo

modo hæc lex in corporibus operetur, & quo nomine eam censerī oporteat? Vbi simul & de Naturâ denuò agitur, eaqve omni detracto velo, in aprico sistitur: itemqve duo de Motu corporum argumenta pensantur: deniqve Malebranchii inepta Philosophandi ratio & Connorii Evangelium medici examinantur: & Aristotelis definitio motus explicatur. Tandem *Cap. VII.* expenditur, an Spiritibus creatis omnis movendi materiam facultas negata sit, ut in eam prorsus nihil possint. Deniqve *Cap. VIII.* in compendium, quæ dicta sunt, contrahuntur, & quousqve *Sturmium* inter atqve *Schellhammerum* conveniat, quidve distent, ostenditur, nec non utriusque sententiæ conciliatio proponitur.

Die 6. Martii *Carolus Fridericus Luther* / Med. D. recitatâ Oratione Inaugurali, de *Experientiæ in Arte Medicâ prerogativâ*, in Professorum ordinem publicè solenniterqve receptus est.

D. Joh. Ludovici Hannemanni

Meletema de primò conceptu DEI nostrò intelligendi modò.

Communicavi hactenus unum atqve alterum meletema de hoc vel istò placitò Philosophicò aut & Scripturæ dictò. Hoc tempore, quoniam occasione quadam jubente incidere in *Schlevogtii Disputationes Academicas* & inter eas evolverem, quæ est in ordine XIV. de *primò conceptu DEI nostrò intelligendi modò*, & legitur pag. 277-304. *inclus.* gaudetqve thesibus 47. in quâ Disputatione variæ adducuntur opiniones de *primò Conceptu DEI nostrò intelligendi modò*, quarum recensu supersedeo. Verum omnes ita sunt comparatæ, ut iis subscribere nequeam, ut ut Auctores habeat è Scholasticæ Philosophiæ foro acutissimos & perspicacissimos. Sed alius primus Conceptus DEI nostro intellectui se offert, si DEI naturam in S. Scripturâ revelatam, & in naturâ manifestatam consideremus. Sicqve mihi primus conceptus de DEO nostrò intelligendi modò neque est, quod sit vivens, neque, quod sit independens, neque, quod sit perfectus, neque est omnium attri-

attributorum ejus series, sed pulchritudo. Sicque DEUS ab homine (1) concipitur, ad eum inclinante & dictante instinctu mentis, cujus etiam amore ducitur. Et hoc est pulchrum. (2) Primus DEI Conceptus est ejusmodi Conceptus, quem præprimis effecta ejus citra formidinem oppositi dictitant. Sicque totum Univerſum, sicque totius Univerſi omnes partes pulchritudine quadam sese spectabiles reddunt. Quæ pulchritudo hominum mentem adeo statim fascinat, ut ejusmodi pulchrum admiretur & veneretur & ejus satietate nunquam capiatur. Quod itaque in homine duos parit ejusmodi animi affectus, qui in Scripturâ jubentur, ejusmodi etiam dat primum Conceptum de Numine. In Scripturâ autem jubetur Veneratio; Veneratio autem præsupponit admirationem, & ipsa fundatur in amore & filiali timore, ut & quodammodo in servili metu, quod prohibemur, ne illud pulchrum nobis inimicum faciamus, idcirco non nisi pulchrum pro primo Conceptu DEI est venditandum. (3) Quoniam mens ipsa nostra in se spectata a nobis non comprehendatur aut intelligatur, nisi sub formâ pulchri alicujus Entis, & in pulchrum innatò instinctu feratur; hinc & nullum dubium, quin & in mente nostrâ omnium primo oriatur Conceptus, mentis dictamini adæquatus, & ejus appetitui assurgens, & hic nihil aliud est, quam pulchrum. (4) ipsa S. Scriptura ex jussu DEI videtur omnia, quæ ad Cultum DEI spectant, sive olim in V. T. spectarunt, pulcherrimè adornare in fœderis tabernaculo ac sic in templo Salomono, qui externus cultus non aliò respiciebat, quam ut ex hoc pulchro externo, quo pascerentur oculi, quoque mens ferretur ad primum pulchrum omnis pulchritudinis fontem scil. Deum. Quare, ad quem Conceptum nos impellit. (α) ipsa natura (β) ipsa mens (γ) ipse apparatus cultus divini (δ) & amor, hoc ipsum est primus Conceptus DEI, juxta nostrum intelligendi modum.

*Num Spiritus Sanctus specie columba sese demiserit super
Dominum baptizatum.*

Sicut non sine scandalo serpens magnus ab arbore pingitur pendulus inter protoplastas, ita nec minore cum opprobrio ad divinam Trinitatem & ad sacri baptismatis lavacrum à monachis olim efformata est, & à nostris hodieque toleratur columba super Christum caelo delapsa, è falsa interpretatione verborum Lucae c. 3. v. 22. descendit Spiritus sanctus, corporali specie sicut columba in ipsum, cujus enunciationis non alia est significatio, quam si dixisset *Lucas*, persona ipsa Spiritus sancti sive Spiritus sanctus descendit personaliter super Christum tanquam columba, ut vox personalis Speciei non ad columbam sed vovula *tanquam* unicè referatur ad descensum Spiritus, veluti alias devolat ex aëre columba. Nam *Matthia Flacio* observante vox *corporalis* eadem est quæ *personalis*, & *corporaliter* quod *personaliter*. Et sic *Joh. 1 v. 32. Marci 1. v. 10. Matth. 3. v. 16.* ad augustum descensum Spiritus *volatus* modò *Columba* applicatur ipsa figura columbae non denotata. Cujusmodi similitudines innumerae aliae in veteri ac novo testamento occurrunt, nullam planè illius rei vel animalis, quocum ordinatur comparatio, formam includentes. Ero eis *quasi leona*, sicut *pardus* in via Assyriorum, occurram eis *quasi ursula*. *Hos. 13. v. 7. 8.* Sicut *vacca lasciviens* declinavit Israel, nunc pascet eos Dominus *quasi agnum* in latitudine c. 4. v. 16. super eos effundam *quasi aquam* iram meam v. 10. Veniam ad te *tanquam fur*, & nescies quia hora veniam ad te, *Apoc. 3. v. 3.* Ephraim *quasi columba seducta*, non habens cor sive prudentiam, *Hos. 7. v. 11.* Ita etiam vox *tanquam* his Evangelistarum locis habet, vidi Spiritum personaliter descendentem tanquam columbam, ut sciamus, hæc omnia in visione contigisse, cum nec in mediis populi turbis ullus columbam viderit, multo minus Spiritus hujus speciem, præter unicum Johannem atque

atqve Christum Matth. 3. v. 16. Marc. I. v. 10. Joh. I. v. 32. personali igitur specie Baptistæ atqve Christo visum apparuisse Spiritum sanctum concedo, forma vero, qvali à pictoribus adumbratur, columbæ, nego, neqve sic illum articulum fidei neqve insuper aliqva hoc mysterium turbo profana opinione, teste Martino Chemnitio *harmon. evang. c. 17. non agitur de articulo aliquo fidei, modo presentia & unctio Spiritus sancti in hac historia retineatur, qvæ melius sanè ex aliis circumstantiis erui ac confirmari potest, quam ex visibili specie columbæ.* Hinc Baptistes Joh. I. v. 31. *Qui misit me, inquit, ut baptizarem aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu Sancto v. 34. Ego igitur vidi & testor, hunc esse filium DEI.* Vbi exertè addit Prodromus Christi, haud sibi datum esse symbolum columbæ (quam & alii omnes præsentés tunc vidissent) ac si illa sub figura apparere debuisset Spiritus Sanctus, sed verba potius hic infero Pellicani *super Matth. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis*“ qui est in cœlo, quid aliud est, quam apertior DEI cognitio“ & plenior Divinitatis perfruitio. Nec aliud est tertium illud“ cœlum, in quo Paulus arcana verba audivit. Aperti sunt“ ergo Johanni cœli, quando lux aliqva admirabilis è super“ nis irradiavit, divinusqve splendor visus est, unde & Spiritus Sanctus prodiisse Patrisqve vox insonuisse dicitur, quia“ supra naturæ ordinem divina hominibus apparuerunt. “ Cui majesti minus convenit forma columbæ, & eo sanè nomine splendidior fuisset inauguratio Apostolorum (quam ipsius Domini nostri ad sacerdotium suum in baptisinate) luculenter descripta Act. 2. v. 2. & 3. ubi etiam nulla mentio fit ad descensum Spiritus columbæ. *Ipsè Apostolos suos viva lucis fonte perfudit, ut ipsi postmodum universum mundum, tanquam duodecim solis radii ac totidem lampades illuminarent.* Aug. de temp. serm. 185. *Sedit super illos, ut novæ coronæ Spirituales per linguas igneas imponerentur capiti illorum.* Cyrillus Hierosol. *Catechesi 17.* Greg. Nazianzenus more suo istud miraculum amplificans, in *Apostolis*, addit, *Spiritum sancti*
sedit

sedisse velut in cherubico throno, quo cum splendore haut componitur vilitas columbæ, & illustrior tamen ille adventus fuit Spiritus sancti apud baptismum Christi, nec nisi à Christo & Baptista solis conspectus. Ad instantiam verò, columbæ vocabulum ab ipso Baptista atqve cæteris omnibus Evangelistis sollicitè esse infertum, rehero, mysterium ingens subesse, non in qualitatibus columbæ sed in altiori consideratione à Mose olim ipso descripta, ad quam digitum intendunt sancti isti, quandoquidem instante termino diluvii columba à Noë emissa circa vesperam *ecce* (ita & attentionem nostram similiter excitat Matthæus, scriptor novi testamenti, mentionem faciens columbæ) folium olivæ decerptum in ore attulit: *Intellexit ergò Noë quod cessassent aqua super terram* Genes. 8. v. 11. Ad istam sanè omnibus Israëlitis notissimam historiam alludit nomen columbæ, à tot sanctis repetitum, aqua enim, quæ obruerat orbem tanquam instrumentum iræ divinæ, jam adhibenda erat atqve ordinabatur velut symbolum gratiæ, quo sanctissima Trinitas adoptura mortales esset in filios lucis ac heredes cœli. Enimvero tali explicatione melius profumus Evangelistis, quam afficta ipsa figura columbæ, quæ nec exculpi quidem potest e versiculis illis rectè intellectis, ne dicam de superstitionum monachalium inde derivatarum ludibriis, quæ Judæi acriter traducunt cum Deistis, quin impurus Mahomet sub dicto schemate in fraudem ultriorem suos induxit sectatores, uti in *Dissert. de corvis Elia* c. 2. nondum edita indicium ejus feci è Chronicis Turcarum: *Da er auff dem Platz / wohin das Voldk war beschieden / viel plauderte und predigte von seinem Gesetz / kommt eine Taube geflogen / welche er dazu lange vorher gewohnet hatte / die setzete sich auff seine Schulter / und pickte ihm ins Ohr / denn er hatte Rocken-Körnlein ins Ohr gestreuet / welche sie / wenn er sie lange hatte hungern lassen / und essen wolte / aus seinem Ohr samblen muste.* Tantum potest, quod ad errores incrustandos attinet, vel unicus locus perversè intellectus, dum è nostro sensu id affingimus scripturæ, quod illa expressè nos haut docuit, neque cum majestate verbi divini examussim convenit.

NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Majo MDCCII.

ROSTOCHII.

Die 8. Aprilis prodiit Collegii Disputatorii, exhibentis theses ex universâ Theologiâ selectas, Disputatio XV. & ultima sub Præsidio *Joh. Nicolai Quistorpii*, S. Th. D. ejusdemque P. P. Pastoris Nicolait. & Ministerii Directoris, Respondente *M. Nicolao Staphorst/ Hamb. habita.* (1. pl. in 4.)

Dissertationis hujus Auctor §. 1. illos operam ludere probat, quicumque ex loco Paulino ad Tit. I, 1. colligere volunt, non dari veram Theologiam quæ non sit cum pietate conjuncta, aut impium ministrum Ecclesiæ non esse verum Theologum. §. 2. Locum Paulinum, 1. Cor. VII, 18. illustrat ex illo, quod *Daniel le Clere* in *Histoire de la Medicine de Carnelio Celfo l. 4. Sect 2. c. 4.* scribit. §. 3. de monstroso *Caulaucan* nomine agit, per quod Saturniani indicare voluerunt Principem ac Salvatorem, quem 365. cœlis angelorum præesse docebant. §. 4. de *J. Asgill*, Parlamenti Londinensis membri, doctrinâ, sine morte scilicet corporali abhinc in vitam æternam translatione, nec non Ejus libello, & §. 5. de sanguineo Christi sudore.

Die 12. Aprilis Præside *Joh. Petr. Grunenberg* / S. Th. Doct. ac P. P. Consiliario Consist. & Districtus Mecklenb. Superintendente, *Nucleum Protheoria Theologica*, inter amicas Commilitonum Objectiones defendit *Bernhardus Mauritius*, Tundera-Holfatus, (plag. 3. in 4.)

In illo agitur (1) de Deo, à §. 1. ad 10. inclusivè, (2) de Religione, à §. 11. ad 20. (3) de Revelatione, §. 21. seqq. (4) de Theologia, §. 31. seqq. (5) de Theologiâ Christianâ, §. 41. seqq. (6) de Scripturâ Sacrà, §. 51. seqq. (7) de Veritatibus Theologicis, §. 61. seqq.

(8) *de Scriptoribus Theologicis*, §. 71. seqq. (9) *de Christianismo*, §. 81. seqq. & tandem (10) *de Hostibus Christianismi*, §. 91 - 100.

Die 15. Aprilis sub Præsidio Jo. Fechtii, S. S. Theol. D. atqve Profess. P. Consiliarii Consist. & Districtus Rostoch. Superintendentis, *de persuasoria humana sapientia Verbis*, ex I. Cor. II. 4. M. Georg. Raphaelius, Scholæ Luneburg. Senat. Con-Rector differuit. (plag. 4. in 4.)

In Procæmio ostenditur utilitas hujus argumenti, hodie cumprimis se in Ecclesiam nostram diffundens, in qua sint, qui loco Paulino abusi omnem eloquentiam ex suggestibus cupiant eliminatam. Deinde *Cap. I.* verus loci sensus indagatur, voces singulas ex præsiidiis Philologicis pariter & Hermenevticis considerando. p. 3. seqq. Cumq; ex vocabulo *καὶ* nexus cum superioribus esset demonstratus, per *λόγον & κήρυγμα* duos separatos Evangelium prædicandi modos, privatam publicumqve innui docetur. p. 10. seqq. Ex quo proceditur ad persuasoria humanæ sapientiæ verba, ostenditurqve humanam sapientiam Philosophiam esse gentilium, cujus pars fuerit Rhetorica, quæqve h. l. potissimum à Paulo intelligatur. p. 12. seqq. Hæc cur *ἀνθρώπινη σοφία* dicatur, discutitur, p. 13. deciditurqve bono sensu ita dici, p. 14. Cumqve Rhetorica eloquentia variis mediis ad finem suum, faciendam fidem, tentat per inventionem, dispositionem, elocutionem & recitationem, probatur per *λόγος πειθῶς* inventionem & excogitationem argumentorum, ad persuadendum idoneorum, denotari, idqve immotis argumentis, p. 16. seqq. Ut adeo Apostolus dicere voluerit: in persuadendo mysterio de Divinitate & cruce Christi non usum se argumentis esse, ex humanorum Rhetorum scholâ depromptis, sed ex longè efficaciori Spiritus S. officinâ. p. 18. *Cap. II.* eos refellit, qui ex h. l. humanæ eloquentiæ studium ex Christianismo proscribendum esse Fanatico conatu dictitant & clamant, & Paulum utiqve in pluribus aliis rebus extra mysterium de Christo, & argumentis usum

usum esse humanis & iis sermonis elegantia excultis, plurimis exemplis ostendit, & denique illud ipsorum novatorum concessione, vi veritatis ipsis extorta, comprobat. p. 20. seqq. Ubi & quaestionem ventilat: num Doctore atque Concionatori Christiano etiam probabili tantum oratione uti liceat: quae affirmando deciditur, p. 25. seqq.

Eodem die modo dictus *M. Georg. Raphaelius* ut Praeses in Disputatione Philosophica proposuit *Elocutionem affectuosam*, in specie, *attentionis*, Respondente *Dieterico Hermanno Kemmerich*, Palæo-March. (6½ plag. in 4.)

Postquam in Praefatione Auctor ostendit, quod pauci Rhetores de Affectuum Inventione dedita operam hactenus scripserint, & quam viam in praesenti hoc argumento secutus sit, addit etiam rationem suscepti hujus laboris, nempe ut specimen sit *Lexici Oratorii*, in quo quidquid vocum, phrasium, formularum, quidquid in tota orationis compositione attentioni potest inservire, ejus uberrimam copiam atque varietatem facillimo negotio sit invenire. Hinc in Prolegomenis tradit descriptionem Affectuosae Ideae Elocutionis, uti & duas generales Regulas Attentionis elocutionem adjuvantes, nec non Dissertationis hujus ordinem, ubi duo constituit Capita. *Prius Perspicuitatis* usum ad movendam attentionem demonstrat. *Posterius* vero *Elegantias*, sive, *Ornatum* attentioni accommodatum exhibet. Quibus III. accedit, specialiores nonnullas Regulas complectens. In duobus prioribus sequitur ductum Accessionum Rhetoricarum *B. Vinc. Placcii*, & quidem Part. III. adhibito interdum etiam earundem Promptuario secundo. Exemplum desumptum est à *Cicerone* & *Chrystomo*, in primis vero ex Scriptoribus Divinis. Undecim denique Disputationi huic annectit Corollaria ex universa Rhetorica deprompta.

Die 16. Aprilis Acad. Rector, *Joh. Barnstorff*, J. V. D. ac

Prof. Publ. Civibus suis Programmate publico *Resurrectionem Christianam piè estimandam* proposuit. (i. plag. in 4.)

Die 19. Aprilis Præside *Johanne Fechtio*, paulo ante laudato, S. Theol. Doct. P. P. Superintendente, & Consist. Ducal. Adfcl. Megapolitano, Exercitationem Exegetico-Historico-Polemicam, Indifferentistis hodiernis oppositam, *de Formâ Catecheseos Paulina* ad locum Hebr. VI, 1. & 2. defendit *M. Adamus Wildius*, Badâ-Durlaco-Marchicus. (plag. 8. in 4.)

Occupat ante omnia Auctor, non se de Catechesi Paulinâ secundum omnes vel textus vel argumenti circumstantias, sed de eo tantum acturum esse, quod in loco Paulino representetur certa doctrinæ Catecheticae forma, variis articulis, necessario inter sese nexu copulatis, constans, quæ ad sequentem cum veterem tum recentiorum Ecclesiam fuerit propagata. Quæ Tractatio ideò hodie & fructuosa sit & necessaria, quia in ipsâ Ecclesiâ Lutheranâ, quod antea inauditum fuerit, Indifferentistæ oriantur, qui certis credendi formis quibuscunque, utpote Confessionibus, Symbolis, Catechesibus, Articulis, Systematibus & aliis id genus Vatiniano odio sint infensi, negentque ullam unquam sive in Apostolicâ sive primitivâ Ecclesiâ extitisse fidei formam, ad quam fideles fuerint vel manucti vel obligati. Ut hoc pacto obtineant, quicquid hodie librorum Symbolicorum Ecclesiæ obrudatur, ab instituto Christi & Apostolorum longè esse alienissimum. Tractatio ipsa ita instituitur, ut I. voces in hoc argumento frequentatæ, imprimis in loco Apostolico occurrentes exponantur. §. I. seqq. Deinde ut numerus Articulorum fidei & eorum cum aliis nexus ostendatur, partim in genere, §. VI. partim in specie Articulus de pœnitentiâ. §. VII. cum connexis. §. VIII. De Fide in Christum, §. IX. f. De Baptismo. §. XI. f. Ubi simul discutitur quæstio: cur omissum in Catechesi Paulinâ fuerit Eucharistiæ Sacramentum

mentum ? §. XIII. De Impositione manuum, seu Ministerio Ecclesiastico, §. XIV. f. De resurrectione ad vitam. §. XVI. f. De æterno judicio, §. XIX. f. Subjiciuntur tertio septem confectaria, ex institutâ hactenus tractatione excerpta. §. XX. seqq. Et concluditur: utiqve jam Apostolorum tempore extitisse certam & distinctam Doctrinæ Catechetiçæ formam, omnibus iis partibus, quibus & hodiernæ Catecheses nostræ gaudent constantem, §. XXVII. Quarto ostenditur eandem Doctrinæ Catechetiçæ formam, certâ Articulorum serie & immotâ veritate constantem, servatam fuisse in Ecclesia post Apostolorum ætatem. §. XXIIIX. f. Quamquam AntiChristiano seculorum ambitu vel suppressam vel extinctam, §. XXXIV. f. Resuscitatam a Luthero, ejus catechesin, quoad ipsâ doctrinæ capita, cum Paulinâ exasse convenire demonstratur. §. XXXV. Quinto ut credendi omnium, ita & Catecheson hostes irreconciliabiles producuntur, Ericus in primis Fridliebuis & Godofredus Arnoldus. §. XXXVII. seqq. Quorum duo, partim credendi formis in genere, partim in specie Catechetiçæ, opposita argumenta diluuntur. §. XL. f. Postremò febriculosum istud Indifferentistarum argumentum, ex eo desumptum, quod Christus & Apostoligentes conversuri, nunquam ad Catecheses, Symbola, Confessiones addiscendas, eos adduxerint, sed voluntatem tantum convertendorum per pœnitentiam sanaverint, ad Divini verbi limam revocatur & concluditur. §. XLIV. seqq.

Die 22. Aprilis *M. Joh. Christianus Sensius, de Kabbala Judæorum* disputavit Respondente *Henrico Cordes, Stadâ-Bremensi.* (plag. 3. in 4.)

De *Kabbala*, quæ expedienda fuerunt, *duabus Sectionibus* inclusit Auctor, quarum *altera ονοματολογίαν, πραγματολογίαν* altera explicat. Prior tribus constat membris, scilicet *Etymologią, Homonymiã & Synonymiã.* Posterior descriptionem & divisionem exhibet.

Die 28. Aprilis *D. Job. Petrus Grünenberg* paulò ante memoratus, Dissertationem Theologico-Exegeticam de *Salitura ad ignem aeternum*, è Marc. VI, 49. ventilandam exhibuit, Respondente *Job. Henr. Bussenio*, Gadeb. Mecklenb. (plag. 4. in 4.)

Quinqve Disputationis hujus sunt partes, harum *prima* est *Critica*, & Textum Græcum examinat; *Secunda* est *Onomatologica*, in vocum valorem inqvirens; *Tertia Historica*, quæ circa hunc versum è Judæorum antiquitatibus quædam observat, quæ ad instillandum & agnoscendum veritatis sensum facere possunt; *Quarta Pars Hermenevtica* est, & veram horum Verborum evolvit sententiam, duabus potissimum nitens Regulis Hermenevticis, 1. *Connexio rerum & verborum Exegetæ est observanda.* 2. *Littera eousque in expositione tenenda, donec teneri potest.* Tandem subiungitur Pars *Quinta Vsuallis*.

Die 29. Aprilis *M. Henr. Ascanius Engelke*, Rostoch. Respondente *Burchardo Camphövener*, Apenr. Holsat. Disputationem Philosophicam habuit, quâ traditur usus Logicæ, quoad maximam partem eorum, quæ P. Gassendus exercit. Paradox. lib. 1. Exerc. 6. quod in hac doctrina quoque apud Aristotelem innumera superfluant, probaturus affert. (plag. 3½ in 4.)

Die 30. Aprilis Rector Acad. *D. Johannes Barnstorff*, Cives Acad. Programme invitavit ad actum solennem, quo novus Academiæ Rector electus *Christ. Hildebrandus*, Phil. M. & Log. P. P. Duc. publicè die 2. Maji renunciandus erat. (1. plag. formâ patente.)

GRYPHISWALDIAE

Die 5. Martii *D. Brandanus Henricus Gebhardi*, S. S. Theol. ac LL. Oriental. Prof. Publ. Ordin. ad audiendam Orationem Latinam de *Laudibus Vsedonii*, Equitis Rugiani, trium Alumnorum Nutritii (cujus vitam in N. L. superioris anni 1701. mens. April. pag. 100. descripsimus) quam d. 8. Martii recitaturus erat *Carolus Helvigius*, Gryphiswaldensis, Programme publico

publico 1. plag. in 4. invitavit, quod literarum utilitatem ostendit, atque omnes illos inter quos & *Vsedomius, Wackemitzius, Blicherus, Pagencopijs*, qui sua munificentiam omnibus sæculis sollicitè caverunt, ne rei literariæ sui deessent cultores ac propagatores, laudandos & commendandos esse hortatur.

Die 4. Aprilis 70. *Frid. Mayer*, D. h. t. Rector, juxta §. 14. Ordinationis illius, Mense Martio, p. 63. seqq. nobis memoratæ, in partes justissimi doloris, cujus ex obitu CAROLI XI. Svecorum, Gothorum & Vandalorum Regis, concepti memoriam Academia Gryphica d. 5. April. renovatura erat, Eruditos omnes & Cives Academicos Programmate publico vocavit, quod 1 plag in 4to constat. Interpretem sui doloris dicta Academia exhibuit *D. Brandanum Henricum Gebhardi*, S.S. Theol. & Ebr. Lingv. Prof. Ordinarium.

Die 5. Aprilis Disputationem *Carolinam de Utilitate Præsentia Principum in Comitibus Imperii Romano-Germanici* sub Præsidio *Johannis Schadt* / Wollino-Pomerani, J. V. D. PP. O. & Consist. Regii Assessoris, respondendo defendit *Samuel Palthenius*, Rostoch. Mecklenb. (2 plag. in 4.)

Duo constituuntur *Capita*, quorum prius tractat *generalia de utilitate præsentia Principum in Congressibus negotiosis*, hujus §. 1. docet conventus Principum institutos fuisse vel *belli vitandi*, vel *pacis conservanda* causa. Ad bellum evitandum juxta *Grotium* utile esse *Colloquium inter præsentis Principes*. §. 2. Exemplum proponit in *Julio Casare*, qui cæpto bello civili cum Pompejo colloqui sæpius expetiverit. §. 3. in *Duce Parmensi*, colloqui cum *Elisabethâ*, Angliæ Reginâ, cupiente, tempore belli inter Hispanos & Belgas. §. 4. laudat exemplum *Friderici III.* Imperatoris qui cum *Carolo Burgundo* ann. 1475. in secretum colloquium venit. §. 5. Congressum dicti Imperatoris cum *Alphonso* ann. 1457. habitum deprædicat. §. 6. sistit *Conventum celebrem inter præsentis Imperatorem Maximilianum, & tres*

tres Reges, *Vladislaum Hungariæ, Ludovicum Bohemiæ & Sigismundum Poloniæ* d. 17. Julii, ann. 1515. Viennæ cœptum. *Posterius Caput expendit specialia de præsentia Principum in Comitibus Imp. Rom. Germ. & quidem §. 1. hanc ipsam utilem & necessariam esse asseverat, §. 2. ad animorum coalitionem facere. §. 3. affert quæstionem: an Status Imperii ad Comitibus Ipsimet comparere teneantur; an verò Legatos mittere, ipsis liberum sit. §. 4. Vtilitatem præsentia Principum in Comitibus Imp. Rom. Germ. ulterius probat ex Auctore illo, qui se nominat *Witel Friedrich von Serden* in der Grundfest des Heil. Römischen Reichs Teutscher Nation, &c. cap. 6. p. 42-47. §. 7. tractat de Comitiorum Imp. Rom. Germ. indictione, §. 8. de eorum tempore, & §. 9. de Subjectis ad Comitibus vocandis.*

Die 12. Aprilis Dissertationem *Carolinam*, hanc quæstionem tractantem: *Vtrum Ipse Deus necem Redemptori intulisset, si abstinuissent homines?* sub Præsidio *D. Jo. Frid. Mayeri*, Profess. Theologiæ Primarii, Consist. Regii Præsidis, Superintend. General. F. C. t. Theol. Decani, Academiæ Pro-Cancellarii, & h. t. Rectoris, publicè tuitus est *Georgius Christkenius*, *Rugian.* vocatus Pastor Sagardensium. (4 pag. in 4to.)

Postquam in Procœmio ostensum est dictam quæstionem abstrusam & utilitatis plenam esse, eadem affirmatur sequentibus argumentis, (1) quia jam majora in Filio hominibus concesserat cœlestis Pater, præ quibus mors temporalis cruenta nihili æstimanda, & Deus qui medium redemptionis dederat, etiam modum dare non recusasset. (2) Majus certè est alicui dolores inferni, gehennæ inferre mortem, quam temporalem vitam auferre. (3) Sæpius iratum Numen Peccatoribus in terris haut mediante hominum ministerio, mortem infligit corporibus violentam, quidni Peccatorum maximo? Hic vindicat Auctor Lutherum ita scribentem: *Christus ist der größte Sünder gewesen / den die Sonne beschienen / & propterea Christum Diaboli seruum non dici posse, ostendit.* (4) Deum ipsum hostiam

fiat hanc pro humani generis redemptione sibi offerendam, propriis quasi manibus mactare voluisse, & imolatio Isaaci, & sacrificiorum per flammam cœlestem consumptio clarè innuit. (5) Homines inter eò patres adversus justitiam adegit amor, ut propriis filiis non pepercerint, quid non per viam eminentiæ fecisset Deus, quæ ipsa justitia? (6) Quia decretum Dei de hominibus per mortem Christi cruentam reparandis alia ratione, quantum literæ sacræ docent, perfici non potuisset. (7) confirmatur quæstio proposita testimoniis *Wolffgangi Frantzii in Schola Sacrificior. Disp. 5. p. 112. 113. in lib de Interpret. Scripturae, p. 188. 189. Danbauri in Hodosoph. p. 306.* His ita pertractatis Reformatorem quosdam breviter refutat, qui Judæorum invidiam, falsa testimonia, crudelitatem, odium, quibus morti turpissimæ sanctissimum Dei filium tradiderunt, probasse atque decrevisse Deum asseruerunt; ut & illos, qui proditorem Judæ non excusarunt modò, sed & gratias pro crimine tanto habendas illi esse putavere, salutemque æternam consecutum esse.

Die 14. Aprilis *Idem Doct. Mayerus* Programmate publico, quod egit de desiderio moriendi in Die Parasceves, ad Dei Funus, celebrandasque Dei exequias ipso Die Parasceves, invitavit. (1½ plag. in 4.)

Quum à voto Paulino, ex Epist. ad Philip. I, 23. initium fecit, cujus vim & gravitatem Philippus Melanchthon moribundus meditatus est, vocabulum ἐπιθυμία expendit. Antè verò quam rem ipsam aggreditur, quærit: *An omninò salvâ conscientia mortem optare liceat?* & postquam ejusmodi argumenta protulit, ex quibus constare videtur, vehemens moriendi desiderium cum offensione Dei & peccato omninò esse conjunctum, non tamen se temerè definire velle ait, quod planè nemini mortem sibi optare liceat. Rationem enim habendam esse Subjectorum votentium, num videlicet ex impatientiâ præsentis calamitatis, vel ex flagranti Servatoris Jesu & æter-

næ beatitudinis amore mortem exoptent. Priori modo moriendi cupiditatem impiam esse Deoque invisam; posteriori autem Deum admittere illam, cum ipse talis desiderii auctor sit. Hac occasione etiam mortem fidelibus in pœnæ locum non reputandam esse probat. Postea rei ipsi se accingit, ulterius quærens: *An certus aliquis dies, quo mors nobis contingat, expetendus sit, & quidem præcipue Dies Parasceves?* Hanc quæstionem eo modo pertractat, ut primò illorum Pontificiorum utriusque sexus mentionem faciat, qui memorato die, aut saltem Die Veneris mortem oppetere desideraverunt, quique voti compotes facti, quales Johannes à Bobadilla, Jacobus Gordonus, Georg. Federus, Franciscus Cajetanus, P. Joan. de Castiglio, Joach. Senensis, Catharina Senensis, Joanna Vastia, Catharina de Jesu, Anna Bellovacensis. Horum vota præferenda affirmat impiis illis Hyacinthi, Jacobi de Brevania, Stanislai Kostkæ, aliorumque Festo Assumptionis Mariæ, nec non Ludovici XI, Gallix Regis, die Sabbathi, quod Mariæ ille facer sit, mori desiderantium. Deindè affert quidem tria argumenta, quæ ad probandum, quin & excitandum, tale mortis desiderium idonea videntur, attamen definit tandem ac tribus evincit argumentis, quod præstet, ut homo omnem rem supremo moderatori Deo committat, id unicè in votis habens atque ardentè exoptans, ut ipsi in mortis Jesu Christi meditationibus altè defixo beatâ morte, tempore, die, horâ, loco, quocumque tandem divina voluntas definiverit, ex hujus vitæ hospitio ad cœlestem domum & patriam discedere contingat.

Die 16. Aprilis, ipso Paschatis Festo aliquoties nominatus *D. Mayerus* ad Resurrectionis Dominicæ Memoriam piè recollendam Cives suos hortatus est publico Programme 1. plag. in 4. quod hanc expedit difficultatem, *quare Christus post Resurrectionem neque Phariseis, neque populo Judaico apparuerit?* Licet nonnulli, inter quos & Drexelius Tom. II. Opp. de Christo resurgente p. 625. statuunt, Christum Hierosolymis multo die

omnibus

omnibus se ostendisse adscensionis festo, tamen sententiæ huic refragari monstratur (1) Comminationem Christi Matth. XXIII, 38. 39. (2) Sollicitam decem apparationum Christi enumerationem. Quare autem Pharisæis post Resurrectionem non apparuerit, hæc afferuntur rationes. (a) Quia admittendæ Resurrectionis Christi veritati protervè illi manibus pedibusque oblectabantur. (β) Quod nullus ejus rei fuisset usus atque fructus. (γ) Idem ex Originis lib. II. adv. Celsum p. 93. & IOR. probatur, qui ad objectionem Celsi ita respondet; noluisse Christum ita facere (a) quod oculi Judæorum ad videndum corpus glorificatum inepti, nec eorum acies ferendo illius splendori esset idonea. (b) In singularis beneficii à misericordiâ Dei accepti loco id Judæis aliisque incredulis numerandum, ne scilicet divino illi fulgore, & gloriæ ferendæ oculi planè occæcarentur.

Die 21. Aprilis sæpius laudatus *D. Mayerus* vi §. 14. Ordinationis supra memoratæ edidit Programma Invitatorium ad audiendum elogium *Wratislai* XI. Ducis Pomeranorum, Academiæ Gryphiswaldensis Fundatoris, quod postero die 22. Apr. *Jo. Philippus Palthenius*, Juris Nat. Philos. Pract. & Historiar. P.P. recitaturus erat. In hoc Programmate *Calixti* III. Rom. Pontificis Bulla foundationis Vnivers. Gryph., quarto Kal. Junii 1456. Romæ data, recensetur, (1. plag. in 4.)

Die 26. Aprilis loco Dissertationis *Carolina*, Præses *Jo. Philip. Palthenius*, Histor. & Philos. Civil. Prof. Ord. & Respondens *Thomas Gadebusch* Gryphisw. Pom. publicè pertractarunt Quæstionem Juris Gentium; An *Gvilielmus* III. Regnum Angliæ habuerit jure Conquestus? uti visum est Viro summo *Gilberto Burneto*, itemque Cl. V. *Henrico Hulsio* (2. plag. in 4.)

In Proœmio varia de rerum Anglicanarum ante 14. annos Conversione judicia affert; in Tractatione ipsâ autem *Burneti* verba ex *Epist. Pastoral. ad Diœceseos suæ Clerum*, p. 20. & 21. & *Hulsi*, ex libro, quem vocat *jura Gvilielmi* III., asserta, p. 133. Hinc

in propositâ quæstione, ad quam negativè respondet, ita versatur, ut (1) quid inusitatius illud vocabulum *juris Conquestus* sibi velit, & quid eo designent Auctores, à §.2. ad 12. inclusive, (2) quæ istorum sententiarum veritas sit, si ad principia doctrinæ Civilis & sincerioris historiæ exigantur, §.14. seqq. ostendat.

Eodem mense Aprili prodiit alia Dissertatio *Carolina. Hæresin Berengarianam* sistens, de quâ Præses *Nicolaus Dassovius*, SS. Theol. D. ejusdemque Prof. Ord. Reg. Consist. Assess. & ad D. Mariæ Pastor, & Respondens *Dionysius Behrens* / S. Theol. & Philos. Stud. disputarunt. (2. plag. in 4.)

Thes. I. Berengarii vitam describit, simulque addit encomium ejus ex Centuriatoribus Magdeburgensibus. *Thes. II.* eos errare monstrat, qui Hæresin Berengarianam Apostolorum ferè tempore acceptam referunt, & testimoniis adductis probat, in Ecclesiâ priscâ de verâ Corporis & sanguinis Christi in sacrâ Cœnâ præsentiam dubitatum non fuisse. *Thes. III.* Expendit illorum argumenta, qui hanc sectam antiquissimam faciunt. *Thes. IV.* meminit, circa sæculum nonum floruisse Bertramum, (quem alii Pertramum appellant) itemque Johannem Erigenam, Scotum, qui Controversiam Berengarianam primum promoverunt, post hunc Scotum sæculo undecimo vixisse Berengarium, horum errorem qui interpolavit. *Thes. V.* ejusdem errorem recenset, atque refutat. *Thes. VI.* argumenta, quibus Berengarius usus proponit. *Thes. VII.* de damnatione hujus Hæreseos quædam habet. *Thes. VIII.* Berengarium in dubitatione è vitâ excessisse narrat, quoniam etiam hodiè illius in hæresi sint successores ostendit.

GEDANI

Die 26. Januarii *Christophorus Behr*, Eloqv. & Poës. P.P. Agonem VI. in Plinii secundi Panegyricum à c. 59. usque ad c. 69. egit, Respondente *Carolo Godofredo Heinio*, Dantisc. (plag. 5)

In Athenæo sub Præsidio D. *Samuelis Schelvigii* WIGANDIANA continuabantur.

Excutebat autem respondendo Partitionem IV. de *Ceremoniis, Ecclesiâ & Ministerio*, *Jacobus Matthæi*, Gedan. 9. Febr. (plag. 3½.)

Partitionem V. de *Ministerio Ecclesiastico & Magistratu Politico*, *Georgius Andreas Messerschmidt*, Gedan. 16. Febr. (plag. 4.)

Partitionem VI. de *Magistratu, Baptismo, Cœnâ, Pœnitentiâ & Confessione*, *Thomas Völcker*, Gedan. Nobil. Dicast. Alumnus. (plag. 3½)

Partitionem VII. de *Novissimis, itemq; de dissensu inter Wigandum & Navatores*, *Carolus Ernestus Kettnerus*, Ged. Alumnus Oelhafianus, (plag. 3½)

Materiâ hâc ad finem perductâ totum Opusculum cum Præfatione & indice produit, sub titulo *D. Samuelis Schelvgii Wigandiana, hoc est Anabaptismus D. Johannis Wigandi, Pomejanensis quondam Episcopi, septem Disputationibus in Arbenæo Gedanensi ita excussus, ut primùm Parallelismus inter Anabaptistas & hodiernos Novatores, postea autem dissensus inter hosce & Wigandum proponatur: cum Appendice lepidam Descriptionem & Divisionem Pietistarum exhibente.* Gedani, typis Joh. Zachar. Stollii, 1702. (1 Alphab. in 4to.)

Die 30. Martii Præsede *M. Gabriele Groddeck*, Logic. Metaph. & Philosoph. Pract. Prof. Publ. & Reip. Bibliothecario de *Enthusiasmo Philosophico*, publicè disputavit Auctor Respondens *Michaël Gottlieb Hanschius*, Gedan.

Proœmium ab occasione scribendæ Dissertationis, à nonnullis Cartesianis, veram Philosophiam meram esse relationem asserentibus, suppeditatâ, ducitur. § 1. Vocis originem sistit tum Historicam, tum Grammaticam. § 2. in diversimodam Enthusiasmi acceptionem inquirat. § 3. Synonyma & varias appellationes proponit. § 4. Diversa Enthusiasmi genera apud profanos Autores, præsertim apud Platonem & Plutarchum obvia recenset, paucisque exponit Enthusiasmum Corybanticum, Bellicum & Bacchicum. § 5. agit de Enthusiasmo divinatorio. § 6. de Enthusiasmo Poëtico. § 7. adjungit Enthusiasmum

siasmum Rhetoricum ac Musicum. § 8. exhibet Enthusiasmum
 Amatorium. § 9. tradit Enthusiasmi Philosophici definitio-
 nem. § 10. considerat causas Enthusiasmi, tam remotivè, il-
 lum non à Deo, quàm positivè, eum à morbo & diabolo esse
 accersendum, confirmans. §. II. idem probat à mediis, qui-
 bus Platonici ad *θεομερρωσιω* adipiscendum usi sunt. §. 12.
 reducit ad illa Platonis Meditationem Mortis, atque ecstasin
 non esse naturæ perfectionem demonstrat. §. 13. ostendit
 hunc errorem ex falsissimo illo Platoniorum principio :
Omnia esse ex ipsâ DEI substantiâ producta, & in eam ultimò refundi,
 provenisse. Quod dum refutatur simul quæ superstruuntur,
 nempe ecstasin esse appetendam, & à liberâ voluntate pen-
 dere, concidunt. §. 14. expendit finem Enthusiasmi Platonici,
 qui est Deificatio, reditus ad Divinam Legem, & effecta, quæ
 sunt Visiones Philosophicæ, penitior atque intimior rerum
 cognitio. §. 15. Subjectum quod Enthusiasmi Philosophici
 constituit hominem; subjectum quo idque mediatum ani-
 mam; hâc occasione doctrinam Platoniorum de animarum
 præexistentiâ & multiplici in corpora reditu examinans. §. 16.
 ad immediatum Enthusiasmi Philosophici subjectum, intelle-
 ctum humanum descendit, & quæstionis : *An intellectus noster*
merè passivus sit? an verò possimus etiam activitate nostri intellectus con-
sequi scientiæ veritatesque Philosophicas? partem priorem negat,
 posteriorem tuetur, contra Hermannum Alexand. Roëllium
 & Petrum Poiret, cujus singularem opinionem *ex Tr. de verâ Me-*
thodo inveniendi Verum, & tribus libris de Erudit. solid. superfic. & falsâ
excerptam *ὡς ἐν συνόψει* legentium oculis subjicit. §. 17. Ra-
 tiunculis Poireti satisfacit. §. 18. Continet quæstionem, in
 quo cardo arduæ de Enthusiasmo recentiorum Cartesianorum
 Philosophico controversiæ vertitur : *Utrum scil. mens nostra*
Idearum sit causa efficiens principalis; an postquam ex universali dubitatio-
ne emerfit, scriinia sua excutiens cum naturâ à Deo inditas atque insitas
inveniat? §. 19. Negativè quæstionis partem posteriorem, prio-
 rem affirmativè decidit, adversamque Cartesianorum senten-
 tiam

tiam cum propriis Magistri principiis stare non posse evincit. §. 20. quæ Plato de Ideis senserit deberi Pythagoræ, Orpæo, Ægyptiis, & Chaldæis, neque immeritò exinde Platonis Philolophiam Magiæ Vetitæ insimulari docet, ac Dissertationi imponit colophonem. Superadditur Corollariorum Triga. (4to, plag. 6.)

Die 6. Aprilis disputavit *M. Christianus Sahmius*, Mathem. Profess. Publ. Ordin. & Rector Johannitanus, de *Columna Nubis & Ignis*, Respondente *Jacobo Magno Rosenfrank*, Gedanensi. (plag. 3½)

Argumentum est sequens: §. 1. Columnam Nubis & Ignis præcessisse Israëlitas egredientes ex Ægypto, tam ex Scripturâ, quàm Autoribus, qui de rebus gestis populi Israëlitici scripserunt, probatur. §. 2. Proponitur quæstio de Columna Nubis & Ignis ventilanda, quæ hæc est: Utrum naturæ viribus ea producta, an verò viribus majoribus, quam quas natura habet, ortum suum debeat? §. 3. Phænomena præcipua hujus Columnæ ex Scriptura recensentur. §. 4. An Columna Nubis & Columna Ignis unum, an verò diversa fuerint subjecta inquiritur? §. 5. Examinatur sententia *Andreae Rose*, qui inter Phænomena cœlitus, singulis bis mille annis prodeuntia, & novas stellas, hanc Columnam retulit. §. 6. Inquiritur, an hæc Columna fuerit Cometa? §. 7. An Meteoron igneum de nocte, de die verò Nubes naturæ viribus producta & mota, hanc Columnam exhibuerit? §. 8. An ignis sacer de nocte lucens Columna ignis, & fumus ex eo ascendens de die Columna Nubis dicatur? §. 9. Concluditur, non naturæ viribus, sed divino miraculo hanc Columnam aut productam aut motam saltem fuisse & conservatam, & quæ præter necessitatem cumulentur hic miracula annotatur.

Die 27. Aprilis *Samuel Fridericus Willenberg*, J. U. D. Fjusdemque & Histor. P. P. ac Athenæi Inspector, disputabat de *oneribus Matrimonii*, Respondente *Joachimo Jacobo Schrodero*, Gedan. Dis-

Dissertationis hæc summa est: *Cap. I. de consequentiis Matrimonii*, §. 1. Immensa Dei sapientia in conservatione generis humani exhibetur. §. 2. Hominis proclivitas in matrimonium. §. 3. Matrimonii dignitas. §. 4. An Sapienti expediat uxorem ducere? Rabbini matrimonium necessitatis, non voluntatis esse statuerunt. §. 5. An omnes & singuli homines ad contrahendum matrimonium obligati sint. §. 6. An cœlibatus conjugio præferendus, vel viceversa. §. 7. Ad quosnam ritus nuptiales obligentur futuri conjuges. *Quæ sint consequentia matrimonii in genere.* §. 9. Conjux conjugii ad debitum conjugale obligatur. §. 10. Inducit matrimonium affinitatem inter Conjuges & alterius conjugis cognatos, non inter ipsos conjuges. §. 11. Idem inducit quendam bonorum communionem. §. 12. An jure civili matrimonio contracto inter conjuges oriatur bonorum omnium communio? neq; resolvitur dubium. §. 13. An de jure statutorio? Aff. §. 14. *Quomodo dividatur secundum statuta bonorum communio.* §. 15. Marito in uxorem competit potestas. In quo ea consistat. §. 16. & in liberos patria potestas. §. 17. Uxor marito subjecta esse debet. An fœminæ digniores viris? §. 18. An propter subjectionem uxor omnis juris experta? neg. §. 19. Ea sequitur dignitatem & forum mariti. §. 20. Recapitulatio quædam præcedentium. §. 21. Etymologiæ rubricæ disputationis: Synonymia matrimonii. §. 22. Definitur matrimonium. §. 23. Definitio onerum matrimonii ejusque explicatio. §. 24. Causa remota horum onerum divina pœna est: causa propinqua. *Cap. II. de Personis, quæ ferunt & pro quibus feruntur onera Matrimonii.* §. 1. Onera matrimonii ferunt conjuges, sed diverso respectu. §. 2. Primariò ea sustinet maritus & quare. §. 3. Datur hujus vera & adæqvata ratio. §. 4. An marito inopi adhuc incumbant O. M. §. 5. *Quis ea ferat, si constante matrimonio fiat inops?* §. 6. *Quomodo secundariò ad uxorem pertineant.* §. 7. Ad quasnam operas uxor marito obligetur? §. 8. Personæ pro quibus feruntur onera matrimonii sunt uxor. §. 9. Liberi, §. 10. &

Famuli. *Cap. III. de speciebus quibusdam onerum matrimonii.*

§.1. Onera matrimonii non possunt certâ regulâ comprehendi. §.2. Primum onus est alimentorum & quid sub illis comprehendatur. §.3. Maritus uxorem alere tenetur. §.4. Etiam si pauper ad eum venerit, & nullam dotem dederit. §.5. An & post separationem quoad thorum & mensam? §.6. In quâ quantitate alimenta præstanda. §.7. Cujusnam pretii vestes maritus uxori comparare debeat? §.8. An vestes à marito datæ præsumantur donatæ? §.9. An maritus æs alienum pro uxore debeat solvere? distingv. §.10. Ubi omnium omnino bonorum communio, ad æs alienum ex contractu, constante matrimonio, conflatum alter conjux pro altero tenetur: Etiam si ex delicto sit debitum. §.11. Quando ad illud tenetur ubi viget communio bonorū simpliciter omnium vel particularis. §.12. An idem ante matrimonium contractum exsolvendum, pro diversitate statutorum dijudicandum videtur. §.13. Affirm. sententia, si alicubi sit universalis bonorum communio. §.14. Resolvitur dubium. §.15. An adhuc post mortem unius conjugis debita matrimonio antiquiora, à superstite in solidum solvenda? §.16. Quænam onera subit maritus pro dote servandâ. §.17. Maritus tenetur ad Xenia, quæ uxor facit in honorem suum. §.18. Quando ad uxorem in judicio defendendam teneatur. §.19. Tenetur idem ad medicamenta ægrotx uxoris. §.20. Et ad funeris uxoris impensas. Quid harum nomine veniat. §.21. Quando in funus uxoris erogandæ. §.22. Marito mortuo debentur viduæ vestes lugubres. §.23. Nec non per annum luctus reliqua alimenta. §.24. Ut & dotalitium. §.25. Quæ impensæ faciendæ initio nati filii. §.26. Incumbit Patri onus educationis liberorum. §.27. An statim nato filio teneatur ad alimenta. §.28. Matre non valente lactare, infanti nutrix danda. §.29. Tenetur Pater alere liberos suos & emancipatos, etiam immorigeros & exheredatos, ac bannitos. §.30. Quamdiu debeantur liberis alimenta. §.31. Obligatio Patris ad educationem liberorum mentalem. §.32. Quænam sit

primaria cura Patris circa illam. §. 33. Pater filium instruendum dare debet bonis magistris & his ad Minerval tenetur. §. 34. An teneatur ad sumtus studiorum filio se invito studenti. §. 35. Idem prospicere tenetur liberis suis de amabili conjugē. §. 36. Et sumtus in convivium nuptiale impendere. §. 37. Ut & filiabus dotem constituere. §. 38. An etiam emancipatam filiam dotare debeat? Affirm. §. 39. An locupletem? Aff. §. 40. Filiis tenetur dare donationem propter nuptias. §. 41. Hujus donationis finis & effectus. §. 42. An doti debeat esse æqualis? §. 43. Succurrit liberis nuptis subsidio paterno. §. 44. Nonnunquam fert donationes à filio factas. §. 45. An liberis famulantibus debeatur merces? §. 46. Impensas facit in medicamenta & funus liberorum. §. 47. Maritus famulis suis ad victum. §. 48. Et ad mercedem tenetur. An debeatur, si quis pro gratiâ serviit? §. Quando solvenda? An tota solvenda, si Dominus servum expellat? An si famulus à famulatio ante tempus discedat? §. 50. An teneatur ad impensas funerales servi? *Cap. IV. De Actionibus prosequendi competentia onera Matrimonii.* §. 1. Onera matrimonii tanquam quoddam debitum actionibus prosequi licet. §. 2. Quando actione præjudiciali experiendum. §. 3. Probatum, contra maritum ad O. M. subeunda competere actionem. §. 4. Et quidem pro alimentis consequendis datur imploratio officii judicis. §. 5. Eadem datur ad sumptus disciplinæ addiscendæ. §. 6. An pro alimentis uxori in bonis mariti competat tacita hypotheca? §. 7. Quæ competat actio ad æs alienum & dotalitium consequendum? §. 8. Quæ actione conveniatur pater ad dotem, vel ad donationem propter nuptias dandam? §. 9. Quæ detur pro mercede famulitii consequendâ? §. 10. Et quæ pro impensis funeris repetendis? *Cap. V. De Subsidis onerum Matrimonii.* Marito in subsidium O. M. debetur dos. §. 2. A quo illa petenda? §. 3. An maritus uxorem ducens sine mentione dotis adhuc cogere possit ad dotem dandam dictas personas? §. 4. An sponsus ante nuptias petere possit dotem? §. 5. An ob non solutam dotem uxorem domo expellere

lere possit? §.6. Quale jus maritus habeat in dotem? §.7. An incerta quantitate dos præstari debeat? §.8. Pro sublevandis his oneribus juvat uxorem morganicam ducere. §.9. An privatis hoc permissum? §.10. Jure Romano conceduntur conjugatis varia privilegia. (plag. 8.)

REGIOMONTI

Mense Martio Præses M. *Johannes Engelbrecht* / Schiff. Pruss. & Respondens *Georgius Albertus Willudovius*, Philosoph. Stud. Læcent. Pruss. proposuerunt Paradoxon Politicum de *Politicorum Demonstrationibus Scientificis, quas vulgò dari negant.* (plag. 2½. in 4.)

Die 16. Aprilis, ipso Festo Paschali, à Pro-Rectore & Senatu Acad. Regiom. propositum est Programma ex Num. XXIV, 17. *Sceptro ex Israël surgenti sacrum*, Autore *D. Godofredo Wegnero*, h.t. Decano, qui ex eodem loco etiam Programma Natalitium concinnavit. (plag. 1½. in 4.)

Die 27. Aprilis, Præsides *Benjamine Ewaldt* / Med. Doct. Disputationem Medicam de *Formicarum usu in Medicinâ*, defendit *Immanuel Henr. Garmann*, Chemnicenf. Mifn.

Disputatio in duo fuit divisa capita, quorum prius egit de *formicarum generatione*, & reliqua propria constitutionis historiâ; posterius verò de *formicarum variis præparationibus & directione harum ad debitos usus in praxi medicâ*. Calci hujus Dissertationis annexa legitur *decas Corollariorum Chymico-Medicorum Paradoxorum.*

Die 29. April. Exercitationum Philosophicarum de *Requisitis ad Virtutum Moralium acquisitionem necessariis* secundam habuit Præsides M. *Fridericus Stadtlender* / Regiom. Pruss. Respondente *Christiano Musculo*, Trempenf. Pruss.

Postquam in Disputatione prima, cujus Mense Febr. hujus anni p. 45. meminimus, requisita ista juxta mentem veterum Philosophorum recensuit, quorum potissima numerantur: *Φύσις*, *Natura*, *μείθησις*, *Doctrina*, aut *Institutio* & *ἔθες*, *Assuetudo* s. crebræ actiones. jam in secunda Dissertatione alterum

terum exhibet requisitum, *Doctrinam* s. *Institutionem*. Ubi (1) Stoicorum refellitur opinio, existimantium, eam causam esse efficientem proximam. (2) Propria traditur Assertio, ostendens, non omnem doctrinæ ac institutioni in parandâ virtute morali efficaciam & vim adimendam esse, quod variis confirmatur rationibus. (3) Quid quantumque ea ad obtinendas virtutes habeat momenti explicatur.

Eodem die sub Præsidio *M. Reinholdi Stürmer* / Dissertationem *Moralem de Laude Propria*, ventilandam proposuit Respondens *Reinholdus Seel* / Pruss. Phil. Stud. (plag. 4. in 4.)

Contenta ejus sunt sequentia : §. 1. Laus bonis ac honestis viris debetur, quia ipsis virtus inest, cui laus primariò tribuitur. §. 2. Sed nec vitio verti potest viris honestis, si laudem virtutis suæ præmium legitimo modo appetant. §. 3. Illud verò adhuc disquisitionem meretur : Utrum laus propria viro bono conveniat, sive : Utrum vir honestus seipsum laudare possit? Vulgò injustum censetur seipsum laudare, quia laus ab aliis potius expectanda. §. 4. Laus propria arguitur arrogantia & ambitionis ex nimia Philavtia profectæ, itemque stultitiæ & impudentiæ tribuitur. §. 5. Laus propria in aliis hominibus molesta atque exosa, quia seipsum laudans alios præ se contemere putatur, aliosque vel invidiæ vel adulationis suspitioni exponit. §. 6. Laudans seipsum apud alios omni laude excidit; Hinc testimoniis sapientum laus propria dissvadetur. §. 7. Ostenditur, quantum argumenta hactenus contra laudem propriam allata valeant, sc. quod solum illam laudem propriam improbandam evincant, quæ ex ambitione proficiscitur, & cum jactantia conjuncta est, hæc autem si à laude propria absint, eandem certis casibus à viro honesto adhiberi posse, probatur, quia laus propria & veracitati, & magnanimitati & justitiæ congruit, ejus autem intermissio quandoque vitiosæ dissimulationis, pusillanimitatis & injustitiæ accusari potest. §. 8. Laus propria equevidem ex Philavtia proficiscitur, sed licita ac ordinata, unde & à sapientibus non omnis laus propria rejicitur, sed

sed quædam admittitur. §.9. Adducuntur casus quidam, quibus quis seipsum licitè laudare possit nempe quando calumniæ refellendæ sunt, quando rectè facta culpantur ab aliis imprimis talia quæ ad officium nostrum pertinent. §.10. Ulterius, quando in calamitates quis inciderit, aut quando ingratis beneficia commemoranda. §. 11. Quando laus propria est ex usu aliorum, ut per illam vel ad virtutem excitari, vel à timiditate revocari possint. §.12. Modus in laude propria adhibendus, ut illa fiat quam modestissimè, non sit intempestiva, nec nimis crebra, nec cum obtreptione alienæ laudis conjuncta, nec nostræ laudes aliorum laudibus statim immiscendæ. §.13. In laude propria potius ad defectum quam ad excessum inclinandum, aliquando etiam defectus quidam laudibus nostris admiscendi, & jactantiæ suspicio atque invidia certis formulis deprecanda. §.14. Laudans seipsum ad invidiam declinandam etiam aliorum, inprimis Auditorū laudes admiscere debet, nec præclare facta sibi soli sed etiam aliis simul adscribere, quod non saltem Oratores, sed etiam Ministri aulici facere tenentur, ut gloriam rei benè gestæ non tam sibi quam Principi adscribant. §.15. Nonnunquam facta præclara fortunæ assignanda, inprimis verò ad Deum referenda, quod etiam Ethnici fecisse leguntur.

Mense Aprili M. *Gottfried Erasmi*, Reg. Pruss. Respondente *Johanne Sigismundo Babatio*, Reg. Pruss. S. Theol. & Phil. Stud. pro receptione in Facultatem Philosophicam Diatribam Geographico Historicam, de *S. S. Apostolorum Evangelizationum peregrinationibus per quatuor terra partes*, placidæ eruditorum disquisitioni submisit. (7½ plag. in 4.)

Præfatio ad Lectorem Dissertationis hujus occasionem exponit, & ad duo dubia circa Thema propositum respondet. Tractationis §. 1. considerat Dominum mittentem, §. 2. Legatos s. Apostolos, §. 3. Horum nomina enumerat, & §. 4 numerum, §. 5. ac 6. Apostolos olim ex mandato divino totum terrarum orbem pergrassasse, atque verbi divini semina sparsisse

probat, nec non contrariam sententiam refutat. §. 7. necessarium non fuisse dicit, ut singulas civitates, pagos & angulos in quatuor mundi partibus perreptarent Apostoli. §. 8. eos universum orbem inter sese divisisse, hancque divisionem non sorte, sed vel mutuâ inter se voluntate, vel ductu ac impulsu Spiritus Sancti factam esse asserit, simulque tempus illud notat, in quo Apostolorum cœperit peregrinatio. §. 10. observat, Deum confectis bellis pacem ubique terrarum dedisse, omnesque ferè gentes vel Romani Imperii Subditos, vel confœderatos fuisse, ita ut ea propter pedes Apostolorum absque impedimento universum potuerint percurrere orbem. §. 11. ostendit in *Asiâ* & quidem in *Palestinâ* docuisse Servatorem ipsum & Apostolos, §. 12. in *Syriâ* viros Christianos Cyprios & Cyrenæos, item Paulum & Barnabam atque Petrum; in *Phœniciâ* Paulum iterum & Barnabam cum aliis; in *Ciciliâ*, *Pampbilâ*, *Pactera*, *Rhodo*, *Cypro*, *Troade* Paulum; in *Asiâ minori* præter Johannem etiam Petrum; in *Licaoniâ* & *Armeniâ* Bartholomæum. §. 13. apud *Indos*, *Persas*, *Medos*, *Hircanos*, *Bactros*, *Parthos* Thomam; apud *Scythas* autem, & in specie *Sogdianos* & *Sacos* Andream, apud *Arabes* Paulum prædicasse scribit. §. 14. probat *Africam* Evangelii lumine illustratam statim à nece Stephani, in *Egypto* Marcum; in *Æthiopiâ* Matthæum concionatum esse. §. 15. In *Europam* progrediens disquirat, num *Jacobus major*, vel *Paulus ante Jacobum* in *Hispaniâ* prædicarit? §. 16. refert, Crescentem evangelizasse in *Galliâ*, §. 17. Paulum in *Italiâ*; an *Petrus Romæ* fuerit? expendit. §. 18. In universâ *Graciâ*, *Thraciâ*, *Mœsiâ*, Paulum, Andream, Lucam & Matthæum verbum Dei annunciasse tradit. §. 19. In *Germaniâ* porrò Lucium Cyrenæum, Marcum, Clementem, Maternum, Evcharium, Valerium, Thomam, Andream, Egistum. §. 20. in *Prussiâ* Andream, Bartholomæum & Thaddæum. §. 21. in *Scandinaviâ* Andream, §. 22. in *Britanniâ* Paulum, in *Hiberniâ* Jacobum, in *Belgio* Maternum, Petri discipulum præcones fuisse. §. 23. asserit Apostolos in *Americâ* prima Religionis fundamenta posuisse, contrarium sentientes citat,

& §. 24.

& §. 24. eorum argumentum præcipuum, quod sc. America ante tempora Americi Vesputii Florentini aut ante inventionem Christophori Columbi Genuensis veteribus prorsus fuerit incognita. §. 25. probat Americam non esse novum orbem. §. 26. habuisse incolas ante adventum Hispanorum, §. 27. notam fuisse tempore Salomonis, §. 28. imò ante & post diluivum. His absolutis enodat quæstionem: *quomodo & quâ ratione Apostoli Discipulique Christi nudipedes, pauperes in Americam pervenire potuerint, cum ipsis Oceanus obstaculo fuerit?* §. 30. confirmat quosdam ex Apostolis fuisse in Americâ. §. 31. inquiri: *quisnam Apostolorum ibidem fuerit?* & Matthæum penetrasse affirmat. §. 32. Epilogum Dissertationi subjungit.

H A F N I A E

Die 15. Martii, Præside *Laurentio Th. Schevio*, in Collegio Medicæo proposuit *Synodum Chronozevticam*, s. Dissertationem Astronomicam *de conjunctionibus Saturni & Jovis*, Respondens *Magnus Bircherus*, Joh. F. (2. plag. in 4to.)

Die 3. Aprilis, *Johannes Bartholini*, Theol. Prof. Respondente *Joh. Linberg*, disputavit *de Sepulturâ Christi*. (pl. 2½ in 4.)

Argumentum Dissertationis est: Primò ostenditur Subjectû *Θσάιν Σπῶρος*. Deindè probatur quod Articulus de Sepulturâ sit cognitu necessarius. Jam in V. T. creditus. Sepultura pertinet ad statum Exinanitionis. Tamen fuit honorifica. Est meritoria. Quod negant Pontificii & Calviniani. Qui refutantur. Ut & qui volunt, quod non mors, sed resurrectio demum cruciatibus finem imposuerit. Inter quos Pierius. Post quem & alii refutantur Calviniani, descensum Christi ad inferos per Sepulturam exponentes. Uti & Beza corpus Christi in sepulchro Cadaver appellans. Realiter quidem in sepulchro animam fuisse separatam à corpore. Verum tamen Christum mansisse hominem ob personalem unionem. Finem sepulturæ esse duplicem, *primarium*, ut illâ lueret partem pœnæ peccati, ut nostra sepulchra fierent jucunda cubilia, *secundarium*, ut spiritualiter cum Christo

Christo sepeliamur. Non autem finem esse religiosas Pontificiorum peregrinationes.

Die 27. April. prodiit *Joh. Wandalini* Discussio spei speciosæ de Conversione Judæorum illustri, ex Rom. XI. 25. 27. habita Respondente *Christiano à Moinichen.* (6. plag. in 4.)

Summa hæc est: affert brevem analysin sententiæ Apostolicæ. Ostendit quomodo Conversio Judæorum gentilibus tempore Pauli fuerit mysterium. Ut &, quomodo judæis conversio gentilium. Quomodo Israël ex parte obvenit induratio, & quis ille Israël. Et sic porro examinat singula ferè verba hujus loci, refellens simul analysin *Sperantium*. Monstrat quomodo h. l. applicentur ab Apostolo duo dicta prophetica Es. LIX, 20. 21. Jer. XXXI, 33. 34. *Sperantium* opinio de conversione ad absurdum redigitur, sc. convertendos esse Judæos, aut secundum Oeconomiam gratiæ in Evangelio, aut secundum longè aliam. Si hoc, fore alium salvandi modum, quàm indè à lapsu Adami fuit, quod absurdum. Si illud, quæritur: quænam vis gratiæ, quæ efficacia Verbi & Sacramentorum, quod meritum filii, quæ voluntas Patris & operatio Spiritus Sancti ultrà expectari possit, quam quæ huc usque nos convertit? Quo manifestior est Dei indulgentia & longanimitas erga Judæos, eò gravius ipsis incumbit judicium ob pertinaciam. Adfertur consensus Patrum & Doctorum Ecclesiæ, ad quod *Spenerus* aliique *Sperantes* provocant. Sed ostenditur ambigere *Hilarium*, *Ambrosium*, *Cyllum Alexandrinum*, *Basilium M.*, *Originem*, &c. *Augustinum* verò & *Chrysostomum* nodum magis secare, quam solvere, dum putarunt, Eliam, V. T. Prophetam, ante diem judicii venturum, Judæos ad fidem conversurum. Exponitur autem, quis ille Elias fuerit? *Sperantium* dogma esse novum, & quo respectu. Docetur, plurimos Ecclesiæ nostræ Doctores, ad quos provocant *Sperantes*, non favere *Sperantibus*.

KILONII.

Die II. Martii sub Præsidio *Henrici Mublii* Doctoris atque Professoris Theologiæ Ordin. de Fato duorum Testium

ex

ex Apocalypſeos Johanneæ Cap. XI. 3. - II. publicè diſſeruit
Albertus à Selde / Bremeniſis. (plag. 9. in 4to.)

In hac Diſputatione ſe id unicè curaturum dicit Auctor,
 ut ſepoſitis omnibus præjudicatis de hoc loco opinionibus,
 Spiritus Sancti mentem enucleatè reddat. Proinde à §. 2.
 ad 19. incluſivè, non ſolùm expendit verborum vim eorum-
 que connexionem, ſed etiam ſtatuit, per binos teſtes Johan-
 nem S. Vatem intelligere Sacram Scripturam, veteris ac no-
 vi fœderis libris comprehenſam, teſtium numero, nomine,
 officio, viribus, fato, aliisque argumentis ex Hiſtoriis de-
 promptis ac comprobatis, ad id credendum inductus. A §. 20.
 ad finem uſque Diſſertationis oppoſita ſibi ſuæque ſententiæ
 argumenta diluere allaborat.

Die 30. Martii ſub Præſidio *Georgii Paſchii*, Artis ratio-
 nis Philoſ. Primæ ac Moraliſ Prof. Ord. h. t. Decani, Poſitio-
 nes ex naturæ rationis que principiis deductæ de *DEO, Ejusque*
attributis, pro obtinendis ſummis in Philoſophiâ honoribus
 Eruditorum examini ſubmiſit *Bartholomæus Naſſer*, Tunderâ-
 Sleviceniſis. (2 plag. in 4to.)

Loco Præſationis de *Premio Literario, quod Magiſterium vo-*
cant, hac occaſione ſermonem inſtituit Præſes, & hunc A-
 ctum reſpondendo ad propoſitam quæſtionem: *Cum quo di-*
ſcendicupidus aptè comparari poſſit? novellus Magiſter finivit.

Eodem menſe Diſputationem Juridicam de *Feriis & Dilationi-*
bus, ad lib. ff. 2. Tit. 12. Sereniſſimi Principis Auſpiciis,
 Præſide *Nicolao Martini*, Jcto & Anteceſſ. Primario, Se-
 reniſſimi Ducis Sleyici & Holſatiæ Conſiliario Juſtitiæ
 Pandect. & Philoſophiæ Civil. Professore publico, publicè
 defendit *Petrus Fridericus Arpe*, Kilonienſ. Holſ. (plag. 3. in 4.)

Hujus Diſſertationis §. 1. tradit vocis *Feriarum* derivationem,
 §. 2. variam acceptionem, §. 3. diſcriptionem, & §. 4. earun-
 dem diſiſionem, à *Subjeſto*, in publicas & privatas, §. 5. à *Fine*,
 in illas, quæ cultui divino debitè peragendo, & quæ humanis
 V
 necel-

necessitatibus aliis deserviunt; illæ sunt dies Festi, qui vel ordinarii, §. 6. vel extraordinarii, §. 7. hæ pertinent vel ad rem Rusticam, vel ad mercatum exercendum. Hinc docet §. 8. totum diem cultui divino dicatum immunitatem à necessitate in iudicio comparendi tribuere, §. 9. aliter tamen fieri si necessitas urgeat, pietas svadeat, §. 10. Citationis insinuationem die feriato factam non valere neque licere, §. 11. uti nec Studiorum tractationem, tum §. 12. indicat, quæ Feriæ diversa Sacra colentibus sint observandæ? §. 13. ad Férias Humanas progrediens earum descriptionem addit & divisionem, in Rusticas & Vrbanas, quæ & Nundinales dici consueverunt, de illis agit §. 14. seqq. de his §. 17. Deindè considerat §. 18. duo Nundinarum privilegia; quorum alterum protectio & securitas; alterum, quod ad Nundinas venientes de debito conveniri, bonaque arresto detineri non possint; circa hoc posterius quærit §. 19. de Personis quibus competat? §. 20. de Objecto, h. e. debito, §. 21. de debito jurato, §. 22. de loco, ubi competat? Postea §. 23. expendit Feriarum effectum, §. 24. describit *Dilationem*, & quidem §. 25. undè oriatur, §. 26. cui obtingat, §. 27. Formale, in quo consistat, §. 28. Causas s. lites, in quibus locum sibi vindicet, contemplatur, §. 29. in iudicio Camera- li tres Dilationes; §. 30. autem in crimine adulterii nullam dilationem dari dicit, §. 31. notat dilationis effectus, & §. 32. seqq. dilationis terminum s. tempus, nec non §. 35. ejusdem divisiones, à causâ efficiente, in publicam & privatam; ab objecto, in iudicalem & extrajudicalem; ab effectu, in peremptoriam & dilatoriam. §. 36. Dilationis legalis exemplum sistit, §. 37. de Dilatione Probatoriâ agit, & tandem §. 38. de Dilatione *Cita- toriâ*, *Deliberatoriâ*, *Exceptoriâ*, *Litigatoriâ*, *Definitoriâ* & *Judiciali*.
 Dicto mense sub Præsidio *Samuelis Reyheri*, J.C. Cod. & Ma- them. super. & infer. Prof. Publ. *Christian Henricus Weide- mann*, Lips. pro summis in utroque jure honoribus ac Pri- vilegiis Doctoralibus obrinendis, publico examini submi- sit Disputationem juridicam Inauguralem de *Epactis Sola- ribus*

ribus præcipué verò de XI. dierum, ex fastis restitutis, & ad tempora Concilii Nicani reductis, exemptorum jure. (pl.9. in 4.)

Postquam in *Proæmio Causas* exposuit, ob quas de XI. dierum exemptorum jure agere voluit, *Cap. I.* agit de Epactis in genere, de Lunaribus verò in specie, nec non de mensis intercalaris jure; *Cap. II.* de Epactis Solaribus, earumque causis; *Cap. III.* de modis, quibus aliqui ex Fastorum mutatione ortis difficultatibus mederi voluerunt; *Cap. IV.* de temporum cursu; *Cap. V.* de tempore continuo & utili; *Cap. VI.* de Præscriptionum, V. s. u. c. & Dilationum temporibus, uno anno & uno mense minoribus, & quidem de horis & diebus; *Cap. VII.* de præscriptionibus & dilationibus per menses definitis; *Cap. VII.* de præscriptionibus, dilationibus, aliisque temporibus annalibus; *Cap. IX.* de præscriptionibus, dilationibus aliisque temporibus annum usque ad quinquennium excedentibus; *Cap. X.* de septem, decem, quatuordecim, septendecim, octodecim, viginti, nec non vigintiunius annorum temporibus, præscriptionibus & dilationibus; *Cap. XI.* de viginti quinque, triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta annorum temporibus & præscriptionibus; *Cap. XII.* de sexaginta quinque, septuaginta, nonaginta, centum annorum, item perpetua & immemoriali præscriptionibus; *Cap. XIII.* de aliis quibusdam temporibus ob emendatum Calendarium dubiis; *Cap. XIV.* de modo solvendi omnes difficultates ex undecim dierum suppressione ortas, deque conditionum, consensuum & aliarum circumstantiarum retrotractionibus; *Cap. XV.* de temporum, emendationem Gregorianam antecedentium, ad naturale tempus reductione.

Prodiit *Sebastiani Kortholti*, Poët. Prof. Publ. & Ordin. Programma, de Poëtis qui itinera sua Carmine complexi sunt, quo Patres Civesque Academicos invitavit ad audiendum Iter suum *Belgicum & Anglicanum*, quod versibus descripsit & die 8. April. publice recitavit. (1. plag. in 4.)

Principe loco Auctor producit *C. Jul. Casarem* & alios Imperatores, qui itinera sua versu profectuti sunt, de quibus pluribus se dicturum promittit in Dissertatione de *Poëtis Imperatoribus*. In alia de *Poëtis Pontificibus* jam meminit *Alexandri VII.* qui itinera sua inter proficiscendum depinxit. Nec obliviscitur *Horatii, Caji Lucilii, Ovidii, Lactantii, Aquilii Severi, Claudii Rutilii Numatiani*, qui e veteribus itinera sua carmine descripsere. Ex Anglis ipsi celebratur *Robertus Wild, Richardus Eedes, Rich. Corbetus, Georgius Sandisus, Isaacus Barrow* qui idem saxum volverunt. Deinde mentione facta *Rich. Bartholini Perusini, Jo. Bisselii Jesuitæ, Jo. Scoti, Jo. Secundi Belgæ, Andree Bajani Lusitani, & Jo. Isaacii Pontani Dani*, transit ad Germanos, inter quos de profectioibus suis versu scripsisse memorat *Joachimum Camerarium, Frid. Widebramum, Petrum Lindebergium, Jo. Ludov. Brassicanum, Mart. Braschium, Georg. Fabricium, Jac. Micyllum, Georg. Sabinum, Henr. Porsum, Paulum Rubigallum* & denique *Hildebrandum ab Horn*, quem civem suum ob notitiam poësis Gallicæ, Latinæ, Italicæ, Russicæ & Slavonicæ pluribus commendat, ejusque iter Moscoviticum se publicaturum promittit. Denique inter superfites celebrat *P. D. Huetium Antistitem Abricensem & Jo. Nicolaum Pechlinum, Consiliarium justitiæ*, quorum uterque excitatoris ingenii vires periclitatus est in itinere Svecico carmine depingendo. Addit se quoque admodum adolescentem *A. MDCXCVI.* iter suum Anglicanum versibus complexum esse, cujus publicationem quidem non necessariam, recitationem tamen nec inutilem, nec injucundam fore judicavit. Excitare enim voluit juvenes laudis capaces ad poemata secundum mandatum *Sereniss. Cimbrorum Principis* publice recitanda, ideoque, veluti quondam *Morbosius* habita oratione *de laudibus auri*, oratoribus; ita poëtis exemplo suo viam prævit, & aliquam partem profectiois suæ prælegit.

Idem *Sebastianus Kortholt*, Poët. Prof. Ord. die 12. Aprilis Patres civesque Academicos publico programmate invitavit ad audiendam orationem, quam *Petrus Peterfenius, Schlesvicensis,*

sis, vernaculis versibus expressit. Egit ille memor temporis sanctissimi in quo versabatur de *Memorabilibus Hebdomadis Sacro Sancta*, quam *μαγάλην εβδομάδα* & avthenticam pia vocavit antiquitas, testibus Chrysofotomo, Theodoro Studita, Anastasio Niceno, Jo. Filefacio & aliis.

HAMBVRGI.

Lucem publicam vidit Johannis Winckleri, ad D. Michaelis ædem Pastoris, succincta Explicatio difficiliorum commatum in capite nono Epistolæ Paulinæ ad Romanos prescriptæ obviorem, sive:

Eine kurze Erklärung der schwersten versiculn des 9. Capitels der Epistel St. Pauli an die Römer. Vormahls in einem Collegio Hermenevtico vorgetragen von Johann Wincklern / Pastor zu St. Michaëlis. Hamburg / bey Gottfried Liebernickel / 1702.

LVBECÆ

Johannes Nolto, Philosoph. & Medicinæ Doct. nec non Phycus Lubecensis edidit *Discursum Medicum de Theriaca Andromachi Senioris*, ejusque *Origine, Etymologiâ, Ingredientibus & Usu Medico*, ex variis tam Veterum, quam Recentiorum Scriptis adornatus, i. e. Eine Medicinische Lobrede des von vielen Jahren her hoch berühmten THERIACS / worin von dessen Ursprung / Namens-Benennung / herrlichen Ingredientien, und Preisbahren Nutzen / aus alten und neuen Auctoren gehandelt wird. Lubecæ, Typis Mauritii Schmalhertzii, Sumtibus Viduæ Edlerianæ, 1702. (6. plag. in 4.)

Prelo etiam parata habet:

Gazophylacium Medico-Pharmaceuticum.

Historiam Josephi.

Sylogon Observationum Chirurgico-Medicarum.


Dispensatorium Pharmaceuticum Lubecense, jam antehac in N. L. nobis memoratum.

Ova monstrosa ex Museo.

Jo. Jacobi Stolterfohti, D.

Non tam ovum ovo simile, rebus indiscretæ similitudinis, ad-


gii statuit antiquitas. A curvis incedere tibiis hoc simile diceres, si mirum Naturæ lusum, quem in *vegetabili* non saltem & *minerali Regno*, sed & in hacce pullitici specie, penicillo plus quam artificioso, curiosis passim sistit oculis, paulo accuratius rimaberis. En nostris ex scriniolis *caudatum* tibi trado *ovum*



an *ovum ovo* sit semper *simile* inter res dubias numerans. Ejusdem farinæ foetum ex anate, una cum alio exacte pyrum referente, inter rariora sua se servare testatur *D. Christian. Frideric. Garmann. Ephem. Nat. Curios. Dec. 1. A. 1. Obs. CXL. p. 273.* A figura nostra parum abludit *ovulum* illud *collo* crustaceo conspicuum in *Act. Med. Hassn. Vol. V. Obs. XVII. p. 72.* Quod vero cum appendice sive *caudatum* depingit *D. Petr. Rommelius. M. N. C. Dec. II. A. V. Obs. CXLVII. p. 300.* duplicaturæ potius & superfoetationis specimen est, ut docte sentit idem, calculum adjacente *Excell. Domino D. Luc. Schröckio in Schol. ad l. c.* interim monstruosum satis, & ab ordinaria figura multum aberrans. Ratio autem phænomeni in nostro, quod sistimus, *ovo*, à corticis consistentia ante exclusionem petenda videtur. Hæc enim, uti ex iis quæ *A. 1699. Mens. Januar. p. 30.* occasione *ovi pregnantis* adduximus, prima duritiei rudimenta ex arena & lapidibus deglutitis in culeo gallinæ con-

contrahit, ab aëre ambiente demum ultimum indurationis gradum expectantia. Hæc vero materia cum ante plenariam indurationem sit admodum mucilaginea, in ipso exclusionis conatu extrema pars glutinosa nondum indurata culeo tenacius adhærens talem *cauda* figuram formavit, & deinceps appendicis instar sese cortici primario, cujus pars est, orbiculatim applicavit, prout se ovum in emigratione ex viscerum claustris ratione figuræ in gyrum duxit. Materiam corticis esse tortilem, *ovum Galli Gallinacei* semicircularis figuræ, quod depictum sistit *Dn. D. Marcus Gerbezius M. N. C. Dec. III. A. V. & VI. Obs. CXXXVIII. p. 278.* & illud Gallopavi monstrosum, quod ad vivum delineat *D. Gustav. Casimir. Gabrliep. l. c. Obs. CLXIV. p. 374. seqq.* itemque illud in p. n. humorem degeneratum & valde extensum, inter rariora *D. Friderici Ruyschii Observ. Anatomico-Chirurgic. XVII. p. m. 23.* nec non *caudatum* illud *Excell. Dn. D. Luc. Schröckii in Schol. ad M. N. C. Dec. 1. A. 1. Obs. XVI. p. 38.* ac istud *Olai Borrichii Act. Med. Hassn. Vol. V. Obs. XVII. p. 72.* aliaque p. n. figurata passim obvia evincunt.

Ast diversa ab hisce facie reddit se conspicuum *ovum* tali modo figuratum



quod itidem inter reculas nostras asservamus, diversis angulis ac plicis donatum. Monstrosus namque hicce partus non videtur in ipso exclusionis actu à statu suo naturali recessisse, sed in ipsa matrice, ex particularum arenosarum reliquiis. Quæ in finem quippe appetitu naturali deglutiant lapillos & arenam Gallinæ d.l. sub tit. *Ovum pragnans*, paucis indigitavimus. Cum vero indigestæ remaneant mineralis convivii particula, utitur iisdem in suo Laboratorio Archeus Protheiformis, attendendo cortici tenello, orbiculumque culi diversimode agitando: ut politus quasi ab Artificis manu prodeat fœtus tot angulis striisque conspicuus; qualem nostro exacte similem in *Physico-theca sua custodiebat B. Dn. Doct. Henric. Liepstorpius*, amicus noster desideratissimus. Cortice plicato at tereti figura præditum ovum sifit quoque Curiosorum oculis Excell. *Dn. D. Lucas Schröckius M. N. C. Dec. II. A. 1. Obs. XVI. in Schol. p. m. 37.* ubi & ex communicatione *D. Andreae Cleyeri* ovum Gallinaceum cum serpentis imagine in testa depictum repræsentat, cum alio, quod die 14. Decembr. An. 1680. Romæ in Capitolio apud Ministerium quendam primarium à Gallina exclusum, Cometam eodem temporis articulo in caput Andromedæ horrendum tuentem, in testa sua cum aliis Asterismis ostendens: quale phænomenon imaginationis viribus haud inepte tribuit. Huc quadrat ovum sole signatum *Scheffers*, cujus mentionem injicit *Job. Henric. Seyfried Medull. Mirabil. Natur. L. II. c. IV. p. m. 620.* Ejusmodi imaginationis & impressionis vim in anate, cujus ovum Epar Lucii piscis deglutitum reddebat, ostendit *Dn. D. Dan. Crüger. M. N. C. Dec. II. A. VI. Obs. XLIII. p. 113.* conf. quæ de Malazæ alterius in ovo figura singulari habet *Dn. D. Job. Mauric. Hoffmann. M. N. C. Dec. II. A. VII. Obs. CCXLV. p. 460.* Viden igitur, B. L. quam sit ovum ovo simile?



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Junio MDCCII.

WISMARIAE

Die 4. Maji sub directione M. *Johannis Kindleri*, Rectoris, publicam in Auditorio Novo Cathedram animarunt tres Lycei Cives, *Johannes Caspar Clafen*, *Vincentius Beuthin*, & *Johannes Henricus Höfer*, omnes Wismarienses, de Resurrectione JESV CHRISTI verba faciendo. Et *primus* quidem *multiplicem*, qui ex Resurrectione Christi in humanum genus redundat, fructum exposuit. *Secundus* ex *meritis* & Resurrectione Christi Resurrectionem Impiorum pendere, confirmare annisus est; Cui contradicens *Tertius*, *meritis* & Resurrectioni Christi Resurrectionem Impiorum non debere, probavit.

Stanno *Matthiae Martini* impressa exstat Concio Funerbris, ex Epist. ad Philip. I, 23. in Funere Generosæ Matronæ à *Negensdanken* habita, & publicæ luci exposita à *Johanne Conradi*, Pastore *Prosecken*si, sub titulo: *Fidelis anima cæli desiderium*, sive *Einer Gläubigen Seelen Sehnsucht nach den Freuden-Himmel*. Constat cum *Personal*. 16½ plag. in fol.

ROSTOCHII

Die 6. Maji sub moderamine *Andrea Danielis Habichhorstii*, S. Theol. D. ejusdemque P. P. & Consiliarii Consist. Collegiique Ducalis & FCTis Theol. nec non totius Acad. Senioris, Præses M. *Henr. Ascan. Engelcke* / Rostoch. SS. Theol. Cand. & Respondens *Christianus Henr. Schulemann* / *Dobber. Meckelb.* Dissertationum Theologicarum, quæ D. *Justi Christoph. Schomeri*, b. m. Collegium novissimarum tunc temporis Controversiarum in universam Theologiam, exhibent, *primam*, sistentem Cap. I. de Præcogni-

tis, contra *Atheos* & *Naturalistas*, ventilandam proposuerunt. (2½ plag. in 4.)

Cum præliminariter dictum esset, quòd quæstioni illi, an detur Theologia, duæ sint permittendæ, 1. an sit Deus, 2. an detur revelatio? asseritur §. 1. & 2. existentia Dei contra Hobbes, eaqve probatur. §. 3. ex vicissitudinibus rerum primum principium postulantis. §. 4. ex rerum harmoniâ, contra Morum. §. 5. ex naturali sensu honesti ac inhonesti, ac conscientiâ. §. 6. Additur patere ex effectibus DEum esse Ens perfectissimum. §. 7. Rejjicitur dubitatio de existentia DEI, contra Cartes. §. 8. Adstruitur Providentia, & §. 9. quod alia detur adhuc vita. §. 10. Luminis naturæ ad cultum Dei insufficientia ostenditur, undè §. 11. teneamur inquirere revelationem, contra Herbertum. §. 12. de quâ homo possit certus fieri, contra Spinosa. §. 13. Requisita revelationis sunt (a) Sanctitas, (b) Sublimitas rerum, (c) Conformitas, (d) Antiquitas. Indicia præterea ejus sunt (a) prædictio futurorum, (b) miracula. Refutantur ea, quæ contra miracula profert Spinosa. §. 14. Requisita Scripturæ Sacræ sunt, quod complectatur (1) præcepta sanctissima, (2) mysteria, (3) conformitatem, (4) antiquitatem, (5) prædictionem futurorum, (6) miracula. §. 15. Non potest infidelis fidem historicam Scripturæ Sacræ denegare, §. 16. Alia divinitatis Scripturæ *αριτήρια*. §. 17. Descriptio Theologiæ.

Die 13. Maji Præsides M. *Davide Henrico Kæpkenio*, Luneburg. Respondens *Johan. Henr. Finck*, Schediasma Historicum de *Lato Clavo*, Eminentiorum quondam Insigni, ejusque jure, placidæ disquisitioni submitit. (1½ plag. in 4.)

Die 20. Maji, Collegii *Schomeriani* Disputationem secundam de *Scripturâ Sacrâ* Moderante *Johanne Fechtio*, S. S. Theol. D. ejusdemque P. P. & Consiliario Consist. nec non Distr. Rostoch. Superintendente, habuerunt Præsides supra dictus *M. Henricus Ascan. Engelcke* / Rostoch. S. S. Theol. Cand. & Respondens *Erhardus Sprengel*, Stettin. Pomer. (pl. 3. in 4.)
Argu-

Argumentum est tale: §. 1. Scriptura S. ad huc complectitur vera & genuina Mosis, Prophetarum & Apostolorum Scripta, contra Spinosam, Hobbesium, & Peyrerium, Pentatevchum præcipuè impugnantes. §. 2. Ad Scripturam S. non pertinent Apocrypha. §. 3. Quo sermone consignata sit Scriptura, constare potest tum historicè, tum criticè ac Theologicè, contra eos, qui dicunt, id tantum ex Ecclesiæ testimonio innotescere, Calixtum & Musæum. §. 4. Literæ quadratæ sunt primævæ Hebrææ, non Samaritanæ, contra Capellum, Vossium, Waltonum, &c. §. 5. Vocalia Hebræa literis sunt coævva, contra Eliam Levitam, Capellum aliosque. §. 6. Item accentus, §. 7. Discrepantia Versionum à fontibus non potest probare fontium corruptionem, contra Vossium, LXX viralis interpretationis laudatorem. §. 8. Scriptura S. non approbat errores vulgi, contra M. H. Nicolai, Wittichium, Spinosam. Viam erroneæ sententiæ pandit Calvinismus.

Die 24. Maji *Matthias Stein* / V. J. D. & Profess. Publ. Ord. edidit Discursum *de Utilitate disputandi in Academia, & istius comparatione cum Disputatione in Foro*, in quo ille significavit, nonnullos Jurisprudentiæ Cultores *Exercitium publicum Disputatorium* in XXV. Dissertationes *Schnobelianas* alternis vicibus suo sub Præsidio habituros esse. (2 plag. in 4.)

Die 31. Maji prodiit Dissertationum Theologicarum semel iterumque dictarum *Tertia*, Cap. II. *de Scripturâ Sacrà* sistens, quam Moderatore *Joh. Nic. Quistorpio*, SS. Theol. D. ejusdemque P.P. nec non Pastore Nicol. & Minist. Rostoch. Directore, h. t. F. C. t. suæ Decano, aliquoties citatus Præses *M. Henr. Ascan. Engelste* / & Respondens *Jacobus Posselius*, Anclam-Pomer. publicæ ventilationi exhibuerunt. (2½ plag. in 4.)

Cohæret hæc Disputatio cum superiori, & sequentia continet: §. 9. Sensus Scripturæ literalis unicus est, contra Coccejanos, in specie Burmannum, it. Auctorem Tractatus: *Philosophia*

phia Scripturæ Interpres. Differunt tamen Coccejani à Socinianis & Pontificiis. §. 10. Principia Philosophica non sunt principium eruendi sensum Scripturæ aut Dogmatum Theologicorum, contra Auctorem tractatus: *Philosophia Scripturæ interpres*; qui à Socin. & Armin. in quibusdam differt, & non sufficienter refutatur à Wolzogen; quemadmodum nec hic à Joh. van der Wayen. Viam iis sternit Calvinismus. §. 11. Philosophia imperium Theologiæ agnoscere debet, contra Cartesianos. §. 12. Notitia lingvarum Theologo magis necessaria est, quàm Philosophia, aut Theologia Scholastica, contra Calixtum & Hornejum. §. 13. Consensus Ecclesiæ non potest ad sensum Scripturæ eruendum novum aliquod principium esse, aut pro Apostolicâ traditione suscipi, contra Calixtum, Dreierum, Hornejum & Musæum; qui differunt à Pontificiis, §. 14. Scriptura ad vitam æternam obtinendam sufficiens est, contra Quakeros à Pontificiis aliquantum diversos. §. 15. Extra Scripturam nulla hodiè promissa est revelatio de sensu Scripturæ, vel mysteriis novis, contra Weigelium aliosque Enthusiastas. Differentia datur Quakerorum & Weigelii. §. 16. Idem quoad rem est verbum Dei cogitatum, ore prolatum & scriptum, contra Weigel. Quakeros, &c. §. 17. Vis operationum spiritualium effectiva, æque ut vis significandi Scripturæ S. semper verè ac naturaliter inest, contra Arminianos, Rathmannum, Calixtum, Musæum; quorum differentia insinuatur. §. 18. Auctoritas Scripturæ S. non solum voluntati, sed etiam intellectui nostro imperat, contra Arminianos.

Prodiit ex officinâ Monetariâ Sverinensi Nummus in memoriam nuperæ combinationis utriusque Ducatus Mecklenburgici cusus, qui primâ sui facie offert effigiem Serenissimæ Principis ad vivum juxta omnia lineamenta expressam, cum perigraphe:

FRIDERICVS. WILHELMVS. D. G. DVX. MEGAPOLITANVS. PIVS. FELIX. INCLITVS.

In averfâ Sverinensîs & Guftroviensîs arces catenâ firmiter

ter inter se junguntur, in medio sui Bucephalum Mecklenburgicum suspensum tenentes, addito lemmate:

DEI GRATIA. CAESARIS. LEOPOLDI. JUSTITIAE.
Inferiori loco scriptum legitur:

Indissolubili junxit catena. Anno 1701.

Concio illa *Johannis Sensii*, Templi Mariani Archi-Diaconi, quam Dominica Oculi horis pomeridianis in praesentia Serenissimi Mecklenburgicorum Principis Regentis habuit, typis exscripta extat hoc titulo: *Königliche Würde der Heiligen / bey Volckreicher Versammlung / da der Durchl. Fürst und Herr FRIEDRICH WILHELM / u. u. am Sontage Oculi unsern Tempel mit seiner hohen Gegenwart gnädigst erfreuete / aus der ordentlichen Epistel vorgestellet durch Joh. Sensium, Archi-Diac. zu St. Marien / und Pastorem des Klosters zum Heil. Craus. (plag. 7. in fol.)*

STRALESVNDÆ

Cum superiori anno 1701. mense Aprili p. 103. seq. mentionem fecimus longævi cujusdam Dantis mortui, hac vice iterum placuit memorare grandævi alius 104 ætatis anno denati, qui d. 7. Maji in cœmeterio Steinhagensi propè Stralsundam terræ mandabatur. Ter in Conjugio vixit, fuitque 13. liberorum ex primâ uxore susceptorum pater, 48. nepotum Avus, & 11. Pronepotum Pro-Avus. Annum ætatis 98. agens matrimonium posterius iniit. Ast numero annorum uti & liberorum dictum Ruricolam superat Venetorum Consul nuper Smyrnæ demortuus, de quo mentio facta in *Novellis s. c. de 9. Junii*. Hic enim vixit 118. annos, atque ex binis conjugibus 60. habuit liberos, quos inter filius octogenarius, nec non alius eo quatuor annis major.

GRYPHISWALDIAE

Die 3. Maji Dissertationem *Carolinam Theologicam de fundamento precum veterum Hebraeorum, quod est Messias*, sub Præsidio *Brandani Henrici Gebhardi*, S. Theol. D. ejusdemque ut & S. Lingvæ Prof. Ord. h. t. Fac. Phil. Decani, publi-

co examini exhibuit *Christianus Philippus von Santen / Gryphiswald.* (2 plag. in 4.)

I. Instituitur disquisitio de fundamento precum veterum Hebræorum ex Dan. IX. 17. 2. Adonai habet puncta peregrina à nomine Jehovah mutuò sumta. 3. Continet duas voces, Jehovah & Adonai. 4. In Adonai Elohim compendium quoddam est revelatæ Doctrinæ. 5. Hic nomen Adonai notat Filium DEi, Messiam Satisfactorem, pro peccatis. 6. in specie pro incredulitate. 7. quæ Messiam ab omnibus Prophetis prædicatum repudiat. 8. Satisfacientem, severæ DEi justitiæ & misericordiæ temperamentum. 10. unde est quod & ipsa misericordia justitia DEi vocetur. 11. Expenditur R. *Aben Ezra* de hoc loco sententia. 12. R. *Mosis*. 13. *Medraschicorum*. 14. R. *Abarbenelis*. 15. Concluditur, Judæos modernos non exaudiri, quia non orant in nomine Messia.

Die 10. Maji prodit *Bibliotheca Biblica*, exhibens *Scriptores Judæos & Christianos è quibus Judæorum in V. T. Commentariorum notitia peti potest*, quam sub Præsidio *Jo. Frid. Mayeri*, Lips. S. Theol. D. Prof. Prim. Facult. Theol. Decani, Superint. General. & Univerfit. Pro-Cancellarii, h. t. Rectoris, publicè defendit *Christian Philip. von Santen* antè dictus. (1½ plag. in 4.)

§. 1. Ex Judæis adducitur *Menasse Ben Israël*, qui *Bibliothecam suæ gentis*, inque eâ *notitiam Commentariorum in libros legis & Prophetarum per Hebræos editorum* tradere aggressus est, & §. 2. R. *Johannes Baptista Jonas*, ex Judæo Christianus, idem saxum volvens, sed ambo ante absolutum opus mortui. §. 3. mentio fit R. *Schabtai Ben Joseph*, qui *Bibliothecam Rabbinicam* edidit, sub titulo: *Siphie Jeschenim*, s. *labia dormientium*. §. 4. *Julii Conradi Otthonis*, ex Judæo Christiani, *Academiaeque Altorffinae Professoris*, libri *Gali Razia*, s. *occultorum detectio* dicti. §. 5. E Christianorum libris, in quibus illi Rabbini Rabbitorumque scriptis enarrandis operam suam addixere, sistitur *Conradi Gesneri lib. Pandect.* §. 6. *Sixti Senensis Bibliotheca Sancta*. §. 7. *D. Joh. Molderi*

deri malleus obstinationis Judaica, cui subjecit *Catalogum precipuorum judaicae Gentis Doctorum*; Theodori Eberti *Chronologia succincta precipuorum sanctioris linguae Doctorum*. §. 8. Antonii Possevini *Apparatus Sacer*; it. Petri Besodneri *Bibliotheca Theologica*. §. 9. Joh. Buxtorffii *Bibliotheca Rabbinica*. §. 10. Joh. Plantavitii de la Pause, Episcopi Lodoviensis, *Florilegium Rabbinicum*, cui addita *Bibliotheca Scriptorum Rabbinicorum editorum & manuscriptorum*. §. 11. Joh. Henr. Höttingeri *Bibliotheca Orientalis*. §. 12. Cœlestini à Monte Marfanno, *Clavis Davidis*. §. 13. Nicolai Antonii *de Judeorum Hispanorum scriptis liber*. §. 14. Richardi Simonis *Historia Critica V. T. cum notitiâ Autorum precipuorum Judeorum, tam Scripturae interpretum, quam aliorum*. §. 15. Joh. Henr. Heideggeri *Enchiridion Biblicum*. §. 16. Julii Bartoloccii *Bibliotheca Rabbinica*.

Die 24. Maji prodiit Disputatio Carolina Historico-Philologica de *Ascensu non Arcæ Fœderis, sed Angelis Fœderis*, h. e. *Domini nostri JESU CHRISTI gloriosa ascensione*, ad Psalm. 47. quam Præses M. *Nicolaus Köppen*, P. P. Extra-Ord. & Respondens *Petrus Schöppich* / SS. Theol. Stud. placidæ disquisitioni submiserunt. (3. plag in 4.)

Judæi circa interpretationem hujus Psalmi in duas classes dispescuntur: quorum alii eum referunt ad *Messiam*: alii aliorum eum detorquent. Ad utriusque partis sententiam tum intelligendam, tum illorum ex toto, horum, quatenus male applicatur, facilius rejiciendam, Historia Arcæ Fœderis è Scripturâ sistitur, & quid de ejus restitutione habendum sit, inde decernitur, tum quoque quæ illi de temporibus Messiae fingunt prodigia, excutitur, & quo fundamento subsistant, breviter dispicitur.

COLBERGAE

Excerpta ex Amici Colbergenfis

Epistola.

Virgo, *Euphrosyna Auenia*, nata patre *Johanne Auenio*, Med. D. & Camerario Colbergenfi, Amorem in studia ab ipsis

ipsis fere incunabulis singularem prodidit. Annum ætatis ingressa quintum Scholam protinus ingressa est privatam cujusdam tum hæc degentis Studiosi Juris. Hujus dexterrimâ per integrum quinquennium informatione usâ, *Donatum*, *Grammaticam*, *Comenium*, *Cornelium* ejusque farinae Auctores sedulo pertractavit; *Justino* quoque manus admovere cœpit. Imo & in Græcis sub ejusdem auspiciis ita profecit, ut plurimos dignioris sexus, quos commilitones habuit, longè post se relinqueret. Præceptorum dehinc Lycei Colbergensis publicorum privatæ tradita est curæ, nimirum Dn. M. *Hollazii*, Rectoris, & Dn. *Höfelii*, Con-Rectoris, quos in omni virginem maximè decentis doctrinæ genere Doctores venerata est fidelissimos. Annum agens decimum sextum Stargardiam venit ad Patrum suum, qui eo tempore verbi Divini Minister atque Collega Collegii *Gröningiani* ibidem erat. Hic Dn. M. *Paschium*, Philosophum celeberrimum Logicam, & Patrum Oratoriam ac Poësin privatim docentes non semel audivit. Inde cum Patruo Colbergam repetiit & jam multos annos libros versat diurnâ nocturnaque manu, literisque nihil sanctius reputat jucundiusque. Lingvam quoque Gallicam didicit, hinc epistolas, si quas habet ad eruditos scribendas Latino filo aut Gallico stilo contexit, tantâ elegantia ut legi mereantur. Carmina tam Latina quam Germanica eadem facilitate ac felicitate scribit, exempli loco inter alia plurima sunt, partim illud, quò in Nuptiis Celsissimi Principis FRIDERICI, Landgravii Hassiaci, cum Serenissimâ Brandenburgicâ Principissâ, *Loyssâ Dorotheâ Sophiâ*, celebratis, suam testata est observantiam; partim illud Gratulatorium, quò *And. Casp. Rothium*, in Acad. Lips. Magisteriali Laureâ ornatum hoc ipsò annò prosequeretur.

GEDANI

In R. Ministerio *Ephraim Prætorius* hæctenus Ecclesiæ ad D. Lazari Minister, Dom. *Qvasimodogen*, suis valedixit & Dom. *Misericordias Domini Ecclesiam ad D. Jacobi*, cui Ecclesiastes præfectus est, adituâ concione salutavit, Luœm

Lucem publicam vidit Concio Funeris M. Friderici Büthneri, Mathem. Prof. Publ. & Rectoris Johannitani unâ cum imagine & insignibus æri incisis. Titulus est: *Das richtige Prognosticon, welches bey Volkreicher und ansehnlicher Leichbegängniß des weynland Edlen / Großachtbahren und Bollgelahrten Hn. M. Friderici Büthneri, Mathematicum, Hochverdienten Prof. Publ. beyrn lobl. Gymnasio und treugewesenen Rectoris an der Schulen zu St. Johannis allhie in Danksig / als derselbige Anno 1701. den 13. Febr. diese mühselige Welt gesegnet hatte / und der entseelte Leichnam den 25. selbigen Monats darauff / zu seiner Ruhe-Kammer / in der Kirchen zu St. Johannis beygesetzt wurde / in einer Christlichen Leich-Sermon, aus den Worten Davids Psalm XXXIX. 5. seqq. denen Menschen stellet / Johann Henrich Nothwanger / Diener des Göttlichen Wortes bey gemeldter Kirchen. Danksig druckts Simon Reinitger. fol. Alph. 1.*

Idem Nothwangerus cū Gedani ex Logica Bucheriana primum segmentum è cathedrâ defendisset, duas Disputationes ut Autor *de Philavriâ licitâ* sub præsidio M. Friderici Christiani Bücheri, habuit, alteram 1683. 21. Octobr. (pl. 5½) alteram 1684. 4. Maji. (pl. 7½)

Wittebergæ sub Præsidio D. Jo. Frid. Mayeri, ut Autor & Respondens *de Osculo pedum Romani Pontificis* 1687. 21. April. disputavit. (pl. 8. 4to.)

Sub Præsidio D. Casp. Læscheri 1692. *de Glorioso animarum celo* differuit. (4to pl. 9.)

Ibidem edidit Parentationes:

In obitum *Anne Mattheæ*, natalibus Steindorffix, sub tit. *Der versetzte Edelstein* / pl. 3½

In obitum *Matthæi Henckelii*, Academiae Typographi, sub tit. *Die rechte Simmels-Schrift*. pl. 4½.

In obitum *Anne Jegerie & Anne Elstermannie*, sub tit. *Das verwundete Herz bey dem vereinigten Grabe zweyer Geliebten*. plag. 3.

Ad prelum paratas habet *de Cælo novo & Terrâ novâ*, Dissertationes quinque, Neotericis oppositas, & Parentationum fasciculum.

Emmanuel Sofsmannus, Ecclesiæ ad Div. Petri & Pauli Pastor, *Biblia Precatoria Parentis Cunradi Sofsmanni*, Superintendentis quondam Lippiaci, denuò imprimi curavit versiculosque mnemonicos singulis capitibus addidit. Titulus Germanicus est: C. S. weyland Superintendenten der Grasschafft Lippe/ neue Bet-Biebel / darin auff ein jedes Capitel der gangen heil. Schrift ein besonder kurtz Gebet / und also / daß zugleich eines jeden Capitels rechter Verstand / vornehmste Lehren und heilsamer Gebrauch den Einfältigen gezeiget / und zu der Seelen Erbauung Anleitung gegeben wird / von vielen und groben Druckfehlern gesaubert / und mit Denselben heraus gegeben von *Emmanuel Sofsmann* / Pfarrern bey S. Petri und Pauli Kirchen in Danzig. In Verlegung des Editoris. (3. Alph. 7. plag. in 8.)

Antehac idem *Emmanuel Sofsmannus* edidit sequentia: *Marburgi* an. 1661. *Chiliasticon Græcum* Elegiacum in laudem S. S. Theologiæ concinnatum, & publicè ex memoriâ recitatum.

Heidelbergæ an. 1663. Dec. 3. Disput. Inaug. cui titulus: *Centuria thesaurum ex universâ Philosophiâ*. Eiqve annexa collatio vocabulorum Hebraicorum & Arabicorum, ad primam utriusque lingvæ literam pertinentium.

1665. Febr. II. Assertionem: *Non ita vero dissimilem esse sententiam eorum, qui negant, puncta Textui S. Hebraico ab Esrà fuisse subjuncta*, in Collegio Sap. publicè defendit, Respondente *Job. Adamo Wentzio*.

1666. Maji 19. Disput. Philolog. ex Genes. Paraschæ 3. c. 1. Respondente *Cas. Fried. Martini*.

Jul. 21. Disput. Philolog. ex Genes. Paraschæ 3. c. 2. Respondente *Job. Henr. Richelio*.

Rintelii an. 1667. Aug. 10. Orat. Inaugur. *de autoritate notularum vetustiora Græcorum scripta distingventium*. 1671.

1671. Mart. 14. Acerba Threnodia in obitum Serenissimi
WILHELMI VII. Hassiæ Landgravii, &c.

Jun. 27. Elegus in obitum celeberr. *Joh. Henichii* S. S.
Theol. Doct. & Profes. in Acad. Rint. sub initium Histo-
riæ ejus Civilis & Eccles. defuncti. Quo respiciens titulum
ejus *Johannes Henichius*, Sacræ Theologiæ Doctor, & in
Academia Rintelensi Professor Primarius (si pro uno b.
ponatur s.) seqv. anagrammate expressit: Doctrinâ &
moderato nomine clarus, in ipso Historiæ sacræ auspicio
hærens, flere genis his!

1673. Sept. 10. Orat. funebris in obitum Magnif. & ampl.
Salomonis Cyriaci, Consilarii Hassiæ, Dicafteriiqve Has-
so-Schauenb. Directoris.

1674. Sept. 12. *Exercitationum in Nov. Testament. Prodromus*,
Respondente *Wilb. Lymbergero*, in Convictorio Wilhel-
miano stipendiariorum majore.

Decembr. 11. *Exercitationum Philologicarum in Mat-
thæum prima*, Respondente *Philippo Neuburg.*

1676. April. 29. *Secunda*, Respondente *Joh. Frid. Piederith.*

1685. Mart. 26. *Tertia*, Respondente *Joh. Guilielmo Gellero.*

Carmen Græcum Epicum, cujus inscriptio: *Rintelium
munitum.*

Porro prodiit Musicalischer Jahrgang / aus denen Sonntags
und Fest-Evangelien / auch andern Biblischen Sprüchen / mit unterschied-
lichen geistlichen Reimen / und schönen Arien bestehend / welcher vor-
nehmlich zu des Dreyeinigen grossen Gottes Lob und Ehren / wie auch
derer Hochgeneigten Herren Wolgönnern und Music Liebhabern der
Christlichen Gemeine zur H. Dreyfaltigkeit sonderbahren Seelen-Bes-
lüstigung / dieses jetztlaufende 1702. Jahre daselbst musiciret wird /
von Martino Calixto, Cantore Eccl. und Tertiæ Classis beyrn
Gymnasio Collegâ. (plag. 5.)

REGIOMONTI

Die 5. Maji Decadem XII. Thesium Controversarum, ex

loco de gr̄atiâ Prædestinationis, Conversionis, & Justificationis selectarum ad disputandum proposuit, D. *Bernhardus von Sanden* / Jun. S. Theol. Prof. Ordin. Respondente *Michael Gronert*, Regiom. Prusso. (plag. 3. in 4.)

Die II. Maji sub Præsidio D. *Gothofredi Wegneri*, S. Theologiæ Prof. Ordinar. Disputationem de *Sabbatho Christianorum Judaico*, examini eruditorum subjecit *Laurentius Christophorus Stiege* / Belgard. Pomeranus, Theol. Stud. in quâ post *ἰσχυρολογίαν* exhibet *πραγματολογίαν*, in quâ demonstratur 1. quod Sabbathum à Christianis fuerit observatum. 2. Quare. 3. Quomodo. 4. ubi: an etiam in Romanâ Ecclesiâ? 5. Quod aliquibus in locis Baptismus in eò administratus, in Græcâ Ecclesiâ Communio, & Festa Martyrum hoc die celebrata. 6. Quod Habessini & Melchitæ Sabbathum observent. 7. Judicium additur de observatione Sabbathi, quatuor thesibus comprehensum. (plag. 7½ in 4.)

Die 18. Maji sub Præsidio D. *Bernhardi von Sanden* / Jun. S. Theol. Ordin. Decadem XIII. Thesium Controversarum ex loco de Ecclesiâ selectarum, ad ventilandum proposuit *Christianus Martinus Roschatus*, Kaukehna Pruss. (plag. 3. in 4.)

Die 26. Maji Præside *Paulo Pomian. Pesarovio*, SS. Theol. D. ejusdemque Prof. ExtraOrd. Ecclesiæ Cathedr. Pastore, Consistorii Sambiens. Assess. Scholæque ejus Inspectore *Pentæ Quæstionum Practicarum à Theologiâ Conscientiariâ depromtarum* ventilationi publicæ exposita est à *Johanne Sigismundo Babario*, Reg. Pruss. S. Theol. Stud. Auctore & Respondente. (plag. 3½ in 4.)

Postquam in Proœmio de Conscientiâ malâ & bonâ quædam dixit, quæstiones proponit, quarum *Ima*: An quispiam interrogatus ab Hæretico, cui Religioni sit addictus? salvâ conscientiâ veritatem reticere possit; vel, utrum liberè, spreto omni corporis periculo, absque ullis reservationibus mentalibus veritatem confiteri teneatur? prius negatur & posterius affir-

affirmatur. *Iuda.* An Evangelicus sive Lutheranus salvâ conscientia cum Hæretico, v.g. Pontificio, liberè conversationem instituere possit? Resp. distinguendo inter conversationem spiritualem s. internam & Civilem s. externam, de illâ negatur, de hac verò affirmatur. *Ilta.* An Lutheranus sive Evangelicus ab Hæretico, v.g. Pontificio, ad officium Susceptoris vocatus, illâ conscientia munus illud obire possit? Circa hanc quæstionem Evangelicæ Doctrinæ Confessoribus modò affirmativam, modò negativam responsionem placere ostendit, & hanc quoque approbat Auctor. *Ita.* An Parentes Lutherani liberos suos salvâ conscientia Jesuitarum informationi confidere possint? *Neg.*; *Vta.* An Lutheranus medios inter Pontificios degens in casu necessitatis à Sacrificio Pontificio Sacramentum Cœnæ, etiam sub utraque specie dare volente, salvâ conscientia accipere possit? *Neg.*

Ex Typographiis prodierunt sequentes libri :

1. *M. Christiani Langhansen / Diaconi Palæopolitani, Tract. Germanicus, cujus titulus, Viertzig Passions Betrachtungen / für die Kinder und andere einfältige Christen / darin die ganze Geschichte des Leidens Christi durch Frag und Antwort erkläret/ uñ was für Lehren aus jedem Theil stießen / angeführet worden. Sumtibus Henr. Boy. (plag. 18. in 12.)*
2. *Ejusdem, altera Editio Kinder Catechismus / das ist / eine kurze und einfältige Erklärung des kleinen Catechismus D. Martin Luthers. (12. plag. in 12.)*
3. *Ejusd Kinder-Postilla / das ist / eine kurze und einfältige Erklärung der ordentlichen Sonn- und Fest- Tags- Evangelien / durch Frag und Antwort. (3. Alph. in 8.)*
4. *Porro D. Bernhards von Sanden / Senior. Fürstellung der Geschichte von dem Leyden und Tode unsers Herrn Jesu Christi / wie selbige aus den vier Evangelisten zusammen gezogen ist / begleitet mit Betrachtungen und Gebeten. Königsberg 1702. (1. Alphab. 2. plag. in 4.)*
5. *Ejusdem Concio, daß die Herrlichkeit eines Königes in der Vielheit*

des Volcks bestehe/aus Luc. VIII. 4-15. und Proverb. XIV, 28.
am Contage Sexagesima, anno 1701. erwiesen und fůrgestellt.
(II. plag. in fol.)

6. Eiusdem *Theologia Positiva*, brevibus lineis adornata, &
ab anno 1690. continuata, XXIV. Dispp. 1690. absoluta; anno
1691. publicata cum Dedicatione ad Ordines & Status Prusix,
Indicibus & Præfatione ad Lectorem, in quã brevis discussio
Libelli illius, qui vocatur *Manuductio Regiomontanorum Theologie
Professorum ad Ecclesiam Catholicam*, ex variis ipsorum scriptis adornata,
olim publicè prælecta fufius, nunc brevibus stricturis repetita.
(2 Alphab. 12. plag. in 4.)

Publicè exstat Disputatio illa *de Annulorum in Republicã usu*,
quam sub Præsidio M. *Georgii Thegen*, Philos. Pract. P. P.
Ordin. Respondens *Johannes Arnoldus Pauli*, Pruffus defen-
dit. (3. plag. in 4.)

§. 1. Probat Annulorum usum antiqvissimum fuisse apud He-
bræos, Egyptios, Midianitas, Babylonios, Persas, Græcos, Sabinos & He-
truscus, Samios, Carthaginenses, Adiabenos. §. 2. dicit Auctor, se,
ut Annulorum in Republ. usus eò distinctius pateat, præcipuos
Reipubl. Ordines & Status, nec non Causas & varias Annuli
adhibendi rationes perlustrare velle. Proindè ab *Imperantibus*
initio factò, Annulum divini illorum officii Symbolum esse
ait, illudq; prout à Deo & naturã capit suum initium, ita rursus
ad idem, à quo cœpit, punctum instar annuli reverti. Porrò,
sicut in Annulo singulæ partes communi termino ita inter se
cohærent, ut sine totius Annuli destructione ab invicem sepa-
rari nequeant, ita non solum ipsa jura Imperantium commu-
ni Majestatis vinculo ita inter se connexa esse, ut sine totius
τὴ κοινῆ interitu ab invicem sejungi non possint. Tandem,
sicut singularis Annuli figura omnes reliqvas figuras ambitu
suo continet: pari ratione Imperantem in Republ. omnes Ma-
gistratus, Ordines & Status ambitu suo complecti. §. 3. osten-
dit Annulos vel Sigilla in Imperantium Inaugurationibus an-
tiqvi-

tiqvitus adhibita hodieqve adhiberi. §. 4. docet, qvænam Diplomata, literas, Privilegia &c. & qvam ob causam annulo & sigillo obfignârint Imperantes? §. 5. qvare etiam sæpius illi in Collatione Feudorum Vafallis Annulum in signum Investituræ obtulerint? sc. ut Feuda hac ratione confirmarent, Vafallosqve de fide promiffâ admonerent. §. 6. ad *Ordinem Ecclesiasticum* progrediens memorat antiqvus jam temporibus inter alia Investituræ Sacerdotalis solennia etiam annulum adhibitum, qvem unâ cum Baculo *Imperantes* tanqvam certum Symbolum mittere soliti sunt illi, cui beneficium aliquod Ecclesiasticum conferre voluerunt. Cur hoc factum adducit rationes. Licet hodiè hanc per Annulum Investituram Sacerdotalem *de facto* exercean Pontifices, *de jure* tamen competere Imperantibus asserit. §. 7. exponit, cur inter alias solennitates, qvæ in creandis Doctoribus & Magistris adhiberi solent, etiam Annulus aureus eorum digitis inferatur. §. 8. ad *Civilem Statum reliqvum* se confert, & qvibusnam Annulorum usus concessus sit, monstrat. Tandem §. 9. & in *Oeconomico Statu* Annulorum usum frequentissimum exindè probat, qvòd nullum ferè negotium alicujus momenti in eo statu reperiatur, in qvo non singulariter Annuli usus sese conspiciendum præbeat.

RIGAE.

Ex Typographiâ *Nöllerianâ* libelli seqvences prodière:

1. *Brevis Manuductio ad Poësin Letticam*, sive: *Der unteutsche Opitz / oder kurtze Anleitung zur Lettischen Dicht-Kunst / wolmeinend abgefasset von Johann Wischmann, Pastor zu Donsdangen.* (13. plag. in 8.)

Septem continet *Capita*, qvorum 1. agit de Naturâ & Constitutione Poëtices. 2. de *Quantitate Syllabarum* in genere, & *Rhythmorum* in specie. 3. de *Carmine Lettico*, ejus *Partibus*, *Generibus* & *affectionibus*, 4. de modo *Lettica Carmina* scribendi. 5. de verâ *Imitatione*. 6. de *Poëmatis Lettici Materiâ*. 7. de *Carminis Lettici Denominatione* à modo tractandi.

2. *Lese=Lectiones*, in ordentliche und gewisse Tafeln eingetheilet / zum vortheilhaftigen Lernen den Kindern vorzulegen. (4½ plag. in 12.)
3. *Paradigma Græcæ Conjugationis*, unâ cum *Tabulâ Synopticâ Declinationum Græcarum ac typo Contractionum*, eum in finem, ut expeditior studiosæ juventuti Regii Lycei, quod Rigæ est, & quidem *Secunda Classis*, ad linguam Græcam ediscendam, pateat aditus, digestum à *Johanne Casp. Schöpfi/Con-Rectore*. (2½ plag. in 4.)

NARVAE.

Luci publicæ exposita est Disputatio Theologica, de *aternâ Fidelium ad salutem aternam Prædestinatione*, & oppositâ illi incredulorum *Reprobatione*, quam ad voluntatem *M. Nicolai Bergii*, Superintendentis Narvensis & Ingricæ Regiique Consistorii Præsidis, designati itidem Generalis per Livoniam Superintendentis, nec non Pernaviensis Academiæ Pro-Cancellarii, in Synodali Conventu a. c. placidæ ventilationi submisit *Henricus Brüninck*, Ecclesiæ Narv. Teutonicæ Pastor, & Consistorii Assessor, Respondentibus *Edwardo Nybeck*, Past. in Jerwifari, & *Johanne Melartopæo*, Comministro Caporiensi. (3. plag. in 4.)

Duo hujus Dissertationis sunt Capita. *Primum est Analytico-Theoticum*, quod Prædestinationem s. Electionem dari dicit, expendit præterea vocis *Electionis Synonymiam*, & *Homonymiam*, deinde *Formam, Causas, Objectum, Finem, Definitionem*, & tandem *Oppositum Prædestinationis. Secundum est συζητησ-Polemicum*. *Quæstio 1.* Num Prædestinatio sit genus in respectu ad Electionem & Reprobationem? *2.* An Deus certa hominum Individua prædestinârit ad salutem aternam? *3.* An Deus ex absoluto decreto homines quosdam ad vitam aternam elegerit sine intuitu fidei apprehendentis meritum Christi? *4.* An Ecclesiæ Reformatæ, sic dictæ, & hodiè viginti, absolutum decretum possit tribui?

Modò laudatus M. *Nicolaus Bergius*, Superint. Narv. edidit *Scriptum Petitorium*, in quo, postquam Russicæ Lingvæ notitiam Theologo imprimis necessariam esse ostendit, ab omnibus Russorum Lingvæ, Historiæ & Librorum amatoribus humanissimè petit, velint sibi indicare, si quos sciant vel habeant Moscovitarum libros typis vel manu descriptos, eosque *Ecclesiastica* præsertim tractantes, illorumque titulos secum communicent, summoperè contendit. Præterea scire avet, num cuiquam constet tum de aliâ *Bibliothecâ Moscoviticâ*, præter eam, quam *Olearius* habet in *Itinerario suo*, tum de libro *Vloschenie* dicto, tum de *Annalibus Russicis*? an sc. horum aliqui editi, quando, & à quo anno Christi ordiantur? ($\frac{1}{2}$ plag. in 8.)

HOLMIAE

Thomas Campanius, Holmiensis, librum vernaculum edidit, cujus titulus: Kort Beskrifning om Provincien Nya Sverige/ uti America, som nu förtiden af the Engelse Kallas Pensylvania. Af Lärde och trovärdige Måns Skrifter och berättelser ihopaflettad och sammanstrefstven / samt med åttskillige Figurer utzirad / af Thomas Campanius. Holm. i. e. *Brevis descriptio Provinciae Novæ Sveciæ in Americâ, quam Angli hodie Pensylvaniam vocant, è Scriptis & Relationibus Virorum eruditorum ac fide dignorum collecta & conscripta, nec non figuris æneis exornata, à Thoma Campanio, Holmiensi, Stockholmæ, apud Viduam Wankifianam, 1702.* (1. Alfab. 3. plag. cum fig. æn. in 4.)

Tractatum hunc, præter varios antiquos pariter ac recentiores Scriptores, præcipuè ex *Avi*, *Johannis Campanii*, qui *Colonix Svecicæ* an. 1642. in *Americam* missæ *Pastor* fuit, schedis compilatum, Auctor *quatuor* libris absolvit. *Quorum primus* agit de *America* in genere, & quidem *Cap. 1.* *Situm* ac *partitionem* *Americæ* exhibet, docetque, quomodo *novus* *ilte* *orbis* ab *Europæis* *coli* *cæperit*, & *quænam* *forma* *regiminis* *ibi* *florat*. *Cap. 2.* ostendit, *qua* *ratione*, *quo* *tempore*, & *à* *quibus* *Europæis* *America* *fuerit* *detecta*. *Cap. 3.* de *ortu* & *origine*

gine Americanorum agit, quâve isti viâ, unâ cum animalibus brutis, in novum orbem venerint, disquirat. Cap. 4. Fertilitatem Provinciarum Americanarum describit. Liber *secundus* agit de Provincia Americæ *Novâ Sveciâ*, quæ hodie num *Pensylvania* appellatur; & quidem Cap. 1. de Situ & fertilitate *Novæ Sveciæ* in *Virginia*. Cap. 2. de præcipuis *Novæ Sveciæ* locis, eorumque nominibus, in Tabulâ Geographicâ adjectâ obviis. Cap. 3. de anni tempestatibus & cœli temperie in *Virginia* & *Novâ Sveciâ*. Cap. 4. de *Virginia*, & vicinis Provinciis, utpote *Novâ Angliâ*, *Novâ Hollandiâ*, & *Novâ Sveciâ*, quo tempore & modô à Christianis fuerint detectæ. Cap. 5. de *Novâ Sveciâ*, quando & quo casu à Svecis fuerit navibus petita & habitata. Cap. 6. de Gubernatoris *Johannis Printz* itinere in *Novam Sveciam*, ann. 1642. institutô. Cap. 7. de populo *Virginiam* petente in genere, & quomodo is ab Americanis fuerit exceptus. Cap. 8. de domiciliis ac fortalitiis Svecorum in *Novâ Sveciâ*. Cap. 9. de ereptâ Svecis *Novâ Sveciâ*, ejusque novis Dominis. Cap. 10. de Statu Svecorum in *Novâ Sveciâ*, postquam ea *Coronæ Svecicæ* fuit erepta, deque missis eò à *CAROLO XI.* Rege verbi Divini Ministris, librisque sacris, &c. Cap. 11. de Svecicis verbi Divini Præconibus, Ecclesias primùm in *Americâ* & *Novâ Sveciâ* plantantibus. Liber *tertius* agit de Americanis in *Novâ Sveciâ* sive *Pensylvania*; & quidem Cap. 1. de Origine & Lingvâ Americanorum in *Virginia* & *Novâ Sveciâ*. Cap. 2. de eorum qualitatibus. Cap. 3. de Vestitu eorum. Cap. 4. de Cibo & Potu eorum. Cap. 5. de Habitationibus & Supellectile eorum. Cap. 6. de ipsorum Conjugiis, & educatione liberorum. Cap. 7. de exercitiis & opificiis eorum. Cap. 8. de Mercaturâ & Monetâ ipsorum. Cap. 9. de Magistratu & formâ regiminis apud eos, nec non de Legibus, quibus ibidem vivitur. Cap. 10. de belligerendiratione, armisque & ferociâ ipsorum adversus hostes. Cap. 11. de ipsorum cultu divinô, & impedimentis obstantibus, quo minus ex voto ad religionem Christianam perducantur

cantur. Cap. 12. de Funeribus & Luctu ipsorum. Liber *quartus* Vacabularium & Colloquia familiaria, aliquot capitibus Americanorum istorum Lingvam exhibentia, complectitur; cui accedunt *Addenda*, 1. de Populis *Mynckvesser* vel *Mynckusfar* dictis, eorumque Lingvâ. 2. de memorabilibus & rarioribus nonnullis in Americâ.

Typis Wankyfiarum quoque exscripta est *Sermo Funeris*, habitus à *M. Daniele Norlind*. Dalecarlo, Past. Aulico, in obitum Lib. Bar. *Canuti Axelson Legonhuffud*, Heredit. in Ådö & Erstavyt/ in prælio Narvensi d. 20. Novembr. 1700. cæsi, Holmiæ d. 31. Decemb. 1701. sepulti. Textus desumptus est ex Act. XX, 24. (in 4.)

Porro *Magnus Ronnow*, Ahufio-Scanus, jam Historiographus Regius, *novæ & antiquæ Sveciæ Historiam*, à B. *Lagerlöfso* cœptam, & à Secretario *Hermelin* jussu Regio continuatam, in publicum emittet.

HAFNIAE

Die 3. Maji in Colleg. Med. Præses *Henricus Hierild*, Respondente *Johanne Adolpho Stuve*, proposuit Dissertationem Philologico-Historico-Criticam de puritate Lingvæ Latinæ, & castitate Historiæ Danicæ in Saxone, contra *Joh. Gorop. Becanum*. (4 plag. in 4.)

Die 4. Maji sub Præsidio *Henrici Weghorst*, Respondens *Christianus Moinichen* disseruit de Regulis, in quibus Jus Danicum cum Romano concordat, expositis ex tit. *Digest. de Reg. Juris*. Corollarii loco accessit *Labyrinthus Graduum Cognationis*. (8. pl. in 4.)

Die 10. Maji Præsidis munus sustinente *Martino Braem*, *Job. Faber* Respondens in Colleg. Med. habuit Disputationem Historico-Criticam de Diebus ac Festis Natalitiis ex Gen. XL, 20. Matth. XIV, 6. 2. Maccab. VI, 7. (plag. 4½ in 4.)

Die 15. Maji prodiit Dissertatio *Christiani Reitzeri*, Prof. Juris, in qua Positionum ex jure divino universalium Partis *Imæ* Caput primum sistitur, quæ agunt de iis quæ in jure universo præcognita esse debent. Habita fuit Respondente *Olo Sletting*. (8. pl. in 4.)

Die 18. Maji sub Præsidio *Casparis Bartholini Thesium Philosophicarum* Disputationem tertiam 82. Laureæ primæ Philosophicæ Candidati defenderunt. (1 plag in 4.) &

Die 24. Maji 38. Candidati supremum Philosophiæ Gradum obtinuerunt.

Dicto Mense *Iohannes Steenbuch*, Respondente *Nicolao Severini*, continuavit Examen Versionis vernaculæ ad Stateram Ebræi Codicis, ejusdemqve Dissertationem quartam proposuit. (6½ plag. in 4.) Priores vid. in N. L. ann. 1699. p. 148. ann. 1700. p. 175. an. 1701. p. 147.

Publicæ luci exposita est *Series Dynastiarum & Regum Dania*, à primo eorum *Skioldo Odini* filio ad *Gormum Grandævum*, *Haraldi Cærulidentis* Patrem, per *Thormodum Torfaum* Historiographum Regium. (3 Alph. in 4.)

Continet tres libros, quorum I. agit, de *Antiquitatibus & Documentorum*, quæ *Conditores Historiarum Septentrionalium secuti sunt*, *Auctoritate & Fide*, & quidem cap. 1. de Antiquitatibus Islandorum. cap. 2. de Mythologicis Islandorum relationibus cap. 3. de Fabulis Islandorum. cap. 4. de Fabulosis Islandorum monumentis. cap. 5. de authenticis Islandorum historiis. cap. 6. de Historiarum Islandicarum fundamentis & auctoritate. cap. 7. de vetustissimorum rerum Danicarum Scriptorum auctoritate & fundamentis. cap. 8. de Antiquitatibus Gothlandicis. cap. 9. de Sveticis Scriptoribus. II. de *Epocha Regni Danici*, cap. 1. de Dania antiquitus Gothia dicta, Gothorum & Vitarum nomenclatione. cap. 2. de initio temporis historici apud Danos, secundum documentorum Islandicorum asserta, vel de immigratione Asianorum in Septentrionem. cap. 3. plures fuisse Odinos, demonstratur. cap. 4. Odinum Vpsalensem maximam mutationem Septentrioni intulisse. cap. 5. Saxonis de Odino asserta expenduntur. cap. 6. Danielis Langhornii sententia de immigrationis Odinianæ tempore examinatur. cap. 7. Rudbeckii de gentium Septentr. antiquitate asserta expenduntur. cap. 8. asseritur, nil de tanta gentium Septentr. anti-

antiquitate concludi posse ex nominibus propriis terrarum, locorum, gentium, moribusve hominum, quæ Orienti cum Septentrione communia apud vetustissimos Scriptores occurrunt. cap. 9. antiquissimæ Scantianorum emigrationes expenduntur. cap. 10. Hibernicæ antiquitates expenduntur, & asseritur, ex iis nil certi concludi posse de vetustate gentium Septentrionalium. *III. de Catalogo seu Serie Dynastarum Regumq; Daniæ.* Cap. 1. de fundamentis, quibus hic liber superfruitur. cap. 2. antiquissimorum Septentrionis Principum Chronologia continetur. cap. 3. de Skioldo primo Daniæ Dynasta. cap. 4. de Fridleifo I. Frodio I. seu Pacifico. Fridleifo II. Havare Manuforti & Frodio II. Daniæ Dynastis. cap. 5. de Vermundo Sapiente, Olaso Mansecto, Dano Magnanimo, Danici Regni Eponymo, Frodio III, seu Tranquillo, Halfdano I. & Fridleifo III. cap. 6. de Frodio IV. Vegeto dicto, Ingialdo Starcadi alumno, Halfdano II. Frodio V. Hroare & Helgio I. Helgiuque filio Hrolfo Krakio. cap. 7. de Interregno. cap. 8. de Ivare Vidfadmio, Danicæ Monarchiæ Restauratore, Haraldo Hilditane, & Sigurdo Hringo. cap. 9. dictorum nonnulla illustrantur, & objectiones, quæ afferri possunt, examinantur. cap. 10. de Ragnare Lodbroche, Sigurdi Hringi filio. cap. 11. varia Auctorum testimonia de Ragnare Lodbroche adferuntur. cap. 12. plures fuisse Ragnares Lodbroches. cap. 13. de ditionis Ragnarianæ divisione, & de Sigurdo Angvioculo, Daniæ Rege. cap. 14. de Jutiæ regulis Sigurdi Hringi, Ragnaris Lodbrochis & ejus filiorum Vasallis. cap. 15. de posterioribus Jutiæ regulis. cap. 16. de Hordaknuto & Gormo Grandævo, Haraldi Cœrulidentis patre, ac Danicæ Monarchiæ Restauratore secundo. *Appendix I.* de Johannis Magni callida Saxonis imitatione in describendo Daniæ, Sveciæque Regum ordine. cap. 1. de Dano, primo Daniæ Rege. cap. 2. de Regibus inter Danum & Frothonem III. cap. 3. de Regibus à Frothone III. ad tempora Ingonis I. cap. 4. de Regibus Svecicis, quos aliunde, quam à Saxone mutatus est *Job. Magnus.* *Appendix II.* de Hognio & Hedino.

Die 15. April. lucem adspexit Dissertatio Theologica, de *Oraculo Johannaë*, ex I. Epist. Cap. II. comm. I. & 2. quam sub Præsidio *Henrici Opitii*, SS. Theol. D. Ejusdemque Prof. Ord. publico Eruditorum examini submitit Auctor *M. Balth. Gerb. Hannekenius*, Lubecensis. (11½ plag. in 4.)

In Præfatione occasionem hujus materiæ aperit. Ipsa Disputatio divisa est in tres Sectiones. *Prima est Exegetica*, in qua Textum à verbo ad verbum intimè resolvit, à pag. 3. - 25. *Secunda est Positivo-Polemica*, in hac tres Positiones locavit; *Ima, Christus est Mediator inter Deum & homines secundum utramque Naturam*. Roborata est hæc Thesis 12. paragraphis tam *ἐκ θεου*, quàm *ἀπὸ θεου* Adversariorum considerantibus. *Uda, Christus etiamnum in cælo verè & propriè pro nobis intercedit*. Fulsa est hæc Thesis 8. paragraphis, *ἐκ θεου & ἀπὸ θεου* iterum continentibus. *Ultia, Christus nostri loco substitutus justitiæ Divinæ plenè satisfecit, Deumque iratum hoc modo verè placavit*. Firmatur Thesis dicta 27. paragraphis, à pag. 25 - 79. Sectio *Tertia est Porismatica*, continens duo Porismata; *Primum est: Lapsis post Baptismum & pœnitentiã patet reditus ad Deum per advocacyem Christi verã fide apprehensam*, contra *Novatianos*. *Secundum est: Sancti defuncti non sunt Advocati nostri*, contra *Pontificios*. Tandem Redemptori gratias agit voto ardenti, à pag. 79. ad finem.

Die 23. April. *Carolus Fridericus Luther* / Med. D. & P. P. per Programma 2. plag. in 4. significavit Scholas suas Medicas publicè aperiendas, Studiosos ad eas frequentandas officiosè simul invitans.

In illo attingit summas Orationis Inauguralis, de *Experientiæ in Arte Medicâ prærogativâ* die 6. Martii c. a. recitatæ, nobisque præterito mense Aprili p. 118. memoratæ. *Pag. I. quæstionem ponit: Utrum ratio an Experientia præferenda sit, & quanam illarum dignitate ac antiquitate emineat?* *pag. 2.* suam de hac quæstione aperit sententiam, quod sc. primis temporibus aliqva fuerit *Rationis prærogativa*, & quod post inventam Medicinam

Ratio non demum quæsitâ sit. *Pag. 3.* In Medicinæ originem inquirat, atque *Adamum* cogitando & ratiocinando eam invenisse dicit. *Pag. 4.* non *Apim* neque *Æsculapium*. *Pag. 5.* cum hodiè Experimentotum multitudinè aucta sit Medicina, prærogativam Experimentiæ tribuit, quam & B. D. *Majoris* verbis describit, quod sit *habitus mentis in universali quadam cognitione rerum singularium sensu & memoriâ sæpiùscule perceptarum* consistens. *Pag. 6.* ostendit Experimentiæ dominium in Physicâ, Physiologiâ, Medicâ, *Pag. 7.* f. Pathologiâ. *Pag. 8.* f. Semiothicâ. *Pag. 9.* Pharmacovicâ. *Pag. 10.* Chymicâ. *Pag. 11.* Medicinâ Practicâ, tam Conservativâ, quam Restitutivâ. *Pag. 12.* dicit per praxin Medicam minimè addisci Experimentiam, sed acquisitam in Propædiâ Medicâ per Praxin deinceps magis magisque confirmari. *Pag. 13.* asseverat cum D. *Schelhammero*, Juvenem Medicum, istâ Experimentiâ Propædevticâ combinatâ si polleat, non esse spernendum. *Pag. 14.* se operam daturum ait, ut successu temporis ostendat (1.) qualis sit illa quæ in qualibet Artis Medicæ parte requiritur Experimentia, & (2.) quænam subsidia ad Experimentiam istam acquirendam necessaria sint.

Mense Aprili sub Præsidio *Güntheri Christoph. Schelhammeri*, Med. D. & in Acad. Kiloniensi Prof. Primar. Seren. Ducis Cimbr. Gottorpiens. Archiatri, Societat. N. C. *Leopoldina* Adjuncti & in Italiâ Recuperatorum Socii, Exercitationum Medicarum *Nonam*, 68. *Theses selectas de Cordis & Pulmonum officio acufu*, continentem publicè tuitus est *Christoph. Martinus Burchardus*. (2 plag. in 4.) Adjecta sunt 4. Epimetra.

Die 7. Maji Præside D. *Wilh. Huld. Waldschmidt*/Med. & Phil. Experim. P. O. Facult. Med. h. t. Decano & Collegii Chirurg. Præside, publicè defendit *Christianus Vricus Schreiber*, Disputationem, cui titulus: *Quid pro Quo. s. de Substitutis Therapeuticis*. (3. plag. in 4.)

P. 3. ait: Substitutionem unius pro altero rem esse non adeo insolentem. Ibid. ponit Definitionem *Quid pro Quo*. p. 4. dividit

vidit substituta (1) ratione generum, (2) subjecti, (3) termini. Primam classem in Actione consistere monstrat. p. 5. Ibidem docet adhiberi quid pro quo, (1) quando à Medico aliquid agitur, quod primario non intendebatur, vel aliud quid admittitur, quod morbi indoles non requirebat. Historiam hac de re narrat Medici Receptas in tabulâ locantis, & tesseris medicamen quærentis. (2) quando tempus prætermittitur. p. 6. quod probatur exemplo febrium acutarum, quæ, si vomitus non citò promoventur, lethales diarrhæas attrahunt. Causam quoque neglectus temporis indicat, quando nempe Medicus in medicamentorum farragine fluctuat. p. 7. (3) quando ordo non observatur in medicamentorum usu. (4) quando morborum tempora non notantur. p. 8. posse tamen præter intentionem Medici nonnunquam adhiberi quid pro quo, legitur. p. 9. scil. si de morbi qualitate nondum constet (5) quando Medicus adhibet remedia extraordinaria. p. 10. *Ex parte Egri* adhibetur quid pro quo, (1) quando vel nullum Medicum ex avaritiâ accersunt, vel (2) Medicastrum adhibent. Tales homines verò peccare in Deum, proprium Corpus, proximum, leg. p. 11. & 12. (3) ad impia & supersticiosa remedia refugium sumunt. Historia de hoc errore videtur p. 13. (4) non ritè utuntur Medici præscriptis, historia legitur. p. 14. *Ex parte administrantium* adhibetur quid pro quo, quando scil. Pharmacopœi aliis se miscunt negotiis. p. 15. quando falcem mittunt in alienam messem, quando Medicorum formulas immutant, p. 16. quando adulterant tam simplicia, quam composita. p. 17. Pharmacopœi avaritiæ accusantur, ob quam res viles magno dividendunt pretio. p. 18. non omnis substitutio damnatur. p. 20. quando Chirurghi in Medicinam illotis manibus irruunt, in curandis vulneribus quid pro quo substituunt, dum turundas nimis longas vulnere intrudunt &c. p. 21. administrantes in culina substituunt quid pro quo, si regulis diæteticis morem non gerant; administrantes ad lectum dum non benè observant salutem Medici in fovendo &c. p. 22. Ratione termini & even-

eventus, errores quosdam esse salutare, quosdam periculosos, quosdam indifferenter se habere constat ex p. 22. 23.

D. *Wilh. Hulder. Waldschmidt* / Med. D. & P. Ord. Collegii Chirurg. Præses, modo dictus, per publicum programma invitavit ad *Floralia Kiliensia*, die 18. Maji celebranda.
(1. plag. in 4.)

Continet hoc Programma multa jucunda. p. 1. Romæ urbis tria genera nominis recenset; vulgatum, quo Roma, Græcis robur; arcanum, quo Amaryllis, ab amore; sacrum, quo Anthusa, i. e. Flora. Florentia dicebatur. Ex hoc ultimo factum dicit, Romanos plurimos Deos hortorum coluisse, ut sunt Priapus, Bacchus, p. 2. Cybele, Vesta, Ceres, Pomona, Pales, Vertumni uxor, Robigus, Flora, quæ dignitate prior. p. 3. memorat ludos Floralia dictos. p. 4. utilitatem studii Botanici inculcat, in quantum sit Theologo, Jcto, Medico & Philosopho proficium.

Die 26. Maji habebatur Dissertatio Inauguralis, de *Vindictæ Prætextu defensionis adumbratæ*, Præsidente *Simone Henrico Musæo*, J. V. D. Institut. nec non Jur. Nat. & Gent. P. O. Facult. Jurid. h. t. Decano, ab Autore *Andrea Heincke*, Bredstadiensi-Hofsato. (5½ plag. in 4.)

Tota Disputatio XVII. habet Theses. *Thes. 1.* Etymologia Vocum Vindictæ & Adumbrationis traditur. *Thes. 2.* Homonymia vocis vindictæ datur. *Thes. 3.* legitur descriptio hæc: Vindictæ prætextu defensionis adumbrata est actio illicita, per quam aggressor non per modum tutelæ, sed ultionis, quamvis sub defensionis prætextu ab eo læditur, quem ipse aggressus est. *Thes. 4.* habetur Descriptio defensionis, quod sit instantis periculi propulsio. In eadem Thesi probatur defensionem necessariam esse (1) Juri Naturæ (2) Juri præceptivo (3) religioni Christianæ non adversam. *Thes. 5.* memorantur Requisite defensionis inculpatæ; (1) est, ut præcedat injusta offensio seu invasio; (2) est Modus in defensione observandus, consistens in propulsa.

pulfatione, qui gradui offensionis & periculi respondet & cum illo proportionem habet; (3) ut defensio fiat in continenti & in ipso conflictu. Hinc alleganti necessariam defensionem incumbit probatio, reo probanda provocatio & legitima defensio. Probatio fit vel per testes, vel præsumptiones. *Thef. 6.* quaestio movetur: an colapho percussus verberantem impunè interficere queat. *Quod negatur. Thef. 7.* privatam vindictam illicitam esse demonstratur. *Thef. 8.* ostenditur injuriis verbali- bus affectum afficientem interficere non posse. *Thef. 9.* dicitur, homicidam initio provocantē moderatam defensionem malè opponere. Item, impetitur, si aggressorem fugientem necat, ex mera ulciscendi libidine hoc agere præsumi. Item, conflictu jam composito amplius ad cædem aggressoris provolare non licere. Ibidem agitur de homicidio post modicum temporis spatium commisso, & *Thef. 10.* de homicidio post longum temporis intervallum commisso. *Thef. 11.* de homicidio ad bona sua conservanda commisso. Requisita hujus defensionis sunt: (1) ut illa fiat pro se ipso rebusque suis tuendis conservandisque, ita tamen ut is, cui res ablatum itur, in vitæ discrimen veniat; (2) ut volens occidere furem clamorem edat; (3) cum eum apprehendere & iudicio sistere nequit. *Thef. 12.* de injuriis indeque sequenti retorsione agitur. *Thef. 13.* statuitur, actionem ad palinodiam civilem non criminalem esse. *Thef. 14.* tangitur controversia, num retorsio injuriarum legi naturali rectæque rationi repugnet? *Thef. 15.* memorantur requisita retorsionis injuriarum, quorum (1) est, ut si quis audiat injurias statim retorqueat; (2) ut provocatus animo defendendi non ulciscendi retorqueat; (3) ut retorsio respondeat injuriæ illatæ. *Thef. 17.* continetur, illum qui injuriam passus est remissam semel injuriam recolorere non posse &c.

BARMSTADAE



Excerpta ex Christiani Dethlewi Rhodii, P. Barmst. literis.

Sub finem elapsi anni Operarii bini, non suspectæ fidei,
& quorum industriâ in perscrutandis Veterum tumulis jam inde

inde à plurimis annis usus sum, Collem inter eos, qui in Dice-
 cesi nostra ad Pagum *Collen* (citatum in *N. L. an. 1699. p. 94.*) siti,
 non minimum, atque ab aliis antea ex dimidia parte dudum
 effossum, ulterius rimati sunt, statimque, vix uno pede fodi-
 endo emenso, *duo minutissimi annuli aurei, ossaq; nonnulla, in tan-*
tam exusta albedinem, ut iis cretæ instar scribere possis, sese la-
 borantibus obtulerunt. Quo fato impulsus ab opere prius non
 desistere, quàm ad ipsum Tumuli fundum pervenissent, animo
 firmiter proposuere, nec à proposito aversi, donec in ima col-
 lis parte repererunt *Saxum planum*, quatuor ferè pedes longum
 tresque latum, & sex pollices crassum, quatuor aliis Saxulis,
 duobus à solo pedibus, erectis incumbens, & undique duplici
 ferie lapidum campestrium, magnitudine ferme caput homi-
 nis æquantium, coopertum. Sub his lapidibus, & super plani-
 tudinem saxi, parvi *aliquot* carbones sparsi erant, sub ipso verò
 saxi majoris medio cernebatur exigua & admodum subtilis *Vr-*
na, injuriâ temporum confracta, quæ complexu suo, nil, nisi
 spissam quandam *pingvemq; & viscosam materiam*, coloris griseo-
 lutei, testis adhærescentem continebat; in circuitu autem suo
 tot ossa dissipata habebat, quod plerumque ex combusto cada-
 vere superesse solent, nitro tamen vel albis scoriis in officinis
 vitriariis, quàm ossibus similia. Quibus ossibus aut si mavis,
 scoriis complures grandiusculi Carbones, crassitudinem bra-
 chii pedisque longitudinem referentes, additi erant. Testis
 verò *Vrnæ* hujus remotis, à tergo ejus loci, ubi requieverat,
 mirandum ac in his oris nunquam visum *Φαινόμενον* apparuit;
Fulgor nempe eximius, rutilans, formâq; rotundâ, ut etiam alter Ope-
 rariorum alteri adstanti attonitus inclamaverit: Ecce! ecce
 Stellam! Hic rari quid præclarique erit! &c. Tentarunt igitur
 cupidi, saxum ipsum loco movere: verùm ambo impares se
 huic oneri experti sunt. Hinc alter eorum, ligone atrepto, Lu-
 cidum illud expromere Solique exponere conatus est: sed fe-
 fellit opinio hominem. Simulac enim *Αείψανον* hoc rarissi-
 mum attigerat, lumen evanuit, nil nisi flavum quandam re-

linquens pulverem, qui etiam culpâ horum hominum, non satis circumspectè agentium, cum reliqua terra commixtus, eheu! penè omnis periit. Hoc solùm observatum, clarum istud tumuli jubar septem circiter pollices circulatim crassum, duodecim verò longum fuisse, pyxidi scilicet ejus magnitudinis rotundæ, sive ferreæ sive ex cortice querceo aut simili materia confectæ inclusum. De hac enim particulâ tantùm quædam ferrugineæ fibrasque ligni ostendentes supersunt. *Silex* itidem, duos pollices longus, unum autem latus, in orificio capsulæ inventus, cui adhuc paululum flavescentis pulveris adhæret. Ab hoc silice alius ejusdem generis lapis, utrinque acuminatus, quatuor pollicum longitudine, unius latitudine & altitudine insignis, inter ossa & scorias supra memoratas repositus, ad pedis mensuram distabat. Præterea è superiori hujus Tumuli versus Austrum plaga eruta sunt sequentia *ἔργα λεία* *area*, singula cum effoderentur pristinum & nativum splendorem retinentia, nullaque ærugine per tot secula obducta; Sed vix aëri tum temporis humidiori exposita idem senserunt fatum quòd ferrum illud ex urna Jutica erutum, de quo *Olaus Wormius in Monum. Dan. l. 1. c. 7. p. 74.* Statim enim flos æris se prodidit. Erant vero *κεμήλια* hæc (1) *Instrumentum incurvum*, undecim pollices longum, lituique Romani vice usurpatum. (2) *Cuspis cujusdam bastæ, sive frameæ* (ut Tacitus l. de Mor. Germ. c. 6. Germanorum vocabulo nominat) *minoris*, duos saltem pollices, longa, sed alterius & dubio procul sacri usus. (3) *Forceps, evellendis crinibus communiter inserviens*, qualem in *N. L. an. 1699. T. 3. fig. 4.* delineavimus. (4) *Novacula ejus formæ, quam habet instrumentum uno latere acutum*, itidem in *N. L. An. cit. fig. 6.* exhibitū. Novaculas enim has Antiquitatis reliquias esse, plurimi hujus generis Cultri ab eo tempore è tumulis eruti, nec non quidam Cultri tonsorii hodiernum in *Anglia* usitati, satis probatum dederunt. Et ex his novaculis forcipibusque memoratis, atque ex aliis documentis Majores nostros tonsuræ & evulsioni crinium valdè deditos fuisse, abunde perspectum habeo. (5)

TAB. V.



Anchora minutissima, longitudine solum unius & quartæ partis pollicis conspicua. (6) *Acus*, seu *Fibula parva*, ligno manubrio, tres pollices in longitudinem habens. Suffimentum quoddam, sive resinofum sive alterius generis, quod igni injectum haud ingratum odorem emittit. Et in proximè adjacente tumulo tres elegantissimi *Cultri sacrificatorii*, quorum primus incurvus pedis mensuram cum duobus pollicibus; alter octo plus minus adæquans pollices; tertius verò quatuor pollices cum quadrante longus, inventi sunt. Quid igitur de isto *Φαινομένω* statuendum? Num *Lampas*, Romanorum illis sepulchralibus similis, an *Phosphorus mineralis* aut alius ignis perpetuus dicendum? Hoc ex rerum harum peritis scire avidissimè cupio. Interim prius fidei absonum mihi non videtur. Ex *Plutarcho* enim in *vita C. Marii* constat, ultra sex myriades Cimbrorum, in pugna illa infelicissima ad *Vercellas*, captas, Romam deductas, ibique per plurimos annos detentas esse, inter quos facilè vel Sacerdos aliquis, vel alius ingeniosus Nostratum esse potuit, qui cupiditate earum rerum, quæ Romæ eo tempore vel maximè excolebantur, incensus, lampados sepulchralis adorationem ibidem addidit & postmodum vel libertate donatus vel fugâ elapsus, secum in Cimbriam nostram attulit. Sacerdotes verò bellantibus adfuisse, ex *Taciti* c. 7. de *Mor. Germ.* colligere licet; & omnia illa instrumenta, quæ in superiori plaga hujus tumuli versus Austrum & altero adjacente colle reperta sunt, Sacerdotem indicare autumo, qui iis partim in Sacrificiis, partim in pervestigandis victimarum extis usus est, fortassis etiam, tumulò hoc in honorem alicujus Principis vel Ducis exstructò, lampadeque addita, sua in eodem ossa recondi mandavit. Et de ejusmodi lampade sepulchrali propè *Coloniã Agrippinam* inventa *Erasmus Francisci* quædam, ni fallor in *Acerra sua Exoticorum*, ex *Job. Henrici Pflaumeri* narratione refert. &c. Taceo Lampadas illas Romanas, quas in Germania nostra ad *Urbem Moguntinam* erutas esse, è *Dni. Job. Kraft Hiegeli* Specimine primo Antiquitatis testatur *Celeb. Fentzelius*, in *Colloq. Mensf. Anno*

1698. p. 652. Vide sis etiam Humanissimum pariter atqve Doctissimum *Olearium* in *Mausoleo suo* p. 27. & 28. ubi *Lampadum* quoque sepulchralium alibi effossarum meminit.

LVBECAE.

Francisci Wörgeri Scholion,

Licere in causa veritatis vel à doctissimis interdum dissentire.

Quantquam magnificè hodierni Pontificii de *Concilio Tridentino* existimant, quod saluberrimum deprædicat *Job. Cabasutius*, de *notitia conciliorum* c. 96. *cujus vox Ecclesie Catholice (Pontificice) vox est Bellarm. l. 5. de grat. & lib. arbit. c. 13. cujusve decreta omnes Catholici qui ante illud vixerunt in eventum prætulerunt suis privatis sensibus addit Bartholdus Nibsius*, id quod tamen, uti pleraque alia, è *Bellarmini* l. 3. de *justif. c. 3.* habet, *illius ait, decretis Catholici (Pontificii) omnes ingenia sua atqve judicia subjiciunt.* Anne quidpiam illustrius de ipsa poterat asseverari Scriptura? Nihilominus testatur *Job. Latet de Claudio de Sanctes*, Theologo Parisiensi atqve Ebroicensium Episcopo, cum solenne Carmen in Concilii primi Apostolorum clausula usurpatum, visum est Spiritui Sancto & nobis repeteret, crebrò dicere solitum: *In Tridentina Synodo plus NOBIS quam SPIRITUI Sancto tributum esse.* Sic *Stephanus Curcellæus* rectè defendit *Davidem Blondellum* asseverantem, *Synodum Doradraccenam* plura definiisse, quam debuisset, licet omnibus in orbe synodis illam præferat longè *Maresius*. Quidni igitur magis liceret particulares doctorum refutare sententias cum veritate haut convenientes? *Prudentissimè homines eruditissimi sensisse mihi visum sunt, qui scripsere, scientiam esse eorum, qua sic comprehenduntur, ut sonvelli ratione non possint; sin aliter, inscientiam vocari, ex qua existit opinio, qua est imbecilla, & cum falso incognitoque communis, Arnoldus Ferronus* l. 7. de *reb. Gall. fol. 127. a.* Non deprecor, sic loquitur *Ludovicus Vives* præfat. in *Aug. de civ. DEI*, quo minus sentiat loquatursque de opere quisque pro libito. *Si enim malum est opus, irasci ob veritatem non debeo, sin bonum, eos qui maledixerint, sua invidentia excedet tanquam venenum, in quo uno justissima est invidia ipsa (sc. vindicatrix) ceteris in rebus iniquissima.* Rectè hinc *Paulus Scherlogius* in

Cant.

Cant. Cant. anteloquii 4. sect. 4. tota propugnat: Non omnia adepto- antiquos, potuisse nonnunquam à junioribus vinci. Et ante illum Seneca Epist. 33. qvante nos ista moverunt, non domini nostri sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupa- ta: multum ex illa etiam futuris relictum. Item Epist. 64. Veneror itaqve inventa sapientiæ, inventoresqve adire tan- quam multorum hereditatem juvat. Mihi ista acquisita, mi- hi laborota sunt. Sed agamus bonum patrem familiæ: facia- mus ampliora, major ista hereditas à me ad posteros transeat. Multum adhuc restat operis multumqve restabit, nec ulli na- to post mille secula præcludetur occasio aliquid adjiciendi. Et ego ipse, ut cum Ludovico Vive finiam, ægre non feram me vel admo- neri vel etiam reprehendi, imò debere me multum profitebor potiora sug- gerenti & reprehendenti doctè. Nam & me ipsum non pigebit mutare sententiam, si vel studium vel ætas alia docuerit meliora.

APPENDIX

Ad pium desiderium CL. Dn. Severini Lintrupii,

De selectioribus Eruditorum Opusculis & Dissertationibus Academicis in sua Syntagma a constipandis, in N. L. p. 110. A. 1701. mens. Apr. cujus fin. p. 250.

Cum pium hoc desiderium Senatui Erudito subjectum sit, non est dubium, qvin plurium approbationem invenerit. Sed difficultatem non unam animadvertent eruditi in illâ colle- ctione desideratâ, ut desiderare & sperare eam liceat, sed haud facile expectare & consequi ex voto. Quare, cum valde diu, aut nunquam fortè expectanda sit illius Pii Desiderii ex omni parte executio, impleatur interea seorsum, quod collectum desidera- tur, ut saltem copia Dissertationum Academicarum, aliorumq; opusculorum, eruditis fiat, quæ passim habentur & eduntur. Quid juvat, tot egregiorum opusculorum & dissertationum, de tam variis argumentis, in Novis Literariis Maris Balthici, titu- los & contenta quorundam legisse, quæ in paucissimorum con- spectum & notitiam veniunt, quorumqve usus est particularis, & fortè unius & alterius loci. Et quamvis libri atqve opuscula, sumtibus Bibliopolarum edita, (Autorum enim vel aliorum curâ quæ prodierunt, ab iis suppressi plerumqve solent, ut pau-

cis velnullis innotescere possint, quia sibi oeconomiam libraria rei solis vindicant, & pro lubitu suo dirigunt, magis innotescant, citiusque haberi queant, tamen Dissertationum copia, quarum numerus longè major, non ubique tam facilis est. Notitia itaque earum, quæ per Nova Literaria, & per Catalogum Lipsiensem universalem, in posterum cuique contingit, licet non sit absque omni utilitate, absque usu tamen non sufficit. *Pio igitur Lintrupiano Desiderio* additur novum hoc desiderium, ut non minus usus, quam notitia, fiat communis. Huic autem desiderio ex parte satisfiet, si Domini Disputantes & Editores, publicis Urbium Bibliothecis, ad communem usum, saltem unum exemplar destinant, asservandum & inserendum Collectaneis. Nam hoc modo, omnes unius loci, uno exemplari uti frui possunt. Quibus legendo desiderium habendi excitatur, facilè viam invenient. Quomodo transmissio instituenda sit, occasiones monstrare oportet. Sed hoc negotium facilè per Bibliothecarios ageretur, quibus aliquot exemplaria aliorum transferenda committuntur, qui etiam pro fasciculis aliunde translatis portorium solvere non detrectabunt, si gratis perferre detrectabunt portitotes, sive oblatores, aurigæ aut navæ, (quod ut facerent, publicâ autoritate, quia in publicum bonum vergit, persuaderi possent,) in gratiam enim boni publici literarii, ex publico ærario, pro portorio aliquid numerari posset, compensandum insigniter cum annis, tot fasciculis Dissertationum hinc inde acceptis. Si verò quilibet Bibliothecarius hanc sibi curam imponi sineret, suoque loco diligenter colligeret ibi edita, ac pro aliis XV. aut pluribus Bibliothecis collecta, atque in tot fasciculos per Subbibliothecarium aut Ministrum distributa, fideliter asservaret; singuli suum ex quolibet loco fasciculum rogare, & commodâ occasione ad se perferri, procurarent, missis brevissimis literis, quæ testes nominis essent, & subscriptionis ejus, qui petit fasciculum. Quod commercium literarium ad aliorum quoque novorum certitudinem profuturum esset. Qui melius consilium in medium attulerit, pro communi bono, majore laude dignus erit, imprimis si consilii dati quoque accedat facilis executio.

NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Julio MDCCII.

ROSTOCHII

Die 4. Jun. Rector Acad. *Christianus Hildebrandus*, Log. PP. & FCTis Philof. Senior Programma aterni *Dei Spiritus S. ex Patre & Filio procedentis Majestati sacrum* pentecostale publicavit. (plag. 1. in 4to.)

Die 21. Jun. *Andr. Daniel Habichhorstius*, S. Theol. D. ejusdemque PP. & Consiliarius Consistorialis, nec non FCTis Theol. & Collegii Ducalis totiusque Vniversitatis Senior *Dissertationem XV. Partis II. illustriorum Jesaiæ Locorum de Incessu Jesaiæ nudi & discalceati*, ex Jesai. XX, 1. 2. 3. 4. Academicæ sententiarum collationi stitit, Respondente *Job. Friderico Rahn*, Sedin. Pom. SS. Theol. Studiofo. (3. plag. in 4.)

Disputationis hujus §. 1. connexionem cum præcedentibus tradit, §. 2. Analysin totius Cap. 20. sistit, quod duabus absolvitur partibus, quarum prior exhibet *incessus Prophetici injunctionem & executionem*, v. 1. 2. posterior *explicationem & applicationem ad gentes Mizrajim & Cusch*, per captivitatem & deportationem denudandas & discalceandas. §. 3. sequentes quæstiones proponit, (a) *quæritur de Chronologia s. tempore mandati, & quis ille Tartan & Sargon, quorum Chronologia s. tempus mandati meminit?* (b) *Quomodo per Jesaiam Deus sit locutus dicendo: Vade, &c. quod tamen ad ipsum Deus dixit, quodque faciendum à Jesaiâ solo erat? item quid sibi velit phrasis: loqui per manum Prophetæ?* (y) *An Jesaias sacco indutus fuerit, cum solvere illum juberetur, ut nudus incederet, & quid per saccum b. l. intelligatur?* (d) *Verum per modum Visionis*

*tantum, an reverà sit factum, quod de incessu Propheta nudi hic narratur? (ε) quæritur, quomodo nudus incesserit? utrum ex parte; an verò totum se nudaverit? (ζ) An illi tres anni incessum Propheta nudi; an verò gentes Mizrajim & Cusch captivandas & denudandas respiciant? (η) Si tres anni non prius, sed posterius respiciant, an hoc ipso significetur, quod gentes Mizrajim & Cusch post tres demum annos per Assyrios captivæ sint ducendæ; an verò Calamitas & bellum, per Assyrios Ægypto & Cusch inferendum, per tres annos sit duraturum? Ad has quæstiones sequentia respondet, & quidem ad *Imam*, §. 4. Tempus vaticinii fuit annus, quò Asdod à Tartane oppugnata fuit & expugnata; Tartan autem bellicus Regis Assyriæ Dux atque legatus; & Sargon, tertius quidam qui inter Salmanassarem & Sancheribum regnavit. Ad *Ildam*, §. 5. (α) Hebræus stylus hic concisus est, qui distinctius & magis explicatè ita exprimi potest: *Tempore illo Dominus per Isaiam, filium Amoz, locutus est, & quidem ita, ut primò quidem ad ipsum dixerit Dominus: Vade, & solve &c. deinceps verò per ipsum locutus sit: Sicut servus meus nudus, &c.* (β) Verba: *Locutus est Dominus per manum Isaie*, h. l. significant, Dominum loqui vel prædicere vel promittere, vel minari per ministerium & operam Prophetæ. Ad *Ultiam*, §. 5. respondens famosorem potius significationem vocis *de sacco*, quàm illam *de pallio Prophetis usitato* sectatur; cumque faccus frumentis capiendis destinatus huc non quadret, *de vili lugentium & coram Deo se humiliantium habitu illum interpretatur.* Ad *Utam*, §. 8. hæc regerit: *revera nudus incessit Propheta.* Ad *Veam*, §. 9. seq. illa nuditas ex parte tantum, & aliqualis fuit. Ad *Vltam*, §. 11. seq. tres anni non ad incessum Prophetæ, sed ad Ægyptum & Cusch denudandos referendi sunt. Ad *Vllmam*, §. 13. Verba Prophetæ ita comparata sunt, ut tam de priori, quàm posteriori explicari queant. His absolutis §. 14. Vsum didacticum, pædèviticum & paracleticum indigitat.*

Die 23. Jun. Collegii Schomeriani, præcedente jam mense ter memorati, Disputationem *quartam*, quæ ex Cap. II. Locum de *Articulis fidei*, & Cap. III. de *Deo* sistit, Moderatore *Joh. Petro Grönenberg* / S. Theol. D. & PP. nec non Consiliario Consistoriali, & Districtus Mecklenburgici Superintendentente, ventilandam proposuerunt Præses *M. Henr. Ascan. Engelse* / Rostoch. & Respondens *Joh. Lanzius*, Mecklenb. (3. plag. in 4.)

Summa Dissertationis hæc est. §. 19. Non omne, quod in Scripturis revelatum extat, ad articulos fidei pertinet, contra Tannerum. §. 20. Quam quisque articulus fundamentalis & necessarius sit, vel minus, ex ipsâ naturâ rei definiendum est, contra Arminianos & Calixtum. §. 21. Symbolis Ecclesiæ, etsi non obtinent auctoritatem judicis, sed pro religione tantum nostrâ testimonium dicunt, pure tamen absque conditione subscribimus, contra Anabaptistas Collegiatos, Arminianos, Anglos, & Calixtum. *Cap. III. de Deo*, §. 1. Notitia Dei naturalis, non acquisita tantum, sed & insita, per modum habitus connati, ante omnem rationis usum actu primo nobis inest, contra Joh. Musæum. §. 2. Insita Dei notitia est obscura & valdè imperfecta, contra Cartesium & Burmannum. §. 3. Datur notitia Dei acquisita, quâ ex contemplatione creaturarum demonstratur Dei existentia, contra Cartesianos. §. 4. Existentia Dei ex Scripturis S. probatur, contra Calixtum & Hornejum. §. 5. Cum Deus dicitur Spiritus, nulla hujus vocis notioni includitur materialitas, aut extensio quantitativa, contra Wittichium, Hobbesium, Crellium, Vorstium. §. 6. Deus rectè dicitur esse à se ipso sensu negativo, contra Cartesium & Cartesianos. §. 7. Deus est Ens ab omnibus Creaturis distinctissimum, contra Weigelium. §. 8. Omnis à conceptu Deitatis imperfectio removenda, contra Episcopium & Henricum Morum. §. 9. Præsentia Dei universalis apud Creaturas non est nuda & otiosa quædam adessentia;

sed præter eam non minus, quam gratiosa & gloriosa præsentia, efficacem quoque operationem involvit, & non tantum ab immensitate Dei, sed & à liberrima ejus voluntate oritur, contra Tubingenses. §. 10. Omnipræsentia divina non solâ operatione absolvitur; sed includit substantialem adessentiam ad omnes res creatas, vi immensitatis Dei, contra Episcopium & Cartesianos. §. 11. Specialis Dei præsentia, quæ fidelibus promissa est, præter operationem gratiosam, de peculiari quoque intelligitur essentiæ divinæ ad nos approximatione, contra Lucam Osiandrum, Calixtum. §. 12. Deus quidem omnipotens est, attamen nec veritas, nec possibilitas rerum omnis simpliciter à DEi libera voluntate pendet; sed quædam etiam ab ipsâ DEi naturâ: adeoque æterna ac necessaria est, contra Cartesium, Wittichium, Petrum Poiret, Spinosam. §. 13. DEus ab æterno idem ac immutabilis est, nec per creationem quicquam ei accessit perfectionis, contra Weigelium. §. 14. Cognitio DEi divinorumque attributorum salutaris admodum & ad salutem necessaria est, contra Arminianos.

Die 28. Jun. sub Præsidio M. *Franc. Alb. Epini*, Mecklenb.

Dissertationem Philos. quâ *Moralitas Graduum Academicorum* ex Juris Naturæ Principiis, contra Fanaticos præsertim, asseritur, defendit Auctor Respondens, *Joannes Carlqvist*, Svecus. (5. plag. in 4.)

Tria continet Capita, quorum *Imum statum Contröversia format*, ostendendo, quibus Gradus Academici sint conferendi, videlicet §. 1. sufficienti eruditione instructis, §. 2. vitæ morumque integritate ornatis, §. 3. rejicit ab usum gradus Academicos temerè & solius lucri causâ impertiendi. §. 4. notat quorundam temeritatem in gradibus Academicis petendis. §. 5. Fœminis etiam gradus, excluso tamen illo in Theologiâ summo, conferri posse probat. §. 6. Hactenus dicta *ὡς ἐν Συνοψει* proponit. §. 7. Illud Juris Naturæ principium, quo dicen-

MENSIS JULII, M DCCII. 191

da probaturus est, adjicit, nempe: *Quicquid socialitati convenit, illud justum est ac licitum.* Cap. *Illudum*, *Fanaticorum de gradibus Academicis sententiam & argumenta recenset*, & quidem §.1. Thomæ Muntzeri, Carolstadii, §.2. Weigeli, §.3. Christiani Hohburgi, §.4. Quackerorum, §.5. Gothofredi Arnoldi, §.6. Zwinglii, Gualtheri & Boxhornii, §.7. seqq. horum Fanaticorum contra moralitatem graduum argumenta & rationes enumerat. Cap. *Illium*, *veram sententiam proponit, probat & defendit*, adversariorum rationes à §.2. ad 9. inclusivè refellens, §. 10. seqq. Graduum fundamentum juxta Juris Naturæ principium supra suppositum paulò altius repetit. §.15. porismata X. ex hæcenus dictis deducta adjicit.

GEDANI

In Athenæo.

Die 11. Maji M. Christianus Sabmius, Mathemat. Prof. P. & Scholæ Johannit. Rector disputabat de *Figura Terra*, Resp. Daniele Mannio, Elb. Bor. (1. plag. in 4.)

Die 14. Jun. *Idem de Situ Telluris*, Resp. Leonbardo Gebauero, Silesio. (1. plag. in 4to.)

Die 18. Jun. M. Daniel Gradus, Græc. & Hebr. LL. Prof. Publ. programme, de *Societate homini utilissima*, & ex *De jussu necessariâ*, studiosam juventutem ad nuptias suas cum Florentinâ Virginiâ Rebeschkiâ invitabat. (in fol. plag. 1.)

Die 21. Jun. M. Christ. Sabmius habebat de *motu Terræ* Disp. I. Resp. Joh. Leonb. Schlichero, Gedan. (1. plag. in 4.)

Die 22. Jun. D. Samuel Schelguigius, Theol. Prof. Athen. Rect. & ad S. S. Trinit. Past. solenni Disputationi exponere *Aphorismorum ex Scholâ Pietatis Gerbardianâ Congeriem I. ex prefatione & de Attributis Dei communiter*, ac in specie de Bonitate, Resp. Leonb. Gebauero, Silesio. (pl. 3½.)

Die 5. Jul. *M. Christ. Sabmius* addebat de *Motu Terra*
 Disp. II. Resp. *Carolo Godofr. Heinio*, Ged. (I. pl. in 4.)

Die 6. Jul. *D. Samuel Frieder. Willenberg*, Jurium & Histor.
 Prof. ac Athen. Inspector, solenniter disputabat de *Excep-
 tione doli in cambiis cessante*, Resp. *Job. Gottlieb Becker*,
 Ged. (plag. 5 $\frac{1}{2}$ in 4.)

Argumentum hujus tenoris est: §. I. Jus est vel commune, vel singulare. §. 2. Cambia sunt privilegiata & quare? §. 3. Prægnantia materiæ hic tractandæ: Etymon vocis Cambii. §. 4. An Campsores hodierni cum Argentariis Romanis conveniant. §. 5. Cambium in quo conveniat & non conveniat cum aliis contractibus. §. 6. Quatuor Personæ regulariter cambio interveniunt. §. 7. An & pauciores vel plures? Quid sit cambium indossatum. §. 8. Exponitur differentia contractuum in cambiali negotio occurrentium & 1. Remittentis & Trassantis. §. 9. 2. Trassantis & Acceptantis. 3. Acceptantis & Præsentantis. §. 10. 4. Remittentis & Præsentantis. Nulla est obligatio inter Remittentem, Acceptantem vel Præsentantem & Trassantem. §. 11. Definitur Cambium. §. 12. Proponuntur ejus differentia. §. 13. Objectum Cambii est pecunia. §. 14. Lagium dandum Campsori & quantum esse possit. §. 15. An Cambia exercere sit licitum. §. 16. Ad melius promovendum Cambium dantur literæ cambiales. Quid sint hæ literæ. §. 17. quibus clausulis muniantur. §. 18. Quid sint literæ avisoria. §. 19. Tam literæ Cambii, quam avisoria statim sunt transmittendæ. §. 20. & illæ in tempore præsentandæ. §. 21. Ob non acceptatas literas cambii protestandum. §. 22. Quot modis fieri possit acceptatio. §. 23. An & quando pro honore literarum tertius acceptet Cambium. §. 24. Acceptationis effectus est, quod ea obliget Acceptantem ad solvendum. §. 25. Probatur hoc variorum locorum statutis. §. 26. An post acceptationem sit quædam

quædam delegatio facta. §. 27. Proponuntur quædam privilegia Cambii. §. 28. Quænam competat actio inter Remittentem & Trassantem. §. 29. Quænam inter Tractantem & Acceptantem ; ut & inter Remittentem & Præsentantem. §. 30. quæ Præsentanti contra Acceptantem. §. 31. quæ ei, qui pro honore acceptavit. §. 32. Cambiis an opponi possint exceptiones. Opponi potest solutionis & compensationis. §. 33. An etiam exceptio non numeratæ pecuniæ ? variæ Dd. sententiæ. §. 34. ab Auctore distinguitur. §. 35. Concurrit cum exceptione N. N. P. exceptio doli generalis. §. 36. Casus de dolo in Cambio commissio. Quæstio inde format. §. 37. Affirmativæ sententiæ Ratio I. à nullitate mandati ob dolum. §. 38. Ratio II. ab inhabilitate Trassantis. §. 39. Ratio III. à dolo Remittentis & Præsentantis. 40. Ratio IV. à qualitate exceptionis doli. §. 41. Ratio V. à conditione acceptationis. §. 42. Ratio VI. ab officiositate Acceptantis. §. 43. Ratio VII. ab autoritate Ddum. §. 44. Præfertur negativa, cujus Ratio I. in Cambiis non admitti except. altioris indaginis. §. 45. Ratio II. ex acceptatione literarum generali. §. 46. Ratio III. est specialis contractus Acceptantis & Præsentantis. §. 47. Ratio IV. quod in hoc contractu nihil admissum, quod illum vitiaret. §. 48. Ratio V. à naturâ exceptionis doli. §. 49. Ratio VI. à Mercatorum receptâ regulâ. §. 50. Ratio VII. à consensu Doctorum. §. 51. Sententia Senatus Gedanensis. §. 52. Laudum quoddam Mercatorum Amstelodam. §. 23. Verba quædam supplicationis ad Senatum Francofurt. §. 54. Responsio ad rationem dubitandi I. §. 55. Responsio ad rationem II. §. 56. Responsio ad rationem III. §. 57. Responsio ad rationem IV. §. 58. Responsio ad rationem V. §. 59. Responsio ad rationem VI. §. 60. Responsio ad rationem VII. §. 61. Ampliatio quædam sententiæ Auctoris. §. 62. An Acceptans pecuniam in judicio deponere possit ? §. 63. Cautela pro Acceptante. §. 64. Quale auxilium ipsi supersit. §. 65. An Remittens per Cambium extortam pecuniam cum Creditori.

toribus Trassantis communicare debeat? §. 66. Cujus sit damnum si ex mandato alicujus inhabili Campsori pecunia perferenda data? §. 67. Cujus sit damnum ex literis falsificatis ortum? §. 68. Quid si literæ auferantur vel casu amittantur? §. 69. Epilogus.

Ex Rev. Ministerio.

Die 26. Jun. vitam finivit *M. Andreas Gnospius*, ad S.S. Trinit. per XXII. annos Diaconus.

Natus ille est Regiomonti Borufforum, d. 16. Jun. 1633. Patre *Lucâ Gnospio*, Ministro Jesu Christi variis persecutionibus exagitato, tandemque magni Xenodochii Loebnicensis Diacono, & matre *Catharinâ*, Johannis Campii, Pastoris Libemolensis ac in Consistorio Pomesaniensi Assessoris filiâ. Studiis *Regiomonti*, *Wittebergæ* & *Lipsiæ* pertractatis, Academiisque insuper *Gryphiswaldensi*, *Jenensi* & *Rostochiensi* perlustratis, ann. 1661. à Senatu Regiomontano Palæopolitano Concionator Xenodochii ad *D. Georgii*, anno 1677. *Gedani* Rector Scholæ *Bartholomæitanæ*, porrò ibidem anno 1679. Ecclesiastes in fortalio *ad ostium Vistulae*, denique anno 1680. Diaconus Ecclesiæ ad S.S. Trinit. vocatus est.

Prodierunt sub ejus nomine.

1651. *Wittebergæ* Disputatio de *Qualitate ex Physicis*, Præsidente *M. Samuele Pomario*. (pl. 1.)
 1653. *ibid.* Disput. de *Passionis ac Mortis Christi tempore*, Præsidente *M. Egidio Strauchio*. (pl. 3.)
 1657. *Regiomonti* Disput. de *vanitate Astrologorum*, Præsidente *M. Andreâ Concio*. (pl. 4.)
 1669. *Leich-Abdankung* *Hn. Ludovico Spelnero*, Pastori in *Thürenberg* gehalten. (plag. 3.)
 1672. *Predigt über den 22. Psalm*. (pl. 5½)
 1680. *Abund Anzugs-Predigten*. (pl. 7. in 4to.)
 1688. *Leichpr. über Hr. Michael Engeln* / ad S.S. Trinit. Diacon. & ad *D. Annæ Concionat. Polonicum*. (in fol. pl. 14)

Ex Latino in Germanicum vertit tres *supposititias Liturgias Jacobi, Marci, & Petri*, cumque notis, durante Syncretistico inter Regiomontanos certamine, edidit sub titulo: *Die 3. vermeinten und sehr verdächtigen Liturgien und Messen des Jacobi, Marci und Petri*, aus dem Tom. I. Magnæ Bibliothecæ veterum Patrum Edit. Colon. Anno 1618. ins Deutsche übersehet von A. G. R. B. (plag. 6½.)

Mens. Junio *Ephraim Pratorius*, hactenus ad ædem *D. Lazari*, jam ad ædem *S. Jacobi Ecclesiastes*, brevem & perspicuam edidit instructionem pro dignè accessuris ad SS. Synaxin, titulus est: *Der würdige Tisch-Gast bey der Gnaden-Tafel Jesu Christi im Heiligen Abendmahl*. Informatur ille *Sectione priori quid salutariter ei sciendum sit*, suppeditatâ scilicet Catenulâ totius doctrinæ Christianæ. Porro, *quid eidem ante, in & post S. Cœna sumtionem piè suscipiendum sit*, *Sectione posteriori* edocetur. (Edit. Lips. 3. plag. in 12mo.)

REGIOMONTI

Die 5. Febr. *M. Michael Schreiber*, Eloquent. & Histor. P.P. & Bibliothec. Wallenrod. in funere *Johannis Kehe* / Collegæ Scholæ Palæop. Programma Germanicum scripsit, cujus titulus: *Das flüchtige Kehe*. (1. plag.)

Die 10. Febr. in funere *Reginae Goltiebia Droßie*, virginis: *Selb-brennende Lampen* / womit die sehl. Jungfer dem Bräutigam ihrer Seelen in der Mitternacht des Todes entgegen gangen. (2. plag.)

Die 16. Febr. in funere *Christophori Qvandt*, Pastoris in Pago Burchardi 50. annos benè meriti, ex Levit. XXV. de anno quinqvagesimo, quo servi apud Israelitas manumittebantur: *Seliges Erlaß-Jahr* / in welchem der selige Pfarrer nach geleistetem 50. jährigen Dienst in die Himmlische Freyheit versetzt worden. (2plag.)

Die 26. Febr. in funere *Matthia Trentovii*, Pastoris Py-lanicensis in Districtu Lyccensi, occasione ipsius insignium,

in quibus conspicitur aliquis satelles, hasta armatus, quasi excubias agens; Titulus: *Der bewährte Seelen-Wächter an dem Hause des Erren.* (1 plag.)

Die 8. Martii in funere *Barbaræ Bulovizæ, Bernhardi FridERICI Hahn*, Concionatoris Aulici Conjugis: *Die beste Art des Todes.* (2 plag.)

Die 7. Maji, Programma Latinum *Idem* scripsit, quo promulgabatur, quod ex aliis Academicis Germanicis propter digladiandi ferociam proscripti, hic quoque pro talibus impofterum habendi, & nequaquam admittendi sint.

Die 16. Maji in funere *Henrici Bartsch*, Vice-Consulis Palæopol. *Auferlesene Edelgesteine / mit welchen des Wolfel. silberne Ehren-Krone seines grauen Saars geschmückt worden.* (3. plag.)

Die 17. Maji in funere *Euphrosynæ, Comitissæ & Burggraviæ à Dobna*, Viduæ à *Güldenstern*: *Die Vereinhabung des Goldes mit den Sternen.* (4. plag.)

Die 5. Junii, Programma Latinum in memoriam *Andree Hedionis* J. V. D. qui anno 1673. d. 30. April. Regiomonti natus, Patre *M. Andrea Hedione*, Log. & Phil. Prim. P.P. Alumn. Reg. nec non Convict. & Colleg. Inspect. Prim. & Bibliothecario Regio. Studiis, domi forisque, in Germania, Belgio, Dania, Anglia & Gallia, gnaviter excultis, ann. 1698. Franecqueræ, prævia Disputatione inaugurali, de *Duello*, J. V. Doct. renunciatus, ann. 1701. d. 16. Junii Lugduni Batavorum gladio transfossus obiit, anno ætat. 28. & 24. dierum. Sepultus ibidem d. 19. Sept. ejusdem anni.

Die 11. Junii, Programma Relegatorium nomine publico scripsit ex *Cæsar. L. VI. Comment. Bell. Gall. de more Druydarum*, quod *secorum decreto non stetit aliquis, sacrificiis suis interdixerint.*

Die 23. Junii, in die *B. Cancellarii J. D. à Tettau* memoriæ quotannis hic sacro, Orationem habuit, de *Deserto*, *S. Johannis Academia*. Præmissum fuit Programma de hoc deserto in respectato.

THORUNII

M. Georgius Wendius, Gymnasii Thorun. Rect. & Prof. die 22. Februarii *D. Johannis Nicolai Misteri*, Gifs. P. P. *Theologiae Thetico-Polemicae Disputationem quintam*, Respondente *Wilhelmo Steinect / Mitaviâ-Curlando*, denuò ad ventilandum proposuit.

Sub anni superioris 1701. exitum, hujusque 1702. exordium Thorunii partim vivis excefferunt, partim verò tumulati sunt sequentes: (1) *Aaron Blivernitzius*, Thoruniensis, verbi divini in & extra Patriam per annos 48. Præco fidelissimus, inprimis autem Templi D. Mariæ apud Thorunienses per 26. annos Ecclesiastes Polonicus. (2) *Carolus Albertinus*, ab *Ostenbund*, Reipublicæ Gedanensis Syndicus, Warfaviæ extinctus, & Thorunii sepulchro illatus die 15. Januarii. (3) *Johannes Kislingius*, Reipublicæ Patriæ Thoruniensis Præconful meritisimus, Dominica IV. post Epiphan. terræ traditus.

RIGÆ.

Superiori anno 1701, mense Decembri, pag. 381. seq. B. *D. Johannis Breveri*, Ecclesiarum Rigensium Superintendentis, Consistorii Assessoris & ad D. Petri ædem Pastoris Primarii, vitam descripsimus. Quum verò Scripta ab eodem in lucem edita ibidem desiderentur, illa hîc subjicere placet, quæ sunt:

1. *Orationes* in Rigensi Athenæo habitæ, unâ cum *Programmatibus*. Francofurt. ad Moen. 1655. (in 8.) In duas divisæ sunt Partes, quarum prima continet 1. Alphab. 16. plag. Secunda autem 1. Alphab. 14. plag.

2. *Catechesis Germanica*, juxta Methodum minoris Catecheseos Lutheri, in usum Scholarum Rigensium. Rigæ ex officinâ Georgii Matthiæ Nölleri, 1681. (1. Alphab. in 8.)

3. *Catena Theologica*, in usum Gymnasii Rigensis, apud G.M. Nöllерum, 1697. (2½ plag. in 8.)

4. *Adumbratio Theologiae Dogmaticæ & Moralîs* duabus Tabellis, Rigæ apud modò dictum Nöllерum, 1686. (in 4to.)

Reliqua ejus Scripta colligi possunt ex illâ Disputatione, quam *M. Jon. Job. Phragmenius* anno 1699. d. 27. Maji Rostochiæ edidit.

Qui ex Reverendo Ministerio vitam cum morte commutarunt nobisq; nondum memorati, sunt sequentes:

Anno 1701. d. 7. Octobris *M. Andreas Baumann*, *Ædis Joannitanæ* Diaconus.

Qui cum Rigæ ann. 1649. d. 15. Julii natus esset, ac fundamenta eruditionis in Scholâ Patriâ jecisset, *Wittebergam* profectus est, ibiqve absoluto cursu Philosophico, *de jure Majestatis circa Sacra* publicè disseruit. Hinc ann. 1672. *Academiam Giessensem* adiit, ubi etiam Disputationes *de Christo Pastore*, *de Imagine DEI*, &, pro gradu Magisterii, *de Ritibus precandi veterum Hebraeorum*, habuit. Postea peragravit varia Germaniæ loca. Tandem ann. 1675 domum rediens, d. 18. Octobr. 1690. Pastor *zur Neuen Mühlen* / & ann. 1694. Rigæ ædis *Joannitanæ* Diaconus constitutus est.

Anno 1701. d. 22. Decembris *M. Andreas Schwartz* / electus ad ædem *D. Joannis* Diaconus.

Lucis usurâ frui cœpit ille in urbe Rigâ ann. 1665. d. 2. Novembr. & studiis scholasticis in patriâ feliciter peractis, an. 1685. *Rostochiensem*, & anno 1686. *Lipsiensem* invisit *Academiam*. Hinc ad iter se accingens superioris Germaniæ Provincias perlustravit. Anno 1690. d. 3. Jan. *Lipsiam* iterum rediit, & hic non dignitatem solum Magisterii, sed in patriâ etiam hoc ipsò annò vocationem ad *Pastoratum Ecclesiæ Steinholmensis* obtinuit, cui aliæ, nempe anno 1697. ad *Pastoratum Ecclesiæ S. Georgii* in suburbio Rigensi, & anno 1700. ad *Diaconatum templi Cathedralis*, successerunt. Præterito quidem anno Diaconus ad *D. Joannis* eligebatur, ast in ipsâ electione vitam finiebat annum trigesimum septimum agens.

Anno 1702. d. 31. Januarii, *Hermannus Zimmermann*, *templi Cathedralis* Pastor & *Consistorii* Assessor.

Nata-

MENSIS JVLII, M DCCII. 169

Natale solum contigit illi in urbe Rigâ, anno 1654. d. 24. Septembr. Postquam in Scholâ Cathedrali, quæ in patriâ est, literis excultus erat, Rostochii & Wittebergæ studio Philosophico atqve Theologico operam dedit. Deindè per varios Principatus in Germaniâ iter fecit, & anno 1680. d. 21. Aprilis patrium solum revisit. Hic anno 1681. d. 14. Maji Ecclesiæ Joannitanæ, anno 1683. d. 30. Martii templi Cathedralis, & mox Ecclesiæ Petrinæ Diaconus; porrò anno 1691. d. 13. Septembr. Ecclesiastes Concionum hebdomadalium & Consistorii Assessor, ac tandem anno 1700. mense Julio Pastor templi Cathedralis vocatus est.

Die 1. April. *Georgius Caspari de Redemptorâ Christi passione* orationem habuit, in quâ simul B. Parentis sui, cujus vitam & scripta mense Martio pag. 79. seq. recensuimus, memoriam pie recoluit, prævio Programmate invitatorio M. *Michaëlis Pinsdörfferi*, Gymnas. Prof. & Scholæ Cathedr. Rectoris.

VPSALIAE

Die 10. Maji sub Præsidio *Laurentii Normanni*, S. Theol. Prof. Regii & Academiae Bibliothecarii, *Ericus Benzelius*, *Erici filius*, publico examini submitit *Joannis Chrysostomi Homiliam in Evang. Joannis V, 19.* hactenus ineditam; quam cur *Suppl. Homil. in Divit. & Lazarum* ex MS. *Baroccianis* celebratissimæ Bibliothecæ publicæ *Oxonienis*, quæ à fundatore suo *Illustri Thomâ Bodlejo*, Bodlejanæ nomen obtinuit, descripsit, Latine vertit, & notis illustravit. (6 plag. in 4to.)

Idem *Benzelius* etiam in publicum emittet *Philonis Lib. IV. de LL. special. Decalogi*, hactenus *ἀνέκδοτον*, ex membranis vetustis *Biblioth. Bodlejane* descriptum.

MALMOGIAE

D. Joh. Jacobi Döbelii

De Aquâ Salsâ, tutissimo pro infantibus Emetico,
Observatio.

Dum puerorum ventriculum, corrupti lactis saburrâ refer-

tum, lernæ paludi non absimilem pronuncio, Medicorum neminem contrarium existimo, qui lactis acidi malignitatem, hydræ verò circumjacentibus terris adeò infestæ noverit indolem. Vt enim Hydra plusquam unicò infensa fuit capite, ac eorum unicò abs Hercule præcisò, aliud statim propullulabat; ita massa hæc venenata variis multisque insul-tibus in ventriculo, tanquam in sua non solum se volutat Lerna, sed & omnibus vicinis partibus suâ virulentiam quam est nocentissima! Comprobant hoc ipsum omnes ferè infantum morbi, diversis titulis tam diversissimi, quam inter se sunt corporis partes. Demas nunc Hydræ huic, quâ Nau-seam excitat, acrimoniam, & ecce! datâ aut nullâ, aut parum tutâ, quâ robur colligit, morâ, hypochondria rursus inflabit, pectus contrahet, seminium verminosum animabit, febres excitabit, vixque sublato unius morbi fomite, aliis novis spiculis novorum malorum erit causa, nisi potente illam concremes elemento. Præstant id egregiè ruricolæ nostri, vel si in gratiam fabulæ fortem & robustum cupis virum, Vul-gus nostrum Svecanum, quod Herculeo sanè conatu ad extingvendam talem bestiam non quidem tam felix, quam fortunatum est. Cum enim molesta talis progenies in puerorum vel aliquot menses natorum ventriculo, domesticum quasi aliquod occupavit hospitium, non absorbentibus, non alcalibus, non stomachicis, nec purgantibus, nec anthelminticis Nostrates digladiantur, quæ omnia illam quidem feriunt, sed vix tollunt. Quid ergo? Patriâ suâ quam habere putant potestate ac libertate utentes, animal hoc accensis torribus aggrediuntur ac comburunt. Ignis scilicet Græcus illis sal est, quo in pauca aqua dissoluto atque exhibitò, universam Lernam movent, angvemque ejiciunt ac conficiunt & masculè & laudabiliter satis. Quamvis enim haud ignorem, quam tenera tenellulorum sit constitutio, & quam caute cum infantibus sit agendum; certum tamen ac rationi planè congruum est, pluribus frustra adhibitis Ventricu-
lum

lum plus affici & debilitari, morbi verò mineram in periculo nostro incrementa capere, cum contra unico generoso remedio istiusmodi periculosus hospes, qui ne dignus quidem est, ut publico alatur aëre, momento quasi exturbetur. Æquum proinde non minus, quam tritum illud est: *Pueri qui vomunt, crescunt*, quamdiu debitis circumstantiis ejus habeatur ratio. Nimirum

Interdum Vulgus rectum videt, est ubi peccat.

Etenim, qui ex repletione oriuntur, evacuatione curandi sunt morbi: & quam feliciter hac methodo ipsi non sapius curam absolvent Medici, si ægrorum Parentes cum Rusticis hac in re tam simplices esse vellent, quam felices. Ignem talem, hydræ nostræ fatalem, olim jam Celsus lib. I. c. 3. descripsit, usum ejus omnes deprædicant & commendant Præfici, effectus verò felicitis certitudinem creberrima Nostratum experimenta confirmant. Quid? mei obliviscar? oblitus ferè fuisssem puerum me cum reliquis meis fratribus, falsæ scyphum, Parentis nostri jussu & eodem scopo & magno cum fructu exhaustisse. Modum, quò ignis hicce noster agat, ceu rem cuius apertam, pluribus hic exposuisse præter rem videbitur; hac igitur benevolum Lectorem dimitto admonitione, ut pro aqua ex tempore sale imprægnata, potius propinet muriam, butyro condito supernatantem, quò ob fracta aliquantum à butyro salis spicula, delicatis magis prospiciatur ventriculis, ne ab acidi lactis acrimonia violentius evadat emeticum, sapiusq; justo vomitus recurrat.

KILONII.

Andr. Albertus Rhode, Barmstad. lingvâ Teutonicâ peroravit de laude *Historiæ*. Programma vernaculum à *Jo. Burchardo Majo*, Eloqvent. & Historiar. P.P. huic actui Oratorio præmissum lingvæ Germanicæ studium magnificandum esse ostendit. (I plag. in forma patente.)

Die 10. Maji sub Præsidio *Samuelis Reyheri*, J.C. Cod & Mathematic. Profess. Publ. Disputationem Juridicam de *singularibus*

ribus Alimentorum juribus habuit *Christoph. Jacob. Pfenning*,
Kiliensis. (2 $\frac{1}{2}$ plag. in 4.)

Summa Dissertationis. §. 1. per alimenta quid intelligitur? magnus eorum in Jure est favor. §. 2. Bona ad alimentati-
onem destinata nec arrestari nec sequestrari possunt. §. 3. Quan-
do de alimentis agitur, sumtus litis & alimenta Reus actori
indigenti subministrare cogitur. §. 4. Si de alimentis quæstio
est, etiam in feriis adiri Magistratus potest. §. 5. Si pupillo,
vel adulto, alimenta non præstantur, (*sine Curatore*) potest ad-
ire præsidem. §. 6. In causis alimenta futura concernentibus
appellatio non admittitur. §. 7. Filiabus vel Sororibus Vafal-
lorum, quamdiu non elocantur, alimenta ex feudo debentur.
§. 8. Ratione alimentorum sorores contra fratres, vel
alios agnatos, jus tacitæ hypothecæ, nec non jus retentionis
habent, §. 9. etiam contra agnatorum & fratrum creditores,
etiamsi hypothecam cum consensu Domini habeant, præfe-
runtur. §. 10. Sorores ex feudo paterno dotationem vel e-
ducationem sive alimenta petentes præferuntur fratris uxori
vel viduæ dotem illatam repetenti. §. 11. Quod in alimenta
ætatis putæ infirmæ relictum est, ad honorem civitatis perti-
net. §. 12. Divus Marcus oratione in Senatu recitata effecit,
ne aliter alimentorum transactio rata esset, quam si auctore
prætoris facta. §. 13. juxta constitutionem *Hadriani*, pueri us-
que ad decimum octavum, puellæ ad quartum decimum an-
num alantur. §. 14. Notabilis lex de formâ computationis in
alimentis faciendæ habetur.

Die 28. Maji prodiit Programma *Sebastiani Kortholti*, Profess.

Poët. Publ. & Ordin. (1. plag. in fol.) quo Patres Civesque
Academicos invitavit ad audiendam Orationem super o-
bitum GVILHELMII Regis numeris Germanicis adstrictam,
& die *Gvilhelmo* in fastis sacro recitatam publicè à *Jo. Fri-
derico Meins*, Lubecensi.

In eo auctor affirmat, ex quo *Caroli Stuarti*, sive potius
trium Regnorum amputatum Caput, nullum Angliam, nul-
lum

lum Europam, nullum deniqve totum terrarum orbem funus magis luctuosum illo *Gvilhelmi* adspexisse. Deinde laudes Regis compendio exponit, memoratqve quomodo fugato *Jacobo*, M. Britanniae Regem ipsum se constituerit & coronam acceperit, quæ dudum imperium ipsi augurata & à cælo promissa sit cum supra thronum ejus, testibus innumeris, comparuerit. Refert item Regem hunc *Cantabrigia* Juris Doctorem creatum, cum octo annos natus fuerit, literis animo *Lugd. B.* perpolivisse, & in ipsa semente præclariss. mesis spem fecisse, ac in prima juventute Gubernatorem & Belgici exercitus Imperat. constitutum pro Batava prope oppressa libertate propugnasse; *Nardam, Voerdam, Bonnam, Crepiscordium, Bommeliã, Elburgum, Valckenburg, Tongern, Rheinbach, Brevil, Sechwig, Hardtwich, & Kempten* expugnasse; Gallos *Noviomagum, Zutphaniam, Tielam, Arenacum & Vesaliã*, Episc. autem Monasteriensem *Daventriã* ut desererent coëgisse; *Covordiam, Binchen ac Gravã* aliaque sibi erepta loca recuperasse, & *Condeum* æque ac Ducem *Luxenburgum* fugasse. Addit Hiberniæ motus eum pacasse, exercitum Boinam fluveum trajecisse, *Waterfordiam, Vexfordiam, Duncanonum, Kerckingsal, Droghedam, Bellingarti & Dublinum* potestati subjecisse suæ, & *Jacobo* iterum fugato occupataque *Atlona, Landsborough, Kablymore, Galliva, Slego & Limmerico* totius Hiberniæ factum Dominum, maximo postmodum prælio Gallos vicisse, *Huum* in ditionem suam redegegisse & *Namurcum* quoque recepisse. Quibus factis tantum gloriæ *Gvilhelmi* accesserit, quantum inde ad subditos salutis redundarit. Has aliasque, quas enumerat Auctor, laudes latino carmine celeberr. *Petr. Francium, Alemanico Cl. Jo. Christ. Wentzelium* complexos esse docet. Nec tacet Anglico Poemati easdem inseruisse *Richardum Blackmorum*, qui ideo, se Londini agente, in Equitum ordinem à Rege receptus sit, quem Musa hac sua mori vetabit, licet Medicina sua, cum à morti vicino adesse coram juberetur, eidemeripere non potuerit.

Idem Sebastianus Kortholtus, sicut mense Majo p. 150. notavimus, publicæ luci dare constituit *Hildebrandi ab Horn Iter Moscoviticum*, sub hoc titulo: *Sildebrand von Horns/ Königl. Maj. zu Dännemarck Norwegen weiland Abgesandten/ Moskowitzsche Reise/ welche mit einer Vorrede von des Verfassers Lebens- Lauff zum erstenmahl ans Licht stellet Sebastian Kortholt / Poët. Prof. Publ. und Ordin. der Hoch- Fürstl. Vniversität zum Kiel. Kiel bey Barthold Neuther. (in 4.)*

Data hac occasione subjicere placet Epitaphium dicti *Hildebrandi ab Horn*, curâ moestissimæ Matris illi positum, quod præclaras ejus ingenii dotes, vitam laudabiliter actam, & mortem præmaturam sequenti modo ob oculos ponit:

Memoriæ *Hildebrandi von Horn*, ætatem ingenio, ingenium felicitate, felicitatem virtutibus supergressi. Qui postquam ad omnes à naturâ elegantias factus, omnes studiorum Veneres, Eloquentiam, Poësin, in Lingvâ Latinâ, Germanicâ, Gallicâ, Italicâ, incredibili solertiâ exhausterat, Matheseos Civilis, Militaris, Nauticæ, Mechanicæ artibus, Historiæ qq. & Civilis Prudentiæ doctrinis ornatisissimus, moribus prætereâ suavissimis & meras Charites spirantibus amabilis, Seren. ac Potent. Dan. ac Norvag. Regi CHRISTIANO V. ita se probavit, ut insolitò in illâ ætate exemplo bis in Moscoviam mitteretur, primum ut Secretarius Regius, ad componendas Polonorum & Moscorum lites, iterum ad alia negotia ablegati honoribus insignitus, ubi toto triennio versatus Magnorum Ducum gentisque universæ gratiam sibi conciliavit, quem in Russicâ & Sclavonicâ lingvâ Poëtam venustissimum Nafonem quondam Getæ Peregrinum Cives mirarentur. Rebus optimè & ex votò confectis, ut pacis artibus virtutem militarem jungeret, in Græciam Venetorum in Castris pugnatum ivit, veterem Musarum & Elegantiarum sedem à Barbaris vindicaturus; illic inter Melitenses Equites Peregrini Equitis titulo honoratus in expugnatione Cerones & Naupliæ, munitissimarum Peloponnesi urbium, in præliis maxi-

maxima animi fortissimi specimina ostendit. Hospes summo Veneti Exercitus Imperatori, Morosino, acceptissimus. Sed quem non tela & enses, nec graviora, quæ accepit, vulnera peremerunt, illum ad majora munera capeffenda iussu Regio revocatum è morbô Epidemio mors in nave pia placidaque Regi fidum Ministrum, magnam patriæ spem & ornamentum, præclarum literis elegantibus decus, Matri desiderium eripuit. Natus an. MDCLV. d. XXVI. Aug. Patre, *Petro von Horne*, hujus urbis Senatore, Matre *Catharina Billen*. Obiit anno MDC LXXXVI. die VII. Octobr. anno ætatis XXXI. Exuviæ ejus in Cytherâ Insulâ tumulo illatæ cumque illis tot ingenii Veneres in antiqvâ Veneris sede sepultæ, Anima è sacrâ militiâ ad triumphantem in cœlos evolavit. Filio unico, vere unico, ætatem virilem vix ingresso, ingenio, virtutibus, meritis plusquam virilibus supergresso, Mater septuagenaria mœstissima, jam non amplius Mater, contra votum superstes supremum hoc in patriâ munus posuit.

LVBECÆ.

Die 4. Junii, ipsis videlicet Feriis Pentecostalibus, Spiritui S. sacris, *D. Georg. Henr. Goetzius*, Ecclesiarum Lubecensium Superintendens, Concionem suam auspicalē habuit, postquam eò ipsò die à *M. Balthaf. Gerhard. Hannekenio*, Pastore Mariano, Superintendentis munus ipsi per solennem institutionem impositum esset. Natus ille est Lipsiæ, ubi non solum sub privatissimâ Præceptorum institutione literarum fundamenta posuit; sed & in Academiâ Patriâ, postmodum Wittebergenfi ac Jenensi, Doctores tam Philosophos quam Theologos frequentissimè audivit, & publica in iisdem edidit eruditionis specimina. Quum autem in Vniversitate Lipsiensi, quam secundâ vice repetierat, præviâ Dissertatione Historicâ de *Αποδείξεις Christi*, an. 1687. Gradum Magisterialem consequutus esset, tum ibi, tum etiam Wittebergæ, quorsum iterū se contulerat, varias de variis argumentis tam ut Præses quam ut Respondens proposuit

posuit Dissertationes infra enumerandas. Studiis Academicis absolutis an. 1690. d. 4. Apr. ad Pastoratium *Burgensem* in Ducatu Magdeburgico, & eodem anno ad Diaconatum Ecclesiæ *Chemnicensium* vocatus est. His vocationibus an. 1694. alia ad D. Sophiae templum, quod *Dresda* est, successit. Hoc in loco cum an. 1696. Concinator Aulicus requireretur, illius quidem opera à Proto Synedrio desiderabatur, ut Concionem *δοκιμασιμῶν* haberet, sed an. 1697. mense Septembr. Annæbergenses Pastorem & Ephorum eum expetiverunt impetraruntque. Hic dum hæreret, an. 1698. d. 25. Augusti pro Gradu Licentiatuæ *de Centurione sub Cruce Christi*, in Acad. Patriâ publicè disputavit, atq; Honoris istius Academici Axioma Brabevta *D. Joh. Bened. Carpzovio* reportavit. Anno insequenti à Facultate Theologicâ ejusdem loci S. Theol. Doctor renunciatus est interprete *D. Joh. Oleario*, exhibitâ ante Exercitatione Historico-Theologicâ *de Cornelii à Lapide Commentariis in Scripturam S.* Anno 1700. Halenses in Ducatu Magdeburgico ad suscipiendum Pastoris munus literis vocationis illum invitarunt, quas tamen rationibus diligenter expensis acceptare recusavit. Anni currentis 1702. mense Februario, ad Superintendentis munia in hac Imperiali subeunda ab Amplissimo Senatu electus est vocatusque, & mense Majo huc concessit, postquam Annæbergæ per quinquennium, si quinque menses excipiantur, vixisset.

*Syllabus Dissertationum & Scriptorum tam Latinorum
quàm Germanicorum*

D. Georg. Henr. Goetzii, Superintend. Lubecensis.

Histor. Philol.

De Quartadecimanis, Lips. A. 1685. Præf. *M. Joh. Schmidio*,
Eloqv. Prof. Ord. (pl. 3.)

De Ritu Lætionum Sacrarum, Witteb. 1685. Præf. *M. Wilh. Ern.
Tenzelio*, Ord. Phil. Adj. (plag. 9½)

De Historia Principum Anbaltinorum, Jenæ, 1686. Præf. *D. Casp. Sa-
gittario*, Histor. Prof. Ord. (pl. 31.)

- De' Αποθεώσεσιν Christi*, Lips. 1687. Præf. M. Jo. Jacobo Sulzbergero, (h.t. Pastore in Agro Delitiano) (pl. 4.)
- De Unctura Christi Bethaniæ facta*, Lips. 1687. Resp. Jo. Nicol. Graßberg/ Longo-Saliffa Thuring. (h.t. Phil. Magistro & Ecclesiæ Patriæ ad D. Stephani Diacono) (pl. 3.)
- De Vigiliis Paschalibus Veterum Christianorum*, Lips. 1687. Resp. Job. Hoffmann/ Selba-Varisco, (nunc Phil. Mag. & Ecclesiæ Patriæ Diacono.) (pl. 3.)
- De Bibliothecâ Patrum*, Lips. 1687. Resp. Jo. Dav. Neubauer / Curia Varisco, (h. t. Phil. Mag.) (pl. 2.)
- De Archidiaconis Vet. Ecclesiæ*, Lips. 1687. Resp. Petro Ambrosio Leshmann/Doebelâ-Misnico (h.t. Phil. Mag. & variis Scriptis Histor. Geneal. quæ in Nov. Liter. Maris Balth. ad Ann. 1700. p. 30. 187. recensentur clarissimo.) (pl. 2½)
- De λόγῳ Johanneo*, Wittb. 1687. Præf. Conr. Sam. Schurzfleischio, Hist. Prof. Ord. (pl. 2.)
- De Scriptoribus Hærescologicis*, Disp. I. & II. Witteb. 1687. Resp. Jo. Lubin, Spremberga Lufato, & Job. Andr. Damm, Mittweid. Misn. (pl. 4.)
- De Candidatis Veterum*, Witteb. 1687. Resp. Jo. Hoffmann/ Selbâ-Varisco, cujus modò mentio facta est. (pl. 2.)
- De Supposititiis ac deperditis Pauli Scriptis*, Schediasma Historicum. Witteb. 1687. (pl. II.)
- De Christi Scriptis*, Witteb. 1687. Resp. Jo. Christ. Schenckio, Liebenwerda Misn. (pl. 2.)
- De Magno Pietatis Mysisterio ad 1. Tim. III. 16.* Witteb. 1687. Resp. Christiano Schneider, Domitio-Misnico, (Phil. Mag. & h.t. Scholæ Patriæ Rectore.) (pl. 2½)
- De Ritibus Solennibus Magisterialibus*, Witteb. 1688. (pl. 4.)
- De Macedonianis*, pro Loco in Fac. obtinendo, Witteb. 1688. Resp. Godofr. Vogelio, Grimma-Misnico. (pl. 2½)
- De Variis Miscellaneis Historico-Criticis*, Witteb. 1688. Resp. Gabriele Seidelio, Planizenfi Misnico, (h.t. Phil. Mag. & Verbi divini Ministro Dioecesis Leisnicensis.) (pl. 3½)

- De Dubiis Athanasii Scriptis, quæ in Nova Operum Ejus Editione leguntur,*
Lipf. 1689. Resp. *Job. Philippo Wankelio*, Libenavia Martis-
burgensi (nunc Phil. Mag. & Eccl. Patriæ Pastore.) (pl. 2.)
De Scriptorum Ciceronis Lectione, pro Loco in Fac. obtinendo,
Ima vice Lipf. 1689. absqve Respondente. (pl. 3.)

Theologicorum.

- Synopsis Errorum Arminianorum, Præf. D. Jo. Oleario*, Lipf. 1686.
1687. (plag. 14½) (1687. (pl. 6))
Discussio Singularium Questionum Theol. Præf. D. Georg. Moebio, Lipf.
De Traditionibus Pontificiorum semetipsas evertentibus, Præf. D. Cassp.
Loeschero, Witteb. 1687. (pl. 4.)
D. Job. Taufreri de absoluto Reprobationis decreto, Exercit. I. & XI.
Præf. D. Cassp. Loeschero, Witteb. 1688. (pl. 4. & 4.)
Amanitatum Juris divini Ecloga, Lipf. 1689. (pl. 7.)
Observationum sacrarum Specimen in Memoriam Jubilei Annæ. d. 8.
Dec. 1697. celebrati, Annæb. 1697. (pl. 3.)
De Centurione sub Cruce Christi, pro Gradu Licentiaturæ, Lipf.
1698. (pl. 8.)
De Spiritu S. ad Job. XIV, 26. Dissertatio Synodalis, cum annexo
Programmate de Claudii Clementis Museo, Resp. *M. Jo. Christ.*
Genselio, Annæb. Eccles. Patriæ Archi-Diac. Lipf. 1699 (pl. 6.)
De Clavis Schmidii, Oratio Synodalis, Lipf. 1699. (pl. 5.)
De Cornelii à Lapide Commentariis in Scripturam S. pro Gradu
Doctoratus, Lipf. 1699. (pl. 5.)
Num Scriptura S. eaqve Canonica, ejusdem valoris sit, ac Fabula Æsopi,
vel Titus Livius? Lipf. 1700. (pl. 5½)
Num Lutherus Librum Jobi cum Terentii scriptis & Virgilii Aneide
contulerit? Lipf. 1700. (pl. 4.)
De Theologis Pseudo-Medicis, seu, Num Theologo Artem Medicam exer-
cere liceat? Lipf. 1700. (pl. 3½) (pl. 6½)
De Concionatoribus Castrensibus, vulgò Geldpredigern / Lipf. 1700.
De Principe Concionatore s. Principibus Illustribus, vel Durchlauchtig
gen Predigern / Annæb. 1700. (pl. 6.)

*De Vestibus Sacris, in administratione Cæna Dominica usitatis, vulgò
Messigervandten/Annæb.1700. (pl.2½)*

Observationes Exegetico-Præctica in 2. Cor. XII, 20. 21. Lips. 1701. (pl. 5½)

*De Imperatoribus Romano-Germanicis, qui fidem Lutherano-Evangeli-
cam morte confirmarunt, vel von Lutherischen Röm. Råysern/
Dresdæ 1701. (pl. 5½)*

De Lutheranismo D. Bernhardi, Dresdæ 1701. (pl. 5.)

De Principe Hebraice docto, Lips. 1701. (pl. 5.)

De Cultu Abrahami, Lips 1702. (pl. 3.)

De Cultu Josephi, Parentis Christi, Lips. 1702. (pl. 4.)

De Cultu Annae, Aviae Christi, in Misniam inveccto, Lips. 1702. (pl. 5½)

Germanicorum.

Homilia ad Ps. CXLV, 18. 19. Chemnicii 1691. (pl. 5½)

- *ad Pericop. Evangel. Dom. post Nativ. Luc. II, 33 - 40. Chemn.
1691. (pl. 8½)*

- *ad III. Præceptum de Sabbatho, Chemnicii 1693. (pl. 5½)*

- *ad Pericop. Epist. Fest. Epiphan. Chemnicii 1693. (pl. 6½)*

*funebri, memoriæ Dn. M. Wolffg. Stegeri, SS. Theolog. Stu-
diosi sacrata, ad Apoc. I, 5. 6. Chemnicii 1693. (pl. 9.)*

*Unterricht von denen stolzen Reden derer Pietisten und fanatischen
Schwärmer/ ad Pericop. Epist. Fest. Ascens. Act. I. Lips.
1693. (pl. 17.)*

Chemnitzer Valet-Predigt ad Act. XX, 31. 32. Dresdæ 1694. (pl. 4.)

Homil. ad Pericop. Ev. Dom. XVI. p. Trin. Dresd. 1694 (pl. 10½)

*Christliche Warnung für denen falschen Popheten / Dresdæ 1694.
8vo. (plag. 7½.)*

*Beweis/ daß man bey der Lutherischen Religion könne recht glauben/
Christlich leben/ und selig sterben/ Dresdæ 1694. 8vo. (pl. 4½.)*

*Der wohlgeschickte Lutherische Communicante / nach Anleitung
des Catechismi Lutheri, Dresdæ 1695. 8vo. (plag. 4.)*

*Der Christen Fürsichtigkeit wieder des Teufels Bosheit/ ad Pericop.
Evang. Dom. I. Advent. adv. Beckeri bezauberte Welt/
Dresdæ 1696. (plag. 5.)*

- Der Bußfertige Schächer am Creuze/ in 2. Betrachtungen / Dresdæ 1696. (plag. 19.)
- Der von Vater und Mutter verlassene Jfmael/ad Gen. XXI, 14-19. Dresd. 1696. (pl. 4.)
- Christliche Bad- und Brunnen-Predigt ad Apoc. XIV, 7. & I. Joh. I, 7. Dresdæ 1697. (pl. 7½.)
- Nahemia Wahl- und Leibspruch ad Neh. XIII, 31. Dresd. 1696. (pl. 4)
- Lazarus unser Freund schläfft / Joh. II, 11. Lips. 1698. (9½. pl.)
- Buß-Predigt ad Es. LXIV, 8-12. Lips. 1698. (plag. 6½.)
- Investitur-Predigt Hn. Christoph Titschens, Pfarrers in Crotenzdorf/Dom. III. Adv. ad Matt. XI. 2.-10. Annæb. 1688. (pl. 11.)
- Annabergische Schulpredigt/ad Act. VII, 22. Annæb. 1698. (pl. 3½)
- Betrachtung von sterbender Christen letzten Seuffzer/über die Worte des Gesangs: Und wenn ich nicht mehr reden kan ic. (pl. 10.)
- Wdt geheiligte Charfreytags Andacht von dem Absterben des H. Ernn Jesu/ad Luc. XXIII, 46. Annæb. 1699. 8vo. (pl. 3½.)
- Leichen-Predigt Herrn Bürgerm. Joh. Christoph Schwaber seel. in Annaberg gehalten ad 2. Tim. I, 12. Lips. 1700. fol. (pl. 18.)

Ovum Galli Gallinacei, & Basiliscus
ex Museo


Jo. Jacobi Stolterfohti, D.

Ovum ovo quam sit haud raro *dissimile*, partu diversimode monstroso, mense Majo probavit seqvior pennati gregis sexus, cui nec masculinum genus speciei suæ vult esse secundum, nam &

Parturiunt Galli: risum teneates amici.

Succubum habes, nunc incubum indigites velim B. L. & *eris mihi magnus Apollo*. Rei veritatem aniles quidem obscurarunt fabulæ, at exempla fidei robur addunt. Inter nonnulla *natura curiosa* nobis Haffniâ transmissa, capsulæ sanctius quasi inclusas videbam testas, Portatoris forsân incuria diffractas, cum inscriptione: *Ovum Galli Gallinacei*. Portenti rudera tristi contemplabar vultu; miratus secunda Nuntii Fata, haud metuentis quid sit *Aspidis ova rumpere*. Sed nec mih

mihi capsulam aperienti virus *Basilisci* in mero vacuo fuit infestum. Lætabar, at quin ridiculi partus jacturam aliquatenus lugerem, vix à me impetrare potui; usque dum ultro ad nos veniret Amicus quidam candore suo nobis admodum probatus, scatulam secum ducens, quæ *ovulum* habebat reconditum hujus figuræ:



Hoc Physicotheculæ nostræ se consecraturum dicebat, tantquam verum *Galli Gallinacci* sui *ovum*, quod in conspectu suo exclusisse in fimo *Aurora indicem* sancte jurabat. Fidem hinc animo nostro extorquebat Viri sinceritas, munita tot aliorum testimoniis: inter quæ istud *Petri Borelli*, qui itidem *ovum Galli* vidit sine vitello, in quo autem quasi serpens generatus fuerat. *Observ. Physico-Medic. Cent. III. obs. XLII. p. 230. conf. Cent. IV. obs. 1. p. 280. Act. Medic. Hassn. Vol. II. observ. X. p. 14. De Gallo Gallinaceo* intra tredecim dies decem ova excludente vid. *Henric. Scretæ à Zavorziz. Ephem. Nat. Curios. Dec. I. A. III. Observ. CLXXVII. p. 332. De Gallo* qui spatio unius mensis sex ova posuit vid. *D. Sam. Ledel. l. c. Dec. II. A. I. Observ. CXLV. p. 359. seqq. Galli ter ovipari* mentionem facit *D. Joh. Bened. Gründel. l. c. Dec. II. A. V. Observ. CCXI. p. 435. conf. Obs. CCXII. p. 436. item quid de Anserè* masculino *ovum excludente* refert *Excell. Dn. D. Luc. Schröck. in Schol. ad l. c. p. 437. De ovo Galli Gallinacci* semicircularis figuræ vid. *D. Marc. Gerbiz. l. c. Dec. III. A. V. & VI. Obs. CXXXVIII. p. 278. conf. quæ de ovis Galli Gallinacci & Gallopavi* habet *D. Gustav. Casimir. Gabrliep. l. c. Obs. CLXIV. p. 374. seq.* Partus hujus rationem assignat putrefacto seminis excremento, ex humorum colluvie conflato, *Levin. Lemnius de occult. Nat.*

,,miracul. L. IV. c. XII. p. m. 349. dum decrepitus esse incipit ac se-
 ,,nectute confici Gallus, quod nonnulli septimo, nono, aut ad
 ,,summum decimo ætatis anno evenire credit, ac pro virium
 ,,robore vel imbecillitate, aut etiam coëundi assuetudine,
 ,,qua nulli non animantium naturæ vis dejicitur atque ener-
 ,,vatur, ovum profert æstivis mensibus, ac caniculæ sideris ex-
 ortu. Conf. Job. Jonston. *Thermatograph. natural. Class. VI. c. XVII.*
p. m. 259. Gaspar. Schott. Physic. Curios. L. IX. c. XXXIX. §. 2. p. 995. In-
 genio magis excelsio nodum solvit Augustanorum Machaon
Luc. Schröck, in Schol. ad M. N. C. Dec. II. A. V. Obs. CCXII. p. 438.
 ,,ubi, cum, inquit, in Gallorum intestinis tum pituitæ viscidæ,
 ,,cumprimis in annosis, majorem lentorem, ob spirituum ali-
 ,,quam penuriam, qua debita ejus rarefactio & attenuatio re-
 ,,tardatur, induentis, præsentia adsit, ex qua spumescente quasi
 ,,oriri possunt vesiculæ, tum & serofus ille & tartareus non
 ,,desit renalis humor, globulorum oviformium in masculino
 ,,Gallinaceo genere concretionem non plane pro impossi-
 ,,bili habere possum. Atque adeo non quidem proprie sic
 dictum ovum, oviforme tamen aliquod corpus à Gallo Gallina-
 ceo excludi posse credit Vir Incomparabilis, quod ambabus
 eidem largimur manibus, cum ut nostrum sic & aliorum,
 ovula mentio quorum jam facta, absque vitello, cum materia
 quadam alba viscosa & quasi spumescente deprehendantur. At
 cum ex defectu particularum terrearum in ventriculo & ipso
 sanguine ova quoque pariant subventanea vel ipsæ Galline,
 ut vult *Gladbach. Prax. Medic. idea noviss. p. 256.* fieri posse credi-
 derim ut eadem hæc materia viscosa in Gallorum ovis conspi-
 cua obducatur crusta, si debita adsit materia terrea, quam val-
 de cretam, lapillos, arenulasve devorando, amare Gallina-
 ceum genus diximus *Mens. Maj. b. 4. p. 154.* Annorum vero
 computum rejicere videtur Exemplum illud Galli vix unius
 anni qui ovum posuit, teste *Tb. Bartholino Cent. III. Ex. LII. p. 214.*
 quem vero utriusque fuisse sexus credit, *l. c. p. 215.* Simile Fatum
 aliis hujus speciei pennigeris oviparis, & nostro quoque Gallo,
 cujus

cujus partum sistimus, contingere potuisse, ita ut & *incubi* & *succubi* partes sustinuerit, facile concesserim, victus exemplo Hermophroditæ Londinensis, ad utrumque Veneris aciem paratæ, cujus mentionem fecimus A. M. DC. XCVIII. *Mens. Decembr.* p. 242. Quoniam vero eundem exenterare non licuit, incomparabilis quondam Haffniensium Æsculapii sententiam amplectimur, qui *Gallum oviparum* cultro subjecit anatomico, nec locum conceptionis aut formationis invenire potuit; unde erudite suspicatur, à copiosissimi seminis vaporibus ex testiculis ad intestina per vicinos poros patulos exhalantibus ovum conceptum fuisse, & per anum redditum: quod argumentis haud vacillantibus probat *Cent. 1. Hist. Anat. XCIX. p. m. 164.* quibus cum conferri merentur quæ habet passim in aureo suo Tractatu de *Insolitis partus viis.* Unde & apud *Salmuthum Cent. III. Obs. XCIV* Fœmina Fœtum in ventriculo conceptum per os eniti potuit. Alia Fœtum extra uterum repertorum exempla habent idem *Th. Bartholin, Cent VI. Hist. Anat. XCII. p. 359.* *D. Philipp. Jac Sachs à Lewenheimb M. N. C. Dec. 1. A. 1. Obs. CX. p. 224. seqq. Dion. Chirurgus Regius Parisiensis, in Historic. Relat. M. N. C. Dec. II. A. II. p. 478. Rosin. Lentil, Dec. II. A. VII. Obs. CCXXXVII. p. 450* & alii, quos pagina non capit, Conf. quæ rudi Minerva commentati sumus in *Dn. D. Job. Jac. Döbelii observat. de Foetu extra uterum in abdomine reperto A. M. DC. XCIX. Mens. Mart. p. 77.* Hos omnes citatos Artis nostræ Antistites si studiose evolvere non detrectabis B. L. non habebis quod mireris, quomodo Mulier illa Parisiensis apud *Mr. Bernard dans les Nouvelles de la Republique des Lettres*, cujus mentionem fecit Polyhistor ille Hamburgensis in *Denen Historischen Remarques hujus anni Hebdomad. XXV. d. XX, Junii*, p. 299. seq. Fœtum putrefactum extra uterum rejicere frustillatim per anum potuerit. Sed quo dilabor? Ad *ovulum* nostrum revertor, quod *subventaneum* deprehendo, ex defectu forsan spiritus proliferi, ut quid veneni intus latere minus timeam; quale notavit in *Gallo oviparo D. Sam. Ledel. M. N. C. Dec. II. A. I.*

Obs. CXLV. p. 362. conf. Job. Bened. Gründel. Dec. II. A. I. Obs. CCXI. p. 435. & Obs. CCXII. p. 436. ubi in centro istius ovi vermem quadrupedem, coloris nigri, & quoad figuram Lacerto parvo similem, cum cauda inter pedes inclusa, apparuisse refert. Quid vero magis inter res exploratas credit vulgus quam ex ovo Galli Basiliscum generari? quam sententiam haud temere explosione dignam judicat Excell. Dn. D. Georg. Wolffg. Wedel. M. N. C. Dec. I. Obs. A. III. Obs. CXXVIII. p. 202. ubi Imaginem animalis depictam sistit, qualem & nos inter curiosa servamus, ac æri incisam tradimus, huic ferme similem, ut jurares ejusdem farinæ exuvias esse quas circumtulerunt Jenæ A. M. DC. LXXI. Ex Raja autem arte formatam esse Bestiam novimus, & sub hoc titulo possidemus. Modum asfingendi eidem pedes Gallinaceos detegit D. Job. Janisch in Schol. ad d. Observ. Dn. D. Wedel. p. 204. qui post subolfactam, ex confessione Assessoris, fraudem ne falsa pro veris obtruderentur Amstelodamo in itinere suo curioso A. M. DC. LXXII. d. 8. Novembr. monuit D. Salomonem Reyfeliū, ut habet Cornel. Stalpart van der Wiel Cent. Rost. Part. pr. Observat. varior. l. p. 506. seq. qui Hagæ quoque A. 1681. ejusmodi fictas exuvias vidit. L. c. p. 480. Huc referri quoque posse videtur Basiliscus, quem ex relatione Mosani Archiepiscopi Casalensis describit Job. Pincierius L. III. Enigm. 22. unde recte Magnus Scaliger. Comm. in Histor. Animal. L. II. cap. VIII. multos formam Basilisci Gallo similem artificio expressisse testatur. Talem quoque ex Raja pisce Draconem artificiosum exhibuisse Musæum Calceolarii Veronensis refert D. Philipp. Jac. Sachs, M. N. C. Dec. I. A. I. Obs. XLVIII. p. 121. Hujus quoque sortis fuisse Basiliscum quem in itinere suo vidit Monconys en Voyage de Portugal. p. m. 35. nullus dubito; nam quotquot eorum in itinere suo vidit Th. Bartholinus, vel arte fictos credit, vel monstra fuisse, scribit Cent. VI. Histor. Amar. XXXVII. p. 350. Absurdum hinc magis tale Brutum ex Ovo Galli ortū ducere, cum & Galli cantum Bestiam hanc occidere scribat Ælianus Hist. l. III. c. 30. conf. Sim. Majol. diæ. canicular. l. I.

TAB. VI.

Colloq.



Colloqu. VI. p. m. 156. ex quo capite & inter aniles fabulas hunc Basilisci ortum refert Petr. Borell. *Histor. Medico-Physic. Cent. IV. Obs. I. p. 280.* Illuc quoque relegatur à Cardano l. 1. de Venenis c. 16. G. Charleton *Onomast. Zoico cap. de Serpent. terrestr. fol. 32.* Mizald. *memorabil. Cent. IX. aph. 53.* Sim. Schultz. *M. N. C. Dec. I. A. III. Obs. CXC. p. 359. seq.* Pincier. *L. III. Ænigm. 3.* D. Job. Mich. Febr. de Scorzoner. p. 160. Matthiol. in *Dioscorid. L. VI. cap. ult. Cornel. Stalp. van der Wiel. l. c. p. 482. &c.* Alia interim quæstio est de vera Basilisci existentia (pro qua pugnant Solin. *Polybistor. cap. 49.* Alian. *L. I. Histor. Animal cap. 1.* Plin. *Histor. Natural. L. VIII. c. 21.* & alii, quam nos in medio relinqvimus, ablegantes B. L. ad Excell. Dn. D. Wedel. l. c. Cornel. Stalp. van der Wiel. l. c. p. 497. seqq. & alios, qui accuratius hanc tractant materiam, nec proprietates istas quas præter vulgarem illam, de vi aspectu vel halitu necante, opinionem, ipsi tribuit Zacut Lusitan. *L. V. Hist. V. qv. VI. f. m. 805.* examinare animum induximus nostrum) & alia de ejusdem generatione ex ovo Galli Gallinacei, cui nostram ut addamus affirmativam, nullis hætenus argumentis convinci potuimus. Nec fidem meretur Paracelsus *L. 1. de Natur. rer. qv. Basiliscum ex menstruo foeminarum corrupto generari* scribit. conf. Christian. Frideric. Garmann. *Dialog. curios. Dissert. II. §. 151. p. 177. seqq.* Minus interim negaverim, putrefactionem esse progeniei verminosæ foecundam satis matrem, ut infinita docent exempla quotidianæ experientiae respondentia, quæ peculiari schediasmati de *vita in morte* reservamus. conf. quæ in medium produximus *A. M. DC. XCIX. Mens. Octobr. p. 310. seqq.* Quidni etiam concederimus, eadem competere phænomena posse humori in *ovis* putrefacto, ab idea verminosa, non penitus ex ingestis destructa, inibi latitante, ita ut non possimus non pollicem premere *Aristoreli*, qui *L. IV. Generat. Animal. c. 4.* monstra, ait, sapius gigni iis, quorum numerosus est partus, & præcipue in *ovorum* genere, potissimum in *Gallinis* &c. siquidem illæ varias sordes devorant & inquinamenta ædium & samporum, seminiaque insectorum, ut facile inde in ovo peregrina

grina corpora excrescant, notante *Tb. Bartholino Cent. VI. Hist. Anat. LXXXVII. p. m. 350.* Varii quoque generis vermes monstruosos in *ovis* observatos enumerant *D. Sim. Schulz. Ephem. Nat. Curios. Dec. I. A. III. Obs. CXC. p. 354. seqq. Ulyss. Aldrovand. Histor. Monstr. f. 389. Jo. Faber Lynceus in Not. ad Histor. Mexican. p. 773. Job. Pincier. L. III. Ænigm. 23. Zod. Medic. Gallic. A. I. Obs. VII. p. 147. Tb. Bartholin. Cent. I. Hist. Anat. IV. p. 14. Aët. Med. Hassn. Vol. II. Obs. X. p. 24. Licet. L. II. de Monstr. c. 87. &c.* quinimo facer etiam codex *Serpentes Lacertosque ex ovis* produci testatur *Jes. LIX. 5.* unde proverbium esse natum *Ova aspidis rumpere credit Desider. Erasmi. Lib. adag. f. m. 1259.* pro eo quod est summo periculo rem aliquam tentare. Valet hinc Medicorum axioma: *Ova corruptioni admodum esse obnoxia, eaque quam recentissima optima, quo vero sunt antiquiora, eo deteriora, à quibus ceu à veneno abstinendum est.*

Francisci Wörgeri Scholion

De Papa Domino.

Quia eminentia ficta Papæ supra Reges atque universam ecclesiam sudes est in oculis Gallorum (Concilia enim posse judicare de Papa, adeoque ipsum deponere toto capite *91. ibidem non ita pridem de notitia Conciliorum* evicit Cabassutius) mirum quanta istud seu vecordia seu impudentia obnubilent mancipia Papæ. Papa vocatur *Domnus* non *Dominus*, quia *Dominus* titulus Dei est, *Domnus* vero hominis præclari. Ita è *Baronio* cornicatur *Claudius Arnaud in epitomâ thesauri sacrorum rituum Bartholomæi Gavanti p. 481. fine.* Dum nec ipsum titulū Dei denegant Papæ, quem ne *Dominum* quidem vocari hîc posse simulat monachus ludibriis turpibus fucum vendens lectori. Memini *Cl. nostrum Hermannum Nottelmannum* narrare, dum adhuc in Ducatu Brunswigensi vivebat nondum scholæ Lubecensis Rector, cænasse sese aliquando cum *Canonicis* aliquot pontificiis ac tribuno evangelico sive *Lutherano*, ibi cum adulationes Papæorum velut Deum Papam venerantium perstrinxisset *Nottelmannus*, hos contra asseveravisse,

viffe, se cum capitis periculo istud nuspian scriptum extare præstituros. Et cum nihil reponeret Nottelmannus longè animosiores suam illam acrius adhuc negationem repetivisse. Altera vix illucescente aurora Nottelmannus rogat tribunal suo ut nomine ultimum tomum corporis canonici glossatum per servum curaret à Syndico vicino afferendum, ubi ad extravagantem Joh. 22. tit. 14. c. 4. *cum inter de V. 5. sub finem exerte deprehenderunt Credere Dominum Deum nostrum Papam non potuisse statuere, prout statuit, hereticum censetur.* Recurrente hinc prandii tempore tribunus hesternam objectionem renovans. Vos, inquit, heri dimicastis cum capitis prostitutione, perseveratisne adhuc in tam obstinata sententia? Annuentibus promi sibi codicem jubet, & ad oculum sacrificulis ostendit contrarium. Tum verò illi in ruborem dati, metaphoricam esse locutionem regerunt. Sed tribunus subridens, caput verè, ait, erit amputandum. Similes perfrictâ fronte ludos agitât Nihusius: *apud nos Vice Deus non solus Papa sed & quilibet Episcopus, &c. cum & ipsis operibus supra Deum atque Dei ecclesiam se extollat Papa, novos enim fidei articulos, ne tota quidem ecclesia condere potest, ut est per se notissimum,* ait Marcus Antonius de Dominis l. 4. de Republ. Eccles. c. 10. §. 98. Neque concilium neque summum pontificem habere ullam potestatem Sacramentorum differentias immutandi, easque à solo Christo esse immutabiliter institutas addit Cabassutius de notitia conciliorum c. 2. Rationem affert ipse Bellarminus l. 3. de justif. c. 8. *Fides enim non est, nisi verbi divini auctoritate nitatur. Neque de hoc principio vel catholici vel heretici dubitant.* Quid igitur Baronius (è cujus mente Arnaud Papam ne Dominum quidem multò minus Deum appellari volebat.) T. 4. Annal. ad annum 373. num. 21. molitur, ab arbitrio, proclamans, *Romani pontificis pependisse fidei decreta sancire & sancita mutare?* Enimvero sic suo Symmystæ contradicit in os apertè qui de verbo Dei l. 4. c. 9. vi veritatis constrictus fatetur: *Nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur.* Deus igitur ipse non
 Papa

Papa est conditor articulorum fidei. *Non enim novis revelationibus* (qualia additamēta Papalium monachorum sunt) *nunc regitur ecclesia* (sc. vera Papæ abominationes respiciens) *sed in iis permanet, quæ tradiderunt illi* (scriptores divini) *qui ministri fuerunt sermonis.* Enucleat istud etiam citati l. 3. de justif. c. 8. uberius: *Non potest aliquid certum esse certitudine fidei, nisi aut immediatè contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur.* At hodierni Jesuitæ omnem movent lapidem, ut consequentias evidentes deludant, isthæc omnia dum testimonia tanquam interpretationes falsas traducunt, famulantes huic sic vicedeati Pontificis, *quem tantum non Deum faciunt, ejusque auctoritatem non modo supra totam ecclesiam, sed supra ipsam scripturam divinam efferunt.* Hæc Georgio Cassandro de officio pii viri p. 35. Et ipse Papa se Dei locum pronunciat in terris tenere, & vinculum matrimonii rati & consummati inter Episcopum & ecclesiam occasione translationis ad aliam sedem dissolvere non ut hominem sed ut Deum, quia quos Deus conjunxerit, nequeat homo separare sed Deus, apud laudatum Archiepiscopum Spalatensem l. 2. de Rep. Eccl. c. 6. num. 15. Quid, quæso, unquam esse possit manifestius? Scribit Georgius Calixtus quidem in actis ad Hassiæ Landgraffium p. 191. sibi visum exemplar corporis Glossati 1507. excusi Parisiis, in quo extitit modo Dominum nostrum Papam, sed posteriores eò magis sunt culpandi, quod reformationis tempore adjecerint, dum & Venetiis & in celeberrimo Galliarum emporio Lugduno cum Dei titulo est recusum, grassantibus licet contra optimos aliàs auctores indicibus quos vocant expurgatoriis. Et Claudius Arnaud cum Baronio in Galliis tamen ipsis inficiari ausus est, Papam vocari Dominum, quâ mendacissimâ impudentia nulla potest esse major, nam ubi pudendum est maximè, ibi eos deserit planè pudor.

In Tabulâ Viâ præterito mensi Junio adjectâ errorem numerorum, qui commissus est, B. L. haud gravatim ita corrigere velit, ut Zyfram 1. in locum Zyfræ 4. substituatur, & vice versâ.



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Augusto MDCCII.

ROSTOCHII

Die 2. Jul. *Andr. Daniel Habichhorst*, S. Theol. D. ejusdemque P.P. & Consiliarius Consistorialis, nec non Facultatis Theol. & Collegii Ducalis totiusque Vniversitatis Senior, publicavit *Theses Collegii Disputatorii* in Augustanam Confessionem & Controversias Recentiores Pietisticas, Augustanæ Confessionis haut conformes, & singulis Articulis annexas, quas *Disputationibus XXIX.* sub Præsidio ejus, diebus Merc. & Sabb. horis Pom. factæ ad d. 5. Jul. initio, & duobus semper Respondentibus, altero Assumente, & altero Assistentem majoris exercitii gratiâ, adhibitis, seqq. XIV. Studiosi ordine ventilabunt, 1. *Johannes Krüger* / Buchholtzio Marchicus. 2. *Alex. Joach. Scherping* / Rostoch. cujus in N.L. an. 1698. p. 104. meminimus. 3. *Christianus Dreyer* / Rostoch. 4. *Job. Balthaf. Niesencf* / Rostoch. 5. *Jacobus Posselius*, Anclam. Pom. (quorum trium supra quoque Mens. Febr. p. 35. in relatione similis Exercitii Disputatorii mentionem habuimus, de quinto vid. supra Mens. Jun. p. 157.) 6. *Erhardus Sprengel* / Stetin. Pom. (quem supra eod. Mens. Jun. p. 156. memoravimus.) 7. *Bernb. Christ. Paris*, Wismar. 8. *Matthias Meyer* / Lubecensis. 9. *Joach. Frid. Husnagel* / Primislav. March. (quorum duorum etiam supra Mens. Febr. p. 35. meminimus.) 10. *Mart. Meinelvus*, Primislav. March. 11. *Josua Statius*, Dobbrano-Mecklenb. 12. *Petrus Craatz* / Menkin. March. 13. *Dan. Gottfr. Kammerike*, Stet. Pom. 14. *David Franckel* / Lychena-Vcar-March. (3. plag. in 4.)

Die 8. Julii sub Moderamine ejusdem *D. Andr. Dan. Habichhorstii* supra *Collegium Schomerianum* sapius dictum Disputa-

tionem *quintam*, sistentem *Cap. IV. de SS. Trinitate*, & *Cap. P. de Creatione*, habuit Præses *M. Henr. e'Ascan. Engelste / Rostoch. SS. Theol. Cand. Respondente Erentreich Köppert Mecklenb.* (2½ plag. in 4.)

Argumentum hujus Differtationis ita se habet : *Cap. IV. de SS. Trinitate*, §.1. Ex sacris literis Novi & Veteris Testamenti de mysterio SS. Trinitatis satis clarè & apertè constat, contra Calixtum. §.2. Mysterium hoc SS. Trinitatis scitu ac cognitu omnibus ad salutem est necessarium, contra Arminianos & Calixtum. §.3. Tres personæ SS. Trinitatis à se invicem sunt realissimè distinctæ, contra Weigelium & Keckermannum. §.4. Vocibus *Trinitatis* & *Personæ* rectè & licitè docendi gratiâ utimur, contra Qvackeros. §.5. Filius Dei respectu æternæ sui generationis proprium habet Patrem, non verò matrem, contra Weigelium. §.6. Appellatio Filii Dei, quæ Christo in sacris literis tribuitur, ejus Deitatem & humanam pariter ac angelicam sortem excedentem generationem arguit, contra Arminianos. §.7. Haud leve argumentum Deitatis Filii petitur ab ejusdem adoratione, contra Arminianos. §.8. Non est contra dignitatem Filii, quod ipse Angeli nomine indicetur, contra Calixtum. §.9. Spiritus S. non tantum specie, sed & numero unus est, contra Socinianos & Christoph. Sandium. §.10. Spiritus S. planè diversus est ab Angelis, contra eundem Sandium. *Cap. V. de Creatione*. §.1. Creatio omnium rerum non ex aliquâ præexistente materiâ, sed purè ex nihilo facta est, contra Vorstium & Weigelium. §.2. Non tantum rudis materiæ productio & impressus ei motus, sed & ipsa ejus in hanc cœli & terræ variorumque animalium formam & naturam succedentibus diebus facta conflatio, opus est omnipotentia divina, contra Cartesium & Wittichium. §.3. Ordo Creationis, quem narrat Moses, procul dubio veris naturæ principiis homogeneous est; nec licet falsas & huic narrationi adversas circa creationem hypotheses assumere, quibus rerum

rerum conditarum natura explicetur, contra Cartesianos. §.4. Datur certus terminus mundo, contra Cartesiu & Wittichium. §.5. Non alia est Creatio, quæ Gen. II, 7. quam quæ Gen. I, 27. indicatur, nec alius homo, qui utrobique conditus esse dicitur, contra Isaacum Peyrerium. §.6. Præter corpus & inditum ei spiritum vitæ nullas alias agnoscimus partes hominis essentielles, contra Cartesianos & Weigelianos. §.7. Hominum animæ ante corporum generationem actu non extant, sed potentiâ sunt in parentibus, contra Henr. Morum. §.8. Bruta animantia & vitam à Deo nacta sunt & sensum, contra Cartesianos.

Die 22. Julii Moderatore Joanne Fechtio, SS. Theol. D. ejusdemque P. P. & Consiliario Consistoriali, nec non Districtus Rostoch. Superintendente, super Collegium Schomerianum Disputationem *Sextam*, quæ sistit *Cap. VI. de Angelis, Cap. VII. de Providentiâ, Cap. IX. de Imagine Dei, Cap. LX. de Peccato*, proposuerunt ventilandam Præses jam dictus, *M. Henr. Ascan. Engelcke* / & Respondens *Job. Henr. Neusenius*, Walikend. Mecklenb. (2½ plag. in 4.)

Disputatio hæc sequentia tradit : *Cap. VI. de Angelis. §. 1.* Angeli, qui in Scripturis tam Veteris quam Novi Testamenti leguntur fidelibus apparuisse, sunt substantiæ permanentes, contra Thom. Hobbes. §.2. Postquam ex Angelis quidam lapsi, reliqui in bono confirmati, ut jam amplius labi nequeant, contra Arminium & Arminianos. *Cap. VII. de Providentiâ.* Deus, quæcunque creavit, etiam sustentat & conservat, omniumque curam habet, contra Remonstrantes. *Cap. VIII. de Imagine Dei. §. I.* Deus hominem creavit rectum, inque perfectâ sapientiâ, sanctitate & justitia, quam imago Dei, ad quam homo conditus est, vi restaurationis involvit, contra Arminianos, Weigelium, Calixtum & Drejerum. §. 2. Veram justitiæ Originalis rationem nosse, interest, tum ad sanctitatem Dei vindicandam, tum ad miseriam lapsus & peccati gravitatem vehementius deplorandam, & ardentius adspirandum ad sanctitatis

ctitatis perfectionem, contra Arminianos. §. 3. Eadem est imago Dei, contra Autor. Præ-Adamit. §. 4. Adamus, si morigerum se Deo præbuisset, immortalis fuisset, contra Arminianos, Weigelium, Calixtum, Drejerum, & alios. §. 5. DEUS erexit cum Adamo fœdus legale, contra Beckerum. *Cap. IX. de Peccato.* §. 1. Historiam lapsus Adamitici non minus, quam historiam Creationis, fratricidii, diluvii, literaliter intelligere oportet, contra Weigelium & Hadr. Beverlandum. §. 2. DEUS nulla ratione peccati causa vel auctor dici potest, contra Calixtum & Drejerum. §. 3. Homo, postquam peccavit, servus peccati factus est, & unico actu violento omnis prærogativa amissa est ex ipsâ naturâ rei, absque alicujus surreptionis divinxæ interventu, contra Arminianos & Corvinum. §. 4. Vitium naturæ ab Adamo in universum genus hominum carnali generatione derivatum est, contra Josuam Placeum, & Arminianos. §. 5. Non tantum reatus ex primo peccato in omnes homines transiit, sed & ipsa illa mors, quam DEUS Adamo comminatus est, contra Qvackeros & Arminianos. §. 6. Peccatum formaliter & abstractivè consideratum non tantum est privatio, sed etiam positivum quid, contra Corn. Martini & Georg. Calixtum, item Dreierum, nec non Joh. Musæum. §. 7. Peccati Originis propagatio adhuc etiam durat, contra Weigelium. §. 8. Infantes non originali tantum peccato polluti sunt, sed & actualia peccata committunt, contra post Pontificios, Photinianos, Anabaptistas & plures Calvinianos, etiam Arminianos & Buscherum. §. 9. Peccatum Originis præcedit actualia peccata, contra Burmannum, Petrum Alinga. §. 10. Recta explicatio & notitia peccati omnis, & in specie originalis, multum valet ad beneficium Redemptoris agnoscendum ac celebrandum.

GRYPHISWALDIAE

D. d. unii, primâ scilicet Pentecostes Feriâ, Acad. Gryphiswaldensis Rector, *Jo. Frid. Mayer*, Doct. Consil. Regius & Ducalis, S. Theol. Prof. Primar. & Vniversitatis Pro-Cancellarius

cellarius publico Programmate disquisivit, *quare Deo Patri peculiare Festum dicatum non sit? (r.pl.in 4.)*

Postquam dixit in eo, quendam inter Pontificios Festo DEI Patris Dominicam Rogationum delegisse ob duas præcipue rationes, quarum prior *ex toties repetitâ in ejus Dominica Evangelio DEI Patris mentione*; posterior autem ex congruenti Festorum consecutione desumpta, asseverat Ecclesiam peculiaribus rationibus non esse adductam ut à festo die DEO Patri peculiariter dicendo abstinuerit, nec quicquam ejus rei omissione peccasse, quia in sanctissima Divinitatis unione nihil divortii atque æmulationis sit, sicubi uni personæ præ altera plus forte honoris exhibeatur. Porro addit Ferias omnes memoriæ operum Deitatis ad extra inter pios celebrandæ dicatas, honori quoque & laudibus DEI Patris subservire, idque probat de Feriis Natalitiis, Paschalibus, Adscensionis Christi, Pentecostalibus, & si has pro Festo DEI Patris vendicaret, se nihil à rei veritate alienum dicturum esse scribit, argumenta petens partim *ex Pericopis Evangelicis* cœtui fidelium hoc Festo proponi solitis & ad Patrem respectum habentibus, partim *ex præcipuâ hisce diebus seftis tractanda de Spiritu S. doctrinâ*, eaque de ejus Processione & missione temporali, quæ neglecto Patris respectu proponi haud possit.

Die 14. Junii sub Præsidio D. Jo. Frid. Mayeri, modo dicti, de Jesuatis publicè differuit M. Georgius Langemak, Vterq; Holatus. (4. plag. in 4.)

Disputationis hujus §. I. recenset Ordines à nomine JESV appellationem ducentes, qui sunt: *Milites JESV, Jesuati, Jesuite*, seu ut dici malunt, *Clerici Societatis JESV*, Gallis *Jesuastæ & Jesuistæ*, Campanis *Jesuini* dicti, notat obiter, quod Del-Rio reprehenderit *Scardeonium, Fumum & Abbatem*, eo quod inconsideratè Jesuitas vocarint, qui propriè Jesuati nominantur. Ordinibus citatis accenset *Jesuissas, Congregationem Virginum Infantie JESV*, an. 1657. institutam & an. 1686. abolitam, *Fratrū Boni JESV Collegium,*

gium, *Ordinem Servatoris*. §.2. Ostendit *Jesuati* unde dicti sint, & aliàs *Injesuatos*, *Viros Apostolicos*, *Clericos Apostolicos*, *Pauperes Jesuatos*, *Fratres Jesuatos S. Hieronymi*, vocatos meminit. §.3. Indicat Auctorem hujus Ordinis, *Johannem Columbinum*, natione *Tuscum*, simul describens ejus vitam, miram conversionem lectione *vita Mariae Aegyptiaca*, initium, socium & Confirmationem Ordinis ab *Vrbano V.* atq; *Martino V.* nec non mortem & sepulturam. Narrat deniqve quod *Martyrologio* eodem die cum *Ignatio Lojolâ* adscriptus sit, & quinam de ejus Vita scripserint. §.4. Sittit *Jesuatorum* habitum, qui ante confirmatum *Ordinem* simplex & vilior, post confirmationem, tunica alba albumqve *Caputium*, *Zona scorteæ*, *lignææ soleæ*, *pallium cinericei coloris*. Hujus habitus mysticam quoqve addit expositionem. §.5. dicit *Jesuatos* *Regulam Augustini*, *Hieronymi*, & *Antonii de Tossiniano* professos, sacris item ab initio non initiatos, imò *Gregorii XIV.* & *Clementis VIII.* edicto ne initiarentur prohibitos fuisse. Porro meminit, quod indulgentiâ *Pauli V.* illis permissum fuerit centum ad *Presbyteratus* ordinem promovere, & quod idem his mox addiderit duodecim *Diaconos*, totidemqve *Subdiaconos*, tandem etiam generalem ad *Ordines sacros* habilitationem dederit. Præterea sequentia tractat: *Confessiones* audire illis indultum; *assiduitas* in precibus fuit magna; ad horarum *Canonicarum* recitationem admissi; *Litararum* studia neglexerunt; *Pontificis Pauli V.* jussu ad ea coacti; prohibebantur *Gradibus*, qui deinde concessi; *Eorum labores manuum* fuerunt varii, præcipuus *distillatio*. §.6. Memorat, *Privilegia Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini*, item omnium *mendicantium* eis fuisse indulta. §.7. Indicat, *loca Congregationum* fuisse primò *domus privatas*, deindè *Oratoria*, & paulò post *monasteria* exstructa; monstrat item illos à *Prioribus* & *Patre Generali* gubernatos, *Ordinem* vero eorum à *Clemente IX.* superiori *Sæculo*, an. 1668. videlicet, sublatum. Tandem subjungit *Pontificiorum* de reducendis ordinibus consilia.

Die 28. Junii 70. *Philipp. Paltbenius*, Juris Natur. & Gent. Professor Ordin. & Respondens, *Samuel Paltbenius*, Jurisprud. Studiosus, Fratres germani, Dissertationem de *Marito Regina* publicæ disquisitioni subjecerunt. (5½ plag. in 4.)

In hac Dissertatione primò dubia, quæ circa vocabulorum explicationem enasci solent, expedit, & quidem §. 3. brevissimis circa vocabulum *Mariti*; §. 4. pluribus autem circa vocem *Regina*, ubi rejicit (a) significatum illum, ut prodivite quacunqve & velut Regiarum opum fœminâ usurpetur. (β) Non admittit illum ejusdem vocis sensum, qui fœminas denotat aut sanguine Regio ortas, aut quocunqve modo ad familiam eorum, qui Regnum obtinent, pertinentes. Nec (γ) se loqui dicit de merâ Conjuge Regiâ, sive Reginâ *Titulari*; Nec (γ) intelligere se Viduam Regiam, nonnullis *Reginam Regentem* dictam; nec deniqve (δ) *Reginam Regnantem*, sive Regis de præsentis Regnantis Conjugem; sed (ε) Principem fœminam ipso opere regentem, quæ suo jure summum in Civitate imperium, quod regulariter viris competere censetur, & habet ipsa & exercet. Et postquam tali modo rem ipsam, quæ hoc vocabulo designatur, proposuit, pergit §. 5. indicare, quem per Maritum Reginæ intelligat, videlicet illum, qui Principi fœminæ hereditario jure Regnum possidenti matrimonio est junctus, eâ quidem lege, ut inito statu conjugali pristinam vitæ conditionem nequaquam mutet, neqve adeò aut in Conjugem imperium, aut ejusdem cum Conjuge divisionem, nec deniqve post illius fata nullo alio interveniente actu, qui jus peculiare conferat, in eodem imperio regnoqve successionem sibi vindicare possit. Hinc manifestum esse ait, *Reginam*, quam dixit, pro vero Rege haberi, idqve nonnullis exemplis probat. Dum verò *Reginæ* ejusmodi Maritum Regi opponit, & Conjuge suâ superiorem esse negat, nequaquam se asserere scribit §. 6. quod in universum nemo, qui Maritus *Reginæ* est, Regnum habere possit, aut quod idem Conjuge sua continuo inferior sit

sit existimandus, & hoc quomodo fieri possit, ulterius exponit. §. 7. Concedi sibi postulat, omne imperium civile naturâ suâ esse simplex & indivisum, idemque in statu Monarchico sive regno non posse esse penes plures unò, salvâ Reipublicæ formâ, hocque ad Principem fœminam ibidem applicat. §. 8. Duplici ratione fieri posse & solere notat, ut virgo regia, quæ pleno jure Regina est, maritum sortiatur: ut scilicet aut extraneo Regi Principique, qui suæ Reipubl. caput est, nubat, aut ut subditum amore complectatur. De priori casu ibidem; de posteriori autem §. 9. agit, ubi subditum considerat, prout est vel alienæ, vel suæ, nempe Reginae Reipubl. subditus. Hos casus exemplis aliquot è recentiori historiâ petitis illustrat, *illum* quidem §. 10. exemplo *Ferdinandi* Arragoniæ Regis, & *Isabellæ* regni Castellæ Reginae, ubi initum matrimonium nec *Ferdinando* Castellæ regnum, nec *Isabellæ* Arragoniæ regnum contulit &c. §. 11. exemplo *Johannæ*, Testamento matris *Isabellæ* in regno Castellæ Reginae, & *Philippi* Austriaci, Belgiique & Terrarum Burgundicarum Domini, qui nil nisi Maritum *Johannæ* Reginae egit. §. 12. item *Philippi* II. Hispaniæ Regis, nepotis *Johannæ*, & *Mariæ* Angliæ Reginae, ubi ille contractis inter se & *Mariam* nuptiis peculiaris juris nihil in regnum uxoris acquisivit. *Hunc* sc. posteriorem casum §. 13. firmat exemplis utriusque *Johannæ* Neapoleos Reginarum, ostendens harum alteram primò *Andream*, deinde *Ludovicum*, *Tarentinum* Principem, tum *Jacobum* *Balæarem*, & tandem *Ottonem* *Ducem* *Brunsvicensem*, Maritos accepisse, administratione regni sibi retentâ; alteram autem, de quâ agit §. 14. Maritum sibi delegisse *Jacobum* *Narbonensem*, *Marchiæ* Comitem, hac conditione, ne *Neapolitani* Regis nomen usurparet. §. 15. proponit exemplum *Mariæ*, *Scotiæ* Reginae, quæ matrimonium cum *Francisco* *Delphino*, *Henrici* II. *Galliæ* Regis filio iniiit, & huic præter nomen regium nullam accessisse in *Scotos* potentiam probat. Quod post hunc nuperit *Henrico* *Stuarto*, *Leviæ* Comiti, Reginae Anglorum, *Elisabethæ*

thæ, subdito, & hoc cæso, *Jacobo Bodvello*, tradit, utroqve tamen regiâ majestate & dignitate destituto. §. 16. Contemplatur casum illum qvi hoc anno in Angliâ exstitit, & qvi Reginam *Annâ* fecit, Maritum verò ejus, *Georgium* Daniæ Principem, non fecit Regem, sed Conjugis suæ subditum, hocqve idè, qvia (1) Vocabulo populi Anglicani *Georgius*, Daniæ Princeps, continetur. (2) qvia inter Vasallos quoqve *Annæ* Reginæ nomen profiteatur. (3) Nunc etiam peculiari sacramenti religione ut Minister Reginæ obligetur. §. 17. dispicit de genio Rerumpubl. quarum conditio id fert, ut Reginarum Maritos habeant, & quidem illum casum non contingere posse affirmat §. 18. in regno electitio, §. 19. interdum quidem in regno successivo, §. 20. nunquam autem in regno usufructuario. His ita suppositis §. 21. ad potissima quæ nunc sunt Europæ regna respicit, & Reginarum Maritos non quærendos aut expectandos esse dicit in Germaniæ, Poloniæ & Galliæ regno; in reliquis omnibus verò eosdem aut esse, aut fuisse, aut esse potuisse, demonstrat. §. 21. In causas facti, quo à personâ Regis conditio maritalis secernitur, inquirat.

Eodem mense Junio lucem publicam viderunt *Bibliotheca Biblica Armaria duo*, Reformatos atqve Lutheranos tradentia Scriptores, qvi Commentatores in Scripturam collegerunt, quæ Præside *D. Jo. Frid. Mayero*, semel iterumqve suprâ nobis laudato, ostendit *Christianus Ernestus Klein / Marien-Werdâ-Prutenus*, S. Theol. Stud. (2 $\frac{1}{2}$ plag. in 4to.)

Armarium I. exhibet *Scriptores Reformatos*, qvi laborem Commentatores in Scripturam recensendi, in se susceperunt, quales sunt (1.) *Conradus Gesnerus*, Tigurinus, an. 1565. demortuus, tum in *Bibliothecâ universali*, seu *Catalogo Alphabetico omnium Scriptorum in tribus linguis, Latinâ, Gracâ, & Hebraicâ Christianium*

stantium & non exstantium, & veterum & recentium, excusorum & in Bibliothecis latentium, usq; ad annum Domini 1545. (Tiguri 1545. in fol.) tum etiam in *Pandectis*, seu *Partitionibus universalibus*, (ann. 1548. in fol.) (2) *Thomas. Jamesius*, Anglus, 1629. vitâ functus, in *Catalogo Bibliotheca Bodlejana*, Londini 1620. impresso. (in 4to.) (3) *Gübertus Voëtius*, Theologus Ultrajectinus, 1676. denatus, in *Bibliotheca Studiosi Theologia Lib. 3. p. 523. seqq.* qui libellus prodiit primum *Vlraj. 1644.* (in 12mo.) auctior postmodum ibid. 1651. & Lips. 1688. subjicitur quoque Joh. Andr. Bosii de hoc Voëtiano libello iudicium *ex Introduct. in notit. Scriptor. Ecclesiast. Cap. 2. §. 14. p. 19.* (4) *Joh. Henr. Höttingerus*, Tigurinus, anno 1667. in Limago fluvio aquis submersus, in *Bibliothecario quadripartito*, vulgato Tiguri 1664. (in 4to.) Hujus libri œconomiam petendam esse dicit ex *Morhoff. Polyhist. Part. I. p. 190. seqq.* (5) *Gerhardus Meierus*, Bremensis Theologus, non ita pridem defunctus, in *Bibliotheca Theol. contracta lib. 2. cap. 3.* anno 1660. Bremæ impressæ (in 12mo.) (6) *Joh. Heinr. Heideggerus*, Theologus Tigurinus, in *Enchiridio Biblico*, sive *Hiero-Mnemonicò*, Tiguri anno 1681 edito, in adscribendis prænominibus & recensendis Scriptoribus minùs accurato. (7) *Gvil. Crowaus*, Britannus, Croydoniensis Ludimagister, in *Elenchò Scriptorum in Scripturam, tam Græcorum, quàm Latinorum &c.* Lond. 1672. (8vo.) innumeris magnisque erroribus scate. Auctoribus hætenus memoratis subjicit *Appendicem de Scriptoribus Anglis*, eosque speciatim enarrasse scribit *Joh. Hein. Höttingerus*, in *Bibliothecario quadripartito* supra dicto, pag. 60. seqq. *Martinum Kempium*, Historiograph. Brandenb. in *Bibliothecâ Anglorum Theologicâ*, Regiomonti an. 1677. editâ (in 4to.) & ex *Vernevilii libro, Catalogus Scriptorum nostratium Anglorum in V. & N. T. seu integram seu in partes*, nominato, maximam partem transcriptâ, & tandem *Joh. Hein. Heideggerum* in *Hiero-Mnemonicò* supra citato. *Armarium II.* sistit *nostrates Lutberanos*, qui in eodem scribendi genere elaborarunt, quos inter (I) *Anonymum*

nymum quendam dicit collegisse *Catalogum Autorum*, qui in *sacros V. & N. T. libros scripserunt*, Witteb. 1581. (8vo.) (2) *Petrum Besodnerum*, Transilvanum, concinnasse *Bibliothecam Theolog. seu Indicem Bibliorum precipuorum*, eorundemq; *Interpretum Hebræorum, Græcorum, & Latinorum*, tam veterum, quam recentium, in *certas classes ita digestorum*, ut primo intuitu apparere possit, qui in *numerò Rabbīnorum, Patrum, Lutheranorum, Pontificiorum, aut Zwinglio-Calvinianorum contineantur*, Francof. 1608. (in 4to.) (3) *Petrum Draudium* in *Bibliothecâ Classicâ*, Francof. an. 1611. & 1624. editâ (in 4to) eum *Commentatores in Libros Biblicos enumerare* quidem ait, sed frequenter *lectorem fallere*. (4) *Paulum Bolduanum*, Stolpensem Pomeranum, scribit *expositores Scripturæ annotasse* in *Bibliothecâ Theologicâ*, sive *Elencho Scriptorum Ecclesiasticorum illustrium*, &c. Jen. 1614. (in 4to.) (5) *Michaëlem Waltherum* quoque in *Officinâ Biblicâ pag. 440. seqq.* selectos *Commentatores* in *singulos libros Scripturæ commendasse*, & (6) *Philippum Henricum Friedliebium*, Stralsund. *Ecclesiæ Ephorum*, in *Theologiâ Exegeticâ* similiter indicasse *expositores*. (7) Porro *Joh. Koelmsbergerum* eosdem parum accurate recensuisse in *Statuâ Mercuriali Theol.* Helmst. 1662. *evulgatâ* (in 4.), nec non (8) *Danielem Springinsgut*, in *Aurifodinâ Biblicâ*, Stralsund. 1671. (in 4to.) (9) meminit *Georgium Dor(s)chaum* etiam comparasse *Indicem Scriptorum* in *Scripturam*, post ejus obitum sub *titulo Bibliorum numeratorum* Francof. in fol. editum. (10) Tandem *Augustum Pfeifferum* in *Criticâ Sacrâ* pag. 184. *seqq.* selectos *Commentatores* indicasse, & denique (11) *Martinum Lippenium*, Con-Rectorem *Gymnasii Lubecensis*, edidisse *Bibliothecam Theologicam*, *Scriptores* in *Scripturam magnò numerò enarrantem*, memorat, simul quid in hoc libro desideret addens. Hos *Auctores* sequitur *Appendix de iis*, qui *Scriptores vernaculos recensuere*, quod præstiterunt *Georgius Draudius* in *Bibliotheca Librorum Germanicorum*; *Paulus Bolduanus* in *Bibliothecâ Theolo-*

gicâ non indiligentèr quidem; ast longè diligentius M. *Henningius Witte*, Gymnaf. Rigenf. Profefl. in *Repertorio Biblico*, an. 1680. & 1690. auctius Rigæ in 4to edito; postremò *Ephraim Pratorius*, Gedanenfis, in *Bibliothecâ Homileticâ*, Dantifci 1690. & Lipf. 1698. in lucem emiffâ. (in 4to.)

Die 5. Jul. Præfes *Brandanus Henric. Gebhardi*, S. Theol. & Ling. D. & Prof. P. O. ut & Respondens *Henricus Splib*, Stralfundenfis, de quæftione, *an Sextiduum sex ætates mundi, Sabbathum Chiliafimum præfiguravit?* disputarunt, occasionem fumentes ex argumento *Peterfenii*, à Sabbatho, & præcurrente illud sextiduo deducto, quo inter alia Chiliafimum probare conatur in Parte II. tractatus, die *Wahrheit des herrlichen Reichs Iefu Christi* inſcripti, pag. 16. feqq. (2. plag. in 4.)

Die 12. Jul. ſub Præſidio *D. Jo. Frid. Mayeri*, aliquoties nobis memorati, *Miscellanea Theologica* publicæ Sententiarum collationi expoſuit *Fridericus Genzke*, Vſedomienſis. (1. pl. in 4.)

Summa eſt hæc : N. 1. Pontificiis novum Lutheri ſæpius ordinem in verſione German. nobis exprobrantibus opponenda propria eorum confeſſio, diviſionem Bibliorum Verſionis vulgatæ in Capita non eſſe authenticam, & obrepere potuiſſe vitium ſejungendo quæ ad caput præcedens pertinebant. N. 2. Argumentum *Malleti* in *lib. de Lect. Script. prohibitionem* ab Evangelio Barnabæ petiſſe, quod ſc. Evangelium Matthæi potius ſecum contumulari, quam in manus hominum venire voluerit, non meretur confutationem. N. 3. *Hieronymi Columbi* hypotheſis, majorem Beatorum ac Damnatorum futurum numerum, contrariatur verbis Chriſti Matth. XX, 16. N. 4. Definitum Damnatorum numerū, ſcilicet nonaginta novem ſeu centum mille hominum, quem vult *Leonb. Leſſus*, nos ignoramus. N. 5. *Luxuriam Spiritualem* rectè *Scotus* dixit immoderatum iſtud adverſus diſciplinam ſtudium, quæ non niſi ad ſuperiorem referri debet, quæ fuit in *Franciſco Philelpho* erga græcas literas. N. 6. Imprudenter à Pontificiis Chriſto Salvatori noſtro tituli Monachiales

hachales adscribuntur, dum ab iis vocatur *Prior* vel *Abbas* in Collegio Apostolorum. N. 7. Detestanda est arrogantiâ *Claudii Salmasii*, asserentis, datâ occasione sese omnibus eruditibus opponere nequaquam se dubitare. *U.* Epitaphium *Salmasie* scriptum, sortem humanam & felicitatis æternæ lucem intelligens, quis non excretur?

GEDANI

In Athenæo

Sub Præsidio M. *Christiani Sabmii*, Mathem. Prof. Publ. & Rect. Joh. de *Transitu Israelitarum per Mare rubrum* d. 12. Jan. disputabat *Leonardus Gebauerus*, Silesius. (in 4. pl. 2½)

Dissertationis §. 1. confirmat Israëlitas transitum celebrasse per Mare rubrum. §. 2. describit terminum ex quo ingressi sint, nempe ex littore Ægyptiaco maximè Boreali. §. 3. Terminum ad quem pervenerint egressi ex Mari rubro exponit, qui fuit Arabici littoris pars Mara Septentrionalior, transmissò medio ipsius maris rubri, quod illo loco sequimilliarum Germanico non videtur esse latius. §. 4. Ventilat quæstionem, annon potuerit naturæ viribus refruere aqua maris rubri, ut Israëlitis iter concederetur? & respondetur, quoniam negari nequeat fluxum & refluxum in mari rubro dari, & quidem magnum, eum tamen non potuisse medium fundum maris denudare aquis. §. 5. Ostendit, nec ventum causam naturalem denudati aquis fundi extitisse. §. 6. Non plures, sed unam tantum per mare rubrum viam apertam fuisse Israëlitis demonstrat.

Die 20. Jul. sub Moderamine *Christophori Behrii*, Eloqv. Prof. P. solennibus Orationibus valedicebant duo fratres, *Joachimus Jacobus*, & *Johannes Georgius Schraderi*, *Gedanenses*: ille quidem de *variâ Principum illustrium fortunâ*; hic autem super quæstionem: *Qualis esse debeat aulicus*. Præmittebantur gemina Programmata, quorum primum commentabatur in Taciti verba: *Quo pluribus munimentis insisteret*, Ann.

l. i. c. 4. n. 7. alterum verò cum argumento declamantis conveniebat. (2 pl. in 4.)

Die 27. Jul. M. *Gabriel Groddeck*, Philos. Profess. P. & Bibliothecarius, ex Historiâ literariâ disputando excutiebat *Observationum Triadem*, (1.) *de Scriptis Antonii Galatei*. (2.) *de Christoph. Helvici Systemate Chronologico*. (3.) *de libro Tobia*, Respondente *Dieterico Valentiner*, Flensb. Holf. (1. pl. in 4to.)

REGIOMONTI

Die 6. Jul. *Johannes Gottsched*, Phil. & Med. D. hujusque Extraord. Phys. Ord. P. P. Dissertationum Physiologicarum *de athere & aëre, eorumque in corpus humanum & ejus humores vitæ operationibus in specie secundam habuit*, Respondente *Joh. Georgio Weyandt*, Bausca Curon. (4½ plag. in 4to.)

Die 7. Jul. *Idem Praeses* Dissertationum Physiologicarum *de Circulatione Humorum*, ex fundamentis Hydraulicæ Mechanicis, secundam *de Circulatione Chyli* ventilavit, Respondente *Michaële Sieffert*, Elb. Pruffo.

Die 11. Jul. *Natalem S. Reg. Majest. in Prussia* celebravit *M. Michael Schreiber*, Eloqv. & Histor. P. P. & Bibliothec. Wallenrod. Præcesserat Programma *de more singula quinquennia Imperatorum solenniter celebrandi*. Oratio ipsa cum recensione præcipuarum rerum à Rege hoc anno gestarum, tum gratulatione ob accessionem aliquot ditionum Ipsius Imperio factam, constabat.

Die 13. Jul. Præsides *Bernhardo von Sanden* / Jun. Decadem Thesium Controversarum ex loco de *Novissimis* selectarum, ad disput. proposuit *Johannes Schulz* / Catenaviâ-Insterb. Pruffus. (3. plag.)

Die 14. Jul. M. *Michael Schreiber*, paulo ante memoratus Disputationem habuit Respond. *Gustav. Ernesto*, Lib. Barone à *Kütitz*, *de Concordia Imperii & libertatis*. (plag. 3½)

Hic §. 1. & 2. enodatur vocabulum Imperii & libertatis, hujus

hujusqve divisio observatur, quæ in libertatem contradictionis, & libertatem à coactione, communiter dispescitur. Deinde adducuntur rationes dubitandi, utrum Imperium inter & libertatem detur concordia? Prima deprompta est ab opinione plurimorum contraria, §. 3. & 4. Secunda, à differentia inter Democratiam & Monarchiam, §. 5. Ad quas rationes respondetur, concedendo, quod non cum quovis Imperio singulari stare possit libertas, videlicet non cum tyrannico, §. 6. non cum dominatu, §. 7. sed cum Regno, primario sic dicto; quod in quo consistat, §. 8. & 9. determinatur. Inde evincitur, quod hic libertas obtineat contradictionis; cujus natura ostenditur, nimirum quod non consistat in licentia quidvis agendi, §. 10. 11. 12; sed in facultate agendi secundum rectam rationem, §. 13. 14. hancque vel maxime in Regno dari & intendi docet. §. 15. Probatur postea hic quoque inveniri libertatem à coactione, §. 16. 17. 18. Quomodo hoc dici queat, ut dominium eminens, potestas indicendi tributa & vectigalia simul admittatur, hoc §. 19. & sequens patefit. Concluditur tota materia testimoniis Politicorum.

Die 19. Jul. M. *Reinholdus Stiirmer*, Regiom. Pruffus Dissertationem moralem priorem, de *Cade propriâ*, publicè ventilavit, Respondente *Job. Georgio Nicolai*, Regiomont. Pruffo. (Plag. 3 $\frac{1}{2}$.)

In cujus §. 1. indicatur, per eadem propriam id intelligi, quod Græcis *αὐτοχρησία* dicitur, sive tale factum, quod quis proprio ausu atque arbitrio sibi mortem consciscit. §. 2. Varia propicidarum exempla adducuntur, qui ex variis causis manus violentas sibi intulerunt; tandem disquiritur: utrum Aristoteles fuerit *αὐτόχρησ*? quod negatur. §. 3. Descenditur ad cædis propriæ defensores, inter quos primò locò nominantur Stoici, quorum sententia explicatur. §. 4. Inter *αὐτοχρησίας* assertores collocantur Indorum Philosophi aggressiores, itemque Plato, Diogenes Cynicus, Plutarchus, Plinius,

nus, præter Philosophos variæ gentes allegantur, à quibus cædes propria approbata. §. 5. Adducuntur varia testimonia eorum, qui cædem propriam fortitudini adscribunt. §. 6. Rejitur sententia eorum, qui cædem propriam inprimis privatò ausu susceptam approbant, & ejusmodi *αυτοχειριαν* illicitam esse ostenditur sequentibus rationibus (α) quia directe repugnat amoris sui & naturali inclinationi, quâ homo ad sui conservationem fertur, à destructione sui verò naturaliter abhorret. §. 7. (β) quia *αυτοχειρ* homicidium committit, & quidem turpissimum ac crudelissimum. §. 8. (γ) Quia homini non competit in vitam propriam jus ac dominium absolutum, ut eam pro lubitu abrumpere possit, sed tale dominium Deus sibi reservavit. §. 9. (δ) Quia per cædem propriam civitas injuria afficitur, quæ propterea quoque propricidam variis afficit pœnis, quod ex historia deducitur, & tandem justitia harum pœnarum asseritur. §. 10. Refutatur sententia eorum qui *αυτοχειριαν* fortitudinis titulò incrustare audent.

Die 22. Jul. *Idem Praeses* Dissertationem moralem *posteriorem, de Cæde propriâ*, proposuit, Resp. *Daniele Nicolai*, Regiom. Prusso. (3½ plag.)

In hujus Dissertationis §. 11. transitus fit à generalioribus ad casus quosdam specialiores. Et quidem initio considerantur ii, qui ex melancholia aut phrenesi mortem sibi consciscunt, quorum exempla adducuntur, & ipsorum cædem propriam excusandam esse ostenditur, quia mentis impotes sunt, & ex ignorantia agunt. §. 12. Proponitur sententia Hebræorum, qui cædem propriam duplici casu permittunt, α. si quis metuat, vitam suam ludibrio habitum iri in contemptum Dei. β. ne tormentorum magnitudine exagitatus deficere cogatur ab agnita veritate. §. 13. Refutantur Hebræi, & neutro casu cædes propria licita asseritur, non priori, quia nulla lex talem exceptionem permittit, neque exempla Simsonis & Saulis Hebræis patrocinantur, non posteriori, quia non est committendum unum pecca-

peccatum, ut effugiamus alterum. §. 14. Descenditur ad
 fœminas, quæ pro conservanda pudicitia mortem sibi intule-
 runt, quarum exempla ex scriptoribus gentilibus & Christia-
 nis adducuntur. Quinam fœminas has laudent, aut excusent
 & quid pro iis excusandis afferatur ostenditur. §. 15. Nega-
 tur, quod fœminis ob stuprum evitandum se interficere
 liceat, quia per stuprum fœminæ pudicitia animi auferri
 non potest, si ipsa in libidinem non consentiat, adeoque
 stuprum respectu fœminæ patientis est malum molestum, ob
 cuius declinationem malum turpe, quale est *αυτοκαυσία*,
 committere non licet, imò dubium adhuc est, utrum violentus
 stuprator à fœmina occidi possit. Unde laudatur consi-
 lium Anthimi Euphrasiz datum, & quod ejusmodi fœminæ
 non egerint ex ignorantia inculpabili, monstratur. §. 16.
 Adducuntur exempla eorum, qui, ne in hostium potestatem
 pervenirent, se interfecerunt. §. 17. Occasione quorundam
 exemplorum disquiritur, quid sentiendum sit de facto mili-
 tum aut nautarum, qui, ne in potestatem hostium perveniant,
 se una cum navi perdunt, & pulvere tormentario in auras
 elidunt. Rationes in utramque partem tum pro approban-
 do tum pro improbando hoc facto allegantur. §. 18. Sub-
 nequitur propria sententia, & initio distingvitur inter eos, qui
 navem perdunt, se verò mari committunt cum spe probabili
 enatandi, & inter eos, qui se una cum navi perimunt. Priores
 excusantur, quia non intendunt sui interitum, sed potius mor-
 ti se eripere student. Posteriores iterum vel privata vel pu-
 blica auctoritate id faciunt. Illi ab homicidio non sunt im-
 munes, nec factum ipsorum prætextu amoris patriæ, salutis pu-
 blicæ, aut damni hosti inferendi excusari potest. Hi itidem
 per jussa superiorum non excusantur, quia ad innocentem
 occidendum nec jussu Magistratus quisquam obligari potest.
 Hinc quousque jus imperantis in vitam militis se extendat,
 explicatur. §. 19. Denique quæstio movetur: An maleficus
 jussu Magistratus capitalem sententiam in se licitè exequi pos-
 sit? Quod moribus quorundam gentium consentaneum fuisse

ex historia probatur, & tam pro affirmativa quam negativa quæstionis Autores allegantur. §.20. Rationes, pro utraque quæstionis parte adducuntur, & tandem negativa defendenda suscipitur, utpote quam tutiorem quidam ex ipsis contrasentientibus profitentur.

THORVNII

M. Georgius Wendius, Gymnasii Thorun. Rector & Prof. P. de primis Polonorum Nummis argenteis, sive Grossis Pragensibus, duabus Exercitationibus egit, quarum priorem die 17. Maji defendit *Adamus Zemcke* Gedanensis; posteriorem verò mense Junio ventilandam proposuit *Samuel Kephalides*, Neosoliensis Vngarus. (3½ plag. in 4.)

Exercitationum harum Caput 1. agit de Causâ Nummi efficiente atque in Poloniam introducente; *Wenceslao* nimirum secundo, *Przemislai* III. Boh. Regis filio, sæculo XIII. summæ rerum præfecto, cujus numisma ære expressum in fronte utriusque Dissertationis conspicitur. Cap. 2. agit de causâ materiali; puro puto scilicet argento, nihil æris admixtum habente, quod Germani 16. lotonum appellare solent. Cap. 3. agit de Causâ Grossorum Pragensium formali; quæ in proposito numismate hæc est, ut priori latere *Coronam* præferat, cum inscriptione: WENCESLAVS. SECUNDVS. DEL. GRATIA. REX. BOEMIE. In posteriori verò *Leonem* salientem coronatum, & caudâ bifurcatâ conspicuum, cum perigraphæ: GROSSI. PRAGENSES. Caput 4. denique & ultimum agit de Causâ finali, sive usu & eventu Grossorum Pragensium.

REVALIAE.

Excerptum è literis M. Christiani Hoppii, Consistorii Ecclesiastici Regii Revaliensis Assessoris & Notarii.

Evolventi mihi *Nova Literaria Maris Baltici & Septentrionis*, de an. 1700. mens. Sept. sese offert nummus quidam Ducis Magni æri incisus, & ex historiâ illustratus. Hujus generis quum diversa penes me sint numismata, unicum eorum hic depictum B.L. oculis subijcere placet. Hoc autem dum facio,

TAB. VII.



August. 1702.

cio, intermittere non possum quin breviter moneam, non
 quinque præter Rigensem fuisse Episcopatus, uti *Pistorius*, &
 si rectè memini, *Schurtzfleischi* quoque in *Histor. Ensser.* sta-
 tuunt; sed quatuor tantum: Osiliensis enim & Wykiensis uni-
 cum modò constituerunt, quod & *Sam. Conr. Schurtzfleischi* in
Disp. de Ord. Ensser. observatum lego. Wykienses Episcopi pri-
 mum quidem sedem sibi eligebant Lealiæ, templum Cathedra-
 le hodiè in ruderibus jacens habentis; ast postea Pernavi-
 am, & tandem ob motus rusticorum crebriores Hapsaliam
 domicilio sibi delegerunt, ubi & castellum probè munitum
 exstruxere. Hinc factum, ut misso Episcoporum Wykien-
 sium nomine, Hapsaliensium sibi sumserint. Et licet postmo-
 dum non defuerint, qui Osiliam habitatum concedentes Osili-
 enses appellari voluerint; alii tamen Hapsaliæ hæere malue-
 runt, ita ut nunc hic, nunc Arensburgi Sedes fuerit Episcopa-
 lis. Ad Revalienses Episcopos quod attinet, illos in diploma-
 tibus suis modò Revaliensium, modò Estiensium nomen usur-
 passe constat. Notandum tamen non omnem illis paruisse
 Esthoniæ; sed majorem Wyklandiæ, Allentakeni & Jerwe-
 niæ partem, nec non ipsum Episcopale prædium alimentarium
 Borckholm Cœnobii Falkenaviensis Abbatem dominum agno-
 visse, quod & pactio probat juxta quam Episcopo atque Capitulo
 Revaliensi convenit cum dicti Cœnobii Abbate super quibusdã
 litigiosis Borckholmienfium pratis. Quum autem Dux *Magnus*
 Episcopatus Osiliensem, Curoniensem atque Revaliensem nu-
 meratã certã pecuniæ summã redemptos haberet, diversos
 etiam nummos cudi faciebat, & eos omnes, quos mihi hacten-
 us videre licuit, (qui tamen numerum fermè quinqvagenari-
 um attingunt,) uno eodemque typo. Altera enim facies
 Ducis vultum præfert; altera autem exhibet Aquilam, prout
 Tabula adjecta monstrat. Verba quibus hi nummi circum-
 scripti varie ac multimodè leguntur. Alii, Hapsaliæ forsan
 cusi, eam quam nummus hic effigiatus, habent perigraphen,
 (qvalem Nov. Lit. l. c. tradunt, hactenus non vidi) cujus explica-

TAB. VII.

tio omni difficultate carens hæc est: *Moneta nova Hapsaliensis. Magnus Dei gratia Episcopus Osilia, Curonia & Revalia.* Alios aliæ ambiunt inscriptiones, nimirum quosdam ex unâ parte, MO. NO. ARENSBÖRCH, 64.; ex alterâ, MAG. D. G. EPS. OSI. CV. ET. RE. Rursus quibusdam à fronte inscriptum, MA. D. G. EP. OSI. C. E. ER.; a tergo, M. N. ARENSBÖRCH, 65. In quibusdam denique signatum legitur in uno latere, MAG. D. G. EPS. O. C. R. H. N. 64.; in altero, MO. NO. ARENSBURGENS. Illam inscriptionem ita explico: *Moneta nova Arensborchensis, anno 1564. Magnus, Dei Gratia Episcopus Osilia, Curonia & Revalia.* Istam sequenti modo: *Magnus, Dei gratia Episcopus Osilia, Curonia & Revalia.* (Hic errore Cælatoris factum esse suspicor, ut literam E ante R. locarit, quæ tamen sequi eam debuisset, quod collatio cum aliis nummis docet.) *Moneta nova Arensborchensis, anno 1565.* Hanc denique talem in modum interpretor: *Magnus Dei gratia Episcopus Osilia, Curonia, Revalia, Hapsalia, Narva, anno 1564. Moneta nova Arensburchensis.* Episcoporum sedes quidem nunquam fuit Narvæ, utpote quæ ad ditionem Abbatis Cœnobii Falckenaviensis pertinebat; attamen Cœnobio hoc à Russis funditus deleto, Ducem *Magnum* illo titulo jus quoddam sibi fortè acquirere voluisse, & nomen Narvæ vel idèò delegisse autumo, quia urbs illa munitione pariter ac arce clara, Cœnobium verò sæpius dictum in cineribus jacebat. Vnde porro factum sit, ut moneta Hapsaliensi Aquila imprimeretur, non exploratum habeo: Arensburchensibus quidem illa est pro insigni & nota; nequaquam verò Vrbi Hapsaliæ ejusque Episcopis. Præterea & illud noto, quamquam Ducis Magni ætate haud exiguus monetæ numerus Revaliæ signatus sit, me tamen ne ullum quidem Revaliensem nummum, effigie ejus insignem, hactenus vidisse, nec etiam talia numismata, quæ à quoquam Episcopo Revaliensi publicata. Ex his aliisque circumstantiis hanc mihi licebit concipere opinionem, Episcopos modò dictos Jure numismatum cudendorum vel plane caruisse, vel illud non exercuisse. Verum de his forsân alio tempore plura.

HAFNIAE

Haud ita pridem *Sigismundus Wilhelmus Toppius*, Ecclesiae Havniensis Teutonicae ad D. Petri Comminister, spartam, quam unico anni & quod paullulum excurrit, spatio, ornavit, sponte depositam, maturato abitu vacuam reliquit.

KILONII.

Die 4. Junii Pro-Rector & Senatus Academicus publico Programmata 2. plag. in 4. ad anniversarios Honores, Spiritui S. citra errores impietatemque exhibendos, invitarunt.

In illo p. 1. proponitur *Weigelii*, & ejus a seclarum circa locum Joh. XIV, 23. portentosum dogma, quod scilicet *ita supremum Numen ad pios appropinquet, ut horum humana natura in illius divinam commutetur*, argumentum ex 2. Pet. I, 4. quo id roborare contendunt, habetur p. 2. ubi simul Pontificiorum, Socinianorum, Arminianorum erronea sententia indicatur, quod videlicet *Dei tantum gratia & virtus nobis adsit*, nec non Cartesianorum & Reformatorum, *Christum à piis aequè longè distare credentium, ac caelum, cui inclusum illum fingunt, ab hac terrâ*. Ibidem quoque memoratur varia corruptio loci Joh. XIV, 28. Quis ille Paracletus sit, item, quod Simon Magus, Montanus Phryx, Manes, Muhammed, aliique, se eum jactitarint, legitur p. 4. seqq. Pag. 7. seqq. recensetur descriptio Spiritus S. & circa ejus *Personalitatem* error Valentini Schmaltzii, Johannis Crellii, Christophori Sandii, Pauli Samosatani, Praesulis Antiocheni, Photini Galatae, Syrmienisium in Pannoniâ Antistitis, Michaelis Serveti, aliorumque; circa ejus *Divinitatem* error Macedonii, Eunomii Galatae, Praxeae Noëti, Sabellii, Samosatani, Apollinaris, Petri Abailardi, &c. Circa *processionem illius*, & in specie à Filio, error Graecorum Armeniorum, Ruthenorum & Moscorum. Pag. 13. adducitur lemma istud: *Filioque*, quod insciis ineonsultisque Graecis Confessioni Constantinopolitanae inferuerunt Latini, & asseritur Saeculo IX. nondum additam fuisse in Romanâ Ecclesiâ particulam illam; à quo Pontifice autem addita sit, non

determinatur, qvanqvam Vossius judicet, Sergium III. illud additamentum apposuisse. Pag. 15. seq. de Sæculo Spiritus S. aliquid adjicitur.

Die 17. Jun. Præses *Theodorus Dassovius*, Licentiat. Profess. Theologus, & Philologus Ordin. & ad D. Nicolai Pastor Primarius, & Respondens *Claudius Gustavus Nothelffer* / *Livonus*, de *Emphasi Sacrarum vocum, ex veteri Hist. Hebr. repetendâ*, publicè cum aliis colloqvuti sunt. (5½ pl.in.4.)

Commata, quibus explicandis operam impenderunt, sunt XIII. & desumpta ex Psalm. 31, 6. 133, 1. & 2. Es. 49, 16. Mich. 7, 19. Malach. 3, 10. Rom. 7, 14. 1. Cor. 3, 16 & 17. 2. Cor. 4, 7. 1. Pet. 1, 18. 2. Pet. 1, 19. Hebr. 7, 27. c. 9, 14. Apoc. 16, 15.

Die 25. Jun. prodit Differtatio Theologica *Henrici Opitii*, SS. Theol. D. ejusdem Profess. Ordin. qvâ *Messias Cap. LIII. Jesaia scopus unicus esse*, contra *Hug. Grotium* & *Judæos recentiores* demonstratur, habita est Respondente *Josia Henrico Opitio*. (in 4to.)

Argumentum Disputationis hujus est hoc: Textus Jesaianus cohæret à Cap. 52, vers. 13. ad Cap. 53, vers. ultimum, p. 4. Subjectum totius hujus Sectionis est *θεανθρωπος*, quod probatur (1) è Textus cum præcedentibus non minus qvam sequentibus cohærentia, p. 5. seqq. (2.) ex infallibili ac frequentissima Spir. S. de Christo in N. T. expositione, p. 8. (3.) ex auctoritate Christianorum omnium, itemqve antiquorum Judæorum, p. 9. seqq. (4.) ex Contradictentium perpetuâ fluctuatione & collisione, caput hoc vel de Abrahamo, de Mose, Zorobabele, Angelis Ministerii, Messia filio Iosephi, Jeremiâ, Josiâ, Populo Israëlitico, vel deniqve de quovis justo explicantium, p. 15. seqq. Speciatim de Jeremiâ explicavit Anonymus quidam & Grotius, hic refutatur à p. 17 - 23. de Populo Israëlitico, R. Sal. Jarchi, R. Dav. Kimchi, Aben-Esra, Abarbenel, &c. hi refelluntur à p. 30 - 34. Qvi de quovis justo intelligunt, refutantur à p. 34 - 37. (5.) Probatur ex infirmitate contrariarum ratio-

rationum contra expositionem de Messiâ, quæ rationes Objectionibus sex inclusæ refelluntur à p. 37. ad finem.

Die 15. Jul. Præside *Simone Henrico Musao*, D. Institut. nec non Jur. Nat. & Gent. Prof. Ord. Disputationem juridicam, de *Revocatione donationis ob præstitam contra Donatorem ad vocationem*, publicè defendit *Franciscus Johannes Singelman*, Dorpato-Livonus. (4½ plag. in 4.)

In proœmio Dissertationis hujus scopum proponit, qui euj disquirere, *prohibitumne an permissum sit donatario contra donatorem postulare*, & §. 2. dicit probè discernendas has duas quæstiones *num donatario postulatio contra donatorem prohibita? & an suscepta contra donatorem causæ alienæ patrocinio, hic donationem possit à donatario revocare?* §. 3. priorem quæstionem affirmat quidem ex Jure Nat. §. 4. & 5. ex Jur. Civili. §. 6. ex Jure Romano, exinde tamen nondum sequi scribit §. 7. hujusmodi postulationem jure nostro Civili simpliciter prohibitam esse, simulque objectionem quandam solvit. §. 8. nullam legem esse monstrat, quæ ad postulationem contra donatorem omittendam donatarium simpliciter obliget vel expressis verbis, vel per consequentiam, idemque de jure Canonico asserit. §. 9. *Posterioris quæstionis* tractationem orditur, & aliquas Auctorum sententias recenset. §. 10. *Gailium* in affirmatione quæstionis cum *Lauterbachio* consentire probat, atque diversas Auctorum sententias conciliat. §. 11. Ad firmandam communem affirmativam sententiam verba, quæ in *l. ult. C. de revoc. don.* continentur, allegat, eaque §. 12. explicat. §. 13. 14. 15. 16. 17. & 18. sex pro affirmativa adducit argumenta. §. 19. f. objectiones solvit. §. 21. qualis actio hoc in casu debeat institui demonstrat, nempe non realis, sed personalis, & quidem à donatore, non ejus heredibus, adversus donatarium non tertium. Quod donator hac actione solas res non etiam fructus, quos post ingratitude commissam ex illis ante lit. Contest. donatarius percepit, persequatur, §. 22. asserit; item, quod actio hæc perpetua sit, &

fit, & quæſtionem, *ſi ſervitus vel hypotheca à donatario in re donatâ ante donationis revocationem conſtituta ſit, poſt hanc reſolvatur & extingatur?* negat. §.23. Actionem ingrati à reo per exceptiones ſubinde elidi poſſe ſtatuit, quales quatuor recenſet, & hinc §.4. contingere ait quadruplici reſpectu, ut actio memorata, in caſu advocacionis contra donatorem præſtitæ, haut obtineat, videlicet §. 25. (1) reſpectu conditionis vel cauſæ donationis, quæ facta vel ob cauſam futuram, §.26. vel ob præteritam, §.27. vel ob præſentem. §.28. vel favore matrimonii, ſive proprii, ſive alieni, quæ donatio nunquam ex ſola ingratitude niſi cauſa revocanda, vel favore amici, vel Eccleſiæ, vel Civitatis, rei publ. univerſitatis, & denique cujuſvis tertii. §. 29. (2) reſpectu donantis. §. 30. (3.) reſpectu donatarii, tandem etiam §.31. (4.) ratione cauſæ, cujuſ patrociniũ donatarius ſuſcepit. §. 32. addit, donatorem non tantum ob præſtitum contra ſe patrociniũ in cauſis ab auctore memoratis, rem donatam ac traditam condictione *ex l. ult. C. de rev. don.* à donatario repetere, verum etiam actionem ex ſtipulatu per exceptionem ingrati elidere poſſe.

Die 22. Jul. Præſes *Carolus Fridericus Luther* / Med. Doct. & Prof. Publ. & Reſpondens *Chriſtianus Ulricus Schreiber* publicè diſquiſiverunt, *an potus Thee exſiccandi virtute polleat?*
Ob der Thee zehre? (3. plag. in 4.)

Diſquiſitionis hujus Medicæ hoc eſt argumentum: §. 1. de virtute & utilitate Theæ multi ſcripſerunt. §. 2. Innocuum Thee non gaudet tabificâ facultate. §.3. ad proſiſtam quæſtionem enodandam ſe accingit. § 4. Cum in præſentiarum qualitas Medica potus Theæ in contentione verſetur, ſupponitur, ad qualitates tum ſenſibiles tum inſenſibiles conſtituendas, & *Agens* requiri, & *Patiens*. §. 6. utriuſque ratio habetur, & quidem §.7. Subjecti *Patientis* ſeu corporis Humani, quod phyſicè ſpectatum mínimas & inſenſibiles particulas agnoſcit,

agnoscit; sensu autem Anatomico-Medico Elementa ejus dicuntur cunctæ partes sensibiles. §. 7. Primum in partium corporis humani serie locum tenet sanguis. §. 8. Ad imperiendam partibus solidis vitalitatem, & habitus cujuscunque individualis conservationem, ipsius etiam sanguinis vitalitas requiritur, seu status naturalis, & mediocritatem non excedens in quantitate, qualitate & motu. §. 9. De his verba facere hujus non est loci nec instituti. §. 10. Siccitatis notione in genere intelligitur certa perceptio, quam habemus ipsimet in corpore nostro, vel etiam certus effectus, quem deprehendimus in aliis corporibus. §. 11. De sanguine siccitas non nisi improprie prædicari potest. §. 12. Tres sunt modi exsiccationis, quorum duo ex Philosophiâ naturali, tertius autem è Scholâ Medicorum petitus. §. 13. Ad *Agentis*, seu Potus Medicati Theæ examen progreditur: Thea, ut in se est, siccantibus est annumeranda. §. 14. Infusum è Theæ foliis cum aquâ ebulliente paratum, si dilutius & tenuius, juxta jam introductum morem, lubricandi & humectandi qualitatem; si verò crassius & magis saturatum, ratione diversi Tincturæ gradus modò debiliorem, modò validiorem exsiccandi potentiam habet. §. 15. Theæ potus siccantibus adscribendus, (1) propter Calorem in illo potu evidentem, (2) propter virtutem diaphoreticam & sudoriferam, (3) propter Diuresin, seu urinæ excretionem. §. 16. 17. 18. Hæ virtutes Theæ extenuationem corporis non inducunt. §. 19. Eluditur argumentum eorum, qui ob famem subsequenter Theæ tabificam facultatem attribuunt. §. 20. Thea nonnunquam, ut pinguescant, multum juvat. §. 21. Certâ circumspectione utendum est Theâ. §. 22. Inanem is suscepit laborem, qui, ut Theâ laudibus detraheret, illi Epitaphium scripsit, præfixo titulo, *Thea Novissima*.

Die 27. Julii sub Præsidio *Simonis Henr. Musai*, J.C. Institut. Jur. Nat. & Gent. Profess. Ordin. Facultatis Juridicæ h. t. Decani & Acad. Pro-Rectoris, *Theodorus Wolff* / Schlaizâ Variscus, Summi Tribun. Wismar. & Reg. Svec. in Duc. Bremenf.

menf. & Verdenf. Dicafter. Advoc. immatric. pro Licentia summos in utroque Jure honores confequendi, publicæ ventilationi exposuit Differtationem Inauguralem *de Pretio Juris Justiniani facri*, in quâ autoritas ufusve illius in Germaniæ judiciis, ad feriem *Tract. Grönwegii de LL. abrogatis in Belgio* &c. afferitur. (8. plag. in 4.)

In Præfatione Auctor adverfus eos primum agit, qui Juris Justiniani nullum plane ufum esse dicunt. Postea demonstrat, Jus Sacrum Justinianicum tractare ejusque auctoritatem & ufum investigare, non unicè curiositatis opus, sed oppidò necessarium esse. Hinc laborem suum ita aggreditur, ut primò *textum & contenta Legis*, post *Summaria Grönwegiana* præmittat, & his *notata* breviter subjiciat.

Johannus de Vergerio Mercurius Triceps, i. e. de triplici via perveniendi ad Facultatem exponendi, loquendi & componendi Italica, Opus novum lucem publicam vidit. Chiloniæ, sumtibus Johannis Sebastiani Riechelii, & typis Bartholdi Reutheri. 1702. (plag. 16½ in 8.)

Tractatus hujus præfatio, quam *Jo. Burch. Majus*, Eloqv. & Hist. Prof. P. præfixit, Italicæ Lingvæ præ aliis excellentiam probat non solum ex eo, quod elegantissimis abundet sententiarum acuminibus, ingeniosissimisque dictionum translationibus, sed etiam pluribus aliis rationibus, quarum haud postrema est & illa, quòd in aulis Principum, & in Cæsareâ Vindobonensi ea hodiè ferè sola loco Gallicæ usurpetur. Hinc utilius multò in Italiam profectioes institui affirmat, quàm in Galliam; in nullo enim alio Europæ loco majori cum prudentiâ reipublicæ navim gubernari, gubernandæque modum feliciter faciliusque addisci posse quam in Italiâ, quum modica ibi sint imperia, quæ majorem calliditatem circumspeditionemque accuratorem requirant. Exempli loco proponit Rempubl. Venetam & Romanam Curiam, ubi simul addit, quid peregrinos Venetias & Romam invitare possit. In Italiâ porrò urbes præclaras

ras & spectabiles dari meminit, dum commendat Florentiæ pulchritudinem, Neapolis splendorem & amplitudinem, Anconitani portus præstantiam, Cremonensis turris altitudinem, Mantuani palatii magnificentiam, Novæ Palmæ Casaliæque munitionem & propugnacula. Nec etiam varia illa antiquitatum veterisque elegantiae monumenta, quæ passim in Italiâ visuntur plurima, prætermittit, neque Academiam Pataviensem, ut & plurimas quæ ibi habentur doctorum Virorum societates, præstantissimas item Bibliothecas, quæ sunt Romæ, Venetiis, Patavii, Mediolani, Bononiæ, Neapolis, Ferrariæ & Florentiæ. Hæc cum ita sint, egregiè illos scientiis locupletari posse ait, qui majoris cultus capeffendi causâ in Italorum terras commeant. Quid verò è contra peregrinantes è Galliis secum absportent, brevibus quoque attingit. Hòc argumentò ita pertractatò ad Italorum redit linguam, quam valdè utilem esse demonstrat homini politico, quinimò juxta *Caroli IV.* Constitutionem in Aureâ Bullâ Illustrium etiam Principum Electorum filiis, quibus, ut eam discerent vel ea de causâ injunctum, ne interpretibus uti aliisque suam de rebus majoribus sententiam ac consilia aperire necessum habeant. Præterea Italicè scire cupiendum esse dicit, non solum ob cognoscendos egregios eo idiomate de civili scientiâ exaratos libros, quos inter *Nicolai Macchiavelli de Principe* liber, sed etiam ad pernoscendam Italorum in artibus, quas vocamus, humanioribus præstantiam, præcipuè in Epigrammatibus conficiendis & historiis componendis, &c. &c.

PREZAE.

Johannes Polzius, Pastor Primarius Ecclesiæ Prezensis, Concionem funebrem Vernaculam edidit in funere Generosi Viri, *Deslevi Reventlovii*, Ordinis Danebrogici Equitis, S.R.M. Daniæ & Norvegiæ Consilarii intimi, Conferentiae, Statûs & Provincialis, Cœnobiorum generosarum

Virginum Prezensis ac Slesvicensis Præpositi, Domini Hereditarii in *Schmoel / Hohenselde / Colmar / und Quarnebeck /* ex Ebr. IV, 15, 16. die II. Januarii h. a. habitam, cui titulus: *Sieg des Glaubens. &c.* (14. plag. in fol.)

Natus est Hic an. 1654. d. 23. Aug. in nobili prædio *Gutterkamff /* Patre *Detlevo Reventlovio*, Daniae & Norvegiae Regis, CHRISTIANI IV. Gloriosissimi. mem. Consiliario intimo, Cancellario Germanico, & Haderslebiensi ac Romsdahlensi Præfecto. Postquam Kiliae studiorum causâ commoratus esset, Gallos aliosque populos externos adiit. Ab his quum rediret, ann. 1676. conjugium iniit. Hinc primum an. 1680. à CHRISTIANO V. orbis Arctoi Monarchâ, Consiliarius Conferentiae & Status, deinde Provincialis, & postea Cœnobiõrum generosarum Virginum Prezensis ac Slesvicensis Præpositus, tum an. 1693. Ordinis Danebrogici Eqves, & tandem an. 1696. Consiliarius intimus constituebatur. Sed his omnibus honorum & dignitatum titulis an. 1701. d. 4. Novembr. mors illum exiit, quum ageret annum quadragesimum octavum. Ex generosa Viduâ superstitite duos reliquit filios, *Henricum*, Cœnobiõrum generosarum Virginum Slesvicensis Præpositum, & *Detlevum*, nec non totidem filias. Hac occasione meminisse juvat singularis pietatis pariter ac humilitatis utriusque B. *Reventlovii*, Patris & Filii. Horum ille nullatenus passus est, ut aliquis precibus suis interveniret, hinc & factum, ut ipse Rex *Christianus IV.* qui ejus conveniendi causâ quodam tempore venerat, comminus expectare, quam preces ejus interpellare mallet; Hic vero in publico Ecclesiae cœtu una cum aliis in numerum Communicantium receptis uno eodemque tempore Cœnam Domini sumere non erubuit.

HAMBURGI.

Sub Præsidio *Jo. Alberti Fabricii*, SS. Theol. D. Eloqv. & Moral. Prof. Publ. & h. a. Rectoris, Dissertationem *de Hæresi & Moribus Bogomilorum* in Gymnasio Hamburgensi publicè tuitus

tuitus est Auctor & Respondens *Job. Antonius Wincklerus.*

(4. plag. in 4.)

Tria Dissertationis sunt Capita, quorum *Imum* agit de nomine, origine, fati & interitu *Bogomilorum*; *Ildum* tradit eorum *heresim* & *falsa dogmata*, & quidem (α) circa Scripturas, (β) Articulum de Deo, (γ) Creationem, (δ) Baptismum, (ε) Sacram Cœnam, & tandem (ζ) circa Resurrectionem; *Illium* observat *malesanos Bogomilorum mores*, quod cultum videlicet divinum in templis contemserint; omnia, ut delatoribus laterent, fecerint & simulârint; omnibus precationibus posthabitis solâ Oratione Dominicâ, septies in die & quinqvies de nocte, usi sint; ad precandum accedentes sapissimè genua flexerint; à sanctæ crucis signaculo & Orationis Dominicæ clausulâ abhorruerint; die Lunæ, Mercurii & Veneris jejunia celebraverint; his diebus autem præterlapsis comessati sint.

Ex Typographiâ *Wieringianâ* prodiit *Gothofredi Barwassers*/S.S. Theol. Stud. *Novum Multiplicationis & Divisionis Arithmetica Compendium*, i. e. *Neue Rechnungs-Art*/dadurch die Multiplication in die Addition, und die Division in die Subtraction, oder nach Gelegenheit in die Addition und Subtraction verwandelt / ohne die mühsame Weitläufftigkeit / welche bey dem bissher gebräuchlichen *Zinnahl Zins* unvermeidlich / sehr leicht und mit grôster Behendigkeit / auch viel sicherer und gewisser / oder sonder so leicht einen Irrthum zu begehen / als durch die schon bekanten Arten / können verrichtet werden / nebst einer Anweisung / wie das Büchlein zu gebrauchen &c. (5. plag. in 12. oblong.)

Luci publicæ etiam exposita est Relatio illius, quod Reverend. Ministerium Hamburgense inter & Johannem Diecken / S. Theol. Studiosum, oculorum lumine orbatum, actum est de licentiâ concionandi, antea quidem promissâ, postmodum autem denegatâ. Germanicus titulus ita se habet: Kurze und warhafftige zur Befriedigung des Gewissens abzielende Relation und Nachricht dessen / was zwischen Einem Hoch-Ehrw. Ministerio in Hamburg / und Johann Diecken / S. Theol. Stud.

vorgefallen; Betreffend die ehmahls theurst-versprochene / hernachmahls aber abgeschlagene Licence oder Vergünstigung zu predigen. (1. plag. in 4.)

In hoc Scripto narrat Auctor, concionandi licentiam sibi denegari, quia (1.) ad concionandum non sit idoneus, (2.) Gravidis etiam exinde evenire possit periculum, nec (3.) Schedulas evcheticas (die Zetteln) legere queat, & tandem (4.) quia singulare Dei mandatum de Sacerdotum V. T. nævis habeatur Lev. XXI, 16-24. Ad has rationes contrarias postquam respondit, in primis duo argumenta, conscientiam suam stimulantia ad licentiam modò dictam urgendam, affert; alterum desumit ex verbis Christi, Matth. XX, 6; alterum autem ab aliorum exemplo. Tandem se informationem petere ait, quo conscientia suæ tranquillitati consulatur.

LVBECAE.

Sumtibus *Petri Böckmanni* prodiit *Johannis Mölleri*, Flensburgensis, Scholæ Patriæ Rectoris, *Diatriba de Helmoldo*, *Presbytero in Wagriâ Bosoviensi*, Historico Sæculi Æræ Chr. XII. incluto, ejusque *Chronico Slavorum*, & hujus Continuatoribus atque Editoribus. Lubecæ 1702. (5½ plag. in 4.)

Hujus Diatribæ §. 1. Scriptionis occasionem proponit. §. 2. Observat, quomodo nomen *Helmoldi* à Scriptoribus variis, antiqvis pariter ac recentioribus, depravatum sit. §. 3. Eum Scriptoribus Cimbriæ indigenis accenset, atque S. *Vicelini*, Episcopi Aldenburgerensis, & *Geroldi* discipulum, *Bosoviensis* Ecclesiæ, ad Lacum *Plönensem*, Ministrum, non autem Presbyterum *Wagiensem*, nec *Canonicum Buzoviensem*, nec *Butsoniensem* vel *Batsoniensem*, nec Presbyterum *Lubecensem* & *Canonicum Bosoviensem*, nec denique Episcopum *Ratzeburgensem* fuisse scribit. §. 4. Quomodo Christianismi semina inter *Wagrios* spargere studuerit, narrat. §. 5. Tempus, quando vixerit, definit, de anno emortuali cum *Henr. Bangerto* aliisque nihil certi statuens. §. 6. Ejus libri, *Chronici* nempe *Slavorum*, hortatu *Geroldi* scripti,

Scripti, itemqve temporis quo concinnare cœptum, meminit. §. 7. Scriptionis finis primarii, & divisionis *Chronici* mentionem facit. §. 8. agit de primâ *Chronici* hujus à *Sigism. Schorckelio* Francof. ad Moen. ann. 1556. (in 4to.) & 1573. factâ editione. §. 9. de *Reineccianâ*, Francof. 1681. (in fol.) longè emendatiori & pleniori. §. 10. Editionem *Helmoldi ac Arnoldi* per Decretum Sacræ Congregationis, die. 4. Februarii anno 1627. promulgatum, legi vetitam esse dicit, ac censuras quorundam Pontificiorum iniquas de editione *Schorckelianâ & Reineccianâ* affert. §. 11. Defectum editionis *Reineccianæ* attingit, quem seorsim anno 1609. in *Scriptorum de Rebus Germanicis Septentrionalibus Syntagmate*, Francof. (in fol.) publicato, supplevisse *Erpoldum Lindebrogium*, §. 12. & hoc supplementum, cum mendosè editum esset, emendatius denuò anno 1624. seorsim publicatum fuisse ait ab *Henr. Meibomio*, Seniore. §. 13. f. Editionem *Bangerinam* considerat, quæ Lubecæ anno 1659. (in 4to.) prodiit. Hujus Curriculum vitæ brevibus etiam proponit, addens simul judicia tum aliorum, tum suum de *Henrico Bangero*, ejusque labore, *Helmoldo atq; Arnoldo* impenso. §. 15. Codicibus *Chronici Helmoldino-Arnoldini* Manuscriptis, *Lubecensi* videlicet, *Diestelmeieriano*, *Stetinesi*, *Ranzoviano* & *Böckeliano* adjungit *Hafniensem* Bibliothecæ Academicæ, & *Gottorpiensem*. §. 16. Docet, cur Viri eruditi *Helmoldum* certatim edendum, emendandum, ac illustrandum sibi sumserint? porrò apponit laudes illi à Scriptoribus in Studio Historico versatissimis tributas, & quidem §. 17. ab *Arnoldo*, Abbate Lubecensi, §. 18. à *Presbytero Diœceseos Bremensis Anonymo*, §. 19. ab *Alberto Krantzio*, §. 20. à *Matthiâ Flacio*, Illyrico, *Job. Wolfio*, §. 21. à *Gerb. Job. Vöffio*, *Henr. Meibomio*, Sen. *Hermanno Conringio*, *Casp. Sagittario*, *Job. Henr. Bœclero*, *Casp. Danckwerthio*, *Henrico Meibomio*, Jun. *Henr. Bangero*, §. 22. à *Conr. Sam. Schurtzfeischio*, *Mich. Hertzio*, *Jacobo à Mellen*, denique à *Gotfr. Arnoldo*. §. 23. f. Ea, quæ obelo nonnulli in *Helmoldo* notarunt, à sinistra interpretatione vindicat. §. 26. Lectores, de Auctore citato plura scire qui desiderant, ad alios

lios remittit Scriptores. Hinc pergit dicere de Chronici Helmoldini *Continuatoribus*, & quidem §. 27. de *Arnoldo*, cujus vitam describit. §. 28. meminit quo dictionis genere, & quâ methodo usus sit. §. 29. ostendit Supplementi *Arnoldini* jam Sæculo XVto æstimium, item §. 30. quater illud esse editum, nec non editionum illarum historiam. §. 31. sistit Encomiastis *Arnoldi* ejusque *Supplementi*, nempe *Henr. Meibomium*, *Sen. Gerb. Job. Vössium*, *Job. Ern. Gerbardum*, *Petrum Lambecium*, *Henr. Bangertum*, *Conr. Sam. Schurtzfeischium*, & *Jac. à Mellen*. §. 32. monet, quod in Supplemento *Arnoldino* quædam desiderent eruditi. §. 33. Auctores illos, de *Arnoldo* plura habentes, recenset. §. 34. de *Anonymo, Dioeceseos Bremensis Presbytero*, agit, & §. 35-38. hujus *Historiam Continuationis Chronici Slavorum Helmoldi* exhibet. §. 39. Aliam fictitiam & editione haud satis dignam adducit. §. 40. Errorem *Joach. Molleri* taxat, & Epilogum subjungit.

Mense Februario c. a. pag. 55. dedimus descriptionem & effigiem *Vermis Hannoveræ* per alvum ægræ foeminæ excreti. Super singulari hoc casu in Academia Hallensi die 28. April. *Job. Jacobus Stangius*, Servestâ-Anhaltinus, Disquisitionem Medicam pro Doctoris dignitate impetrandâ instituit, quæ sub hoc titulo prodiit: *Curiosa Pulli Gallinacei in foemina Cachecticâ formati Historia*. In ipsa Disquisitione Auctor curiosum hunc foetum non vermem sed pullum gallinaceum fuisse probat, qui ortum suum traxerit ex gallinæ ovo, eoque exiguo, nondum parto atque incocto, qualia ex gallinis & avibus depromuntur exenteratis. Hoc ovum autem ab ægrâ simul cum lacte deglutitum atque per œsophagum ad intestinorum ductum detrusum esse, ibique non tam in ipso ventriculo, (quoniam ægræ propinata medicamenta proventum & genituram hujus animalis potius invertendo destruxissent,) quam circa initium intestinorum crassorum, & quidem valvulæ conniventi colli adhæsisse, & in eo loco pullum exclusum sensim incrementem signatam molem acquisivisse statuit.

NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Septembri MDCCII.

GVSTROVII.

Typis Lembkianis impressa exstat Oratio illa, quam habuit *Joachim. Otto*, Rect. Gymnas. Güstrov. de *Fatis Güstrovii benignis sub Principibus suis*, occasione Recuperationis Ducatus Güstroviensis à Serenissimo Principe FRIDERICO WILHELMO, d.9. Maji, An. 1701. successione jure factæ. (3. plag. in fol.)

ROSTOCHII

Die 5. Aug. Moderatore *Joh. Nic. Quistorpio*, SS. Th. D. ejusdemque P. P. nec non Pastore Nicol. & Minist. Rostoch. Directore, h. t. Facultatis suæ Decano. Collegii Schomeriani sæpius superioribus mensibus memorati de *novissimis Controversiis Theologicis Disputationem septimam*, Cap. X. de *libero Arbitrio*, & Cap. XI. de *Christo* sistentem, publicè ventilandam proposuerunt Præses *M. Henr. Ascan. Engelke* / Rostoch. SS. Theol. Cand. & Respondens *Petrus Volckman* / Crivitz Mecklenb. (2½ plag. in 4)

Die 12. Aug. Præses *Caspar. Matth. Müller*. V. J. D. ac Inst. Imperial. Profess. Ducalis, Disputationem Juridicam de *Demonstratione Autoris in delictis*, Respondente *Johanne Mülller* / Lubecensi, habuit. (5. plag. in 4.)

Argumentum est hoc : Cap. I. *Generalia exhibentis* §. 1. Cur onomatologia præmittenda ? §. 2. Vocabulum autoris ex græco sermone descendit. §. 3. Variæ Vocabuli Autoris sunt acceptiones. §. 4. Demonstratio hic est nihil aliud, quam ostensio vel nominatio autoris. §. 5. Demonstratio autoris etiam fit in contractibus, & ad hanc demonstrationem requiruntur,

ut nominans autorem (1) rem nudè detineat, adeoque nullum in re jus prætendat, (2) ut nominatio fiat ante lit. contest. imò statim in primo termino. Delictum quid sit? Est vel publicum, vel privatum. In utroque locum habet demonstratio auctoris. *Cap. II. de Demonstratione Auctoris animo se liberandi facta*

§. 1. Furtum est contrectatio fraudulosa lucrificandi gratia vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve. Ad furtum requiritur dolus malus. Furtum dividitur in manifestum & nec manifestum. Hujus distinctionis hodiernum superest usus. Furtum jure Romano dividitur in conceptum, oblatum, prohibitum & non exhibitum. Quomodo requisitio rei furtivæ in ædibus alienis facta fuit? Hæc requisitio non facillè concedenda. Ad illam requiruntur (1) publica magistratus autoritas, (2) certa indicia, aut suspicio contra aliquem. §. 2. Ut inventio rei furtivæ inducat suspicionem furti, attendenda est (a) personæ, apud quam inventa, qvalitas, (β) considerandum ubi res furtiva inveniatur. §. 3. Ut is, apud quem res furtiva inventa est, torqueri possit, requiritur, ut (1) sit vir suspectus, (2) ut autorem suum nominare nequeat. Suspectum faciunt (α) vita antea facta & fama, (β) nomen malum, mala Physiognomia, natio infamis, (γ) si quis clam à fure rem furtivam emerit, idque sæpius & vili pretio, (δ) domesticitas. Vir bonæ & integræ famæ autorem suum nominare debet. §. 4. Quid si is, apud quem res inventa, ab ignoto se eam emisse dixerit? §. 5. Qui ignoranter rem à fure emit demonstrando autorem liberatur à torturâ & omni pœnâ; qui autem sciens rem furtivam emit, demonstrando auctorem non simpliciter liberatur, sed reus furti est. §. 6. Qui rem furtivam emit, pretium non recipit, etiam si bonâ fide emerit. Nec protestatio hic quicquam juvat. Datur tamen emptori contra venditorem regressus. §. 7. Injuria est delictum privatum dolo malo in alterius contumeliam admissum. Ab animo injuriando non excusat auctoris demonstratio. §. 8. Judex obligatur in delictum inquirere, non tamen sine indiciis. Denunciatio indicium ad inquisitionem facit, si continet (1) expressionem delicti, (2) nomen denunciantis. §. 9. Ad incarcerationem non deve-

deveniendum sine indiciis. Ad solam petitionem accusatoris nemo incarcerandus. §. 10. Judex injustè incarcerans injuriarum tenetur. §. 11. Qui libellum famosum divulgavit, ei demonstratio auctoris non prodest. §. 12. Qui injurias propalat ad palinodiam condemnatur. §. 13. Certis casibus, qui injurias propalavit, excusatur. §. 14. Crimen læsæ Majestatis est duplex. Crimen falsæ monetæ variè committitur. Pœna ejus qui falsam monetam sciens & dolo malo expendit, est ignis; jure Saxonico autem fustigatio & relegatio. Illi, qui sciens & dolo malo in præjudicium aliorum monetam falsam expendit, etiamsi autorem demonstrare velit, pœna mitiganda non est. §. 15. Falsum est delictum publicum, quo in alterius præjudicium veritas dolosè immutatur. Falsum committit etiam is, qui falsis instrumentis utitur. Liberatur à pœnâ si autorem nominare possit. §. 16. Hoc extenditur ad eum qui falsis ponderibus est usus. *Cap. III. de nominatione auctoris animo alium simul onerandi facta* §. 1. Plus est mandare quam consulere. Ex consilio nulla nascitur obligatio. §. 2. Consilium instructorium in furto gravat consulentem. §. 3. Qui consilium furandi dedit, ab omni pœnâ neutiqvam liberatur, secus si id ante commissum delictum revocat. §. 4. Mandatum est contractus consensualis de negotio aliquo licito & honesto gratis expediendo. Rei turpis non contrahitur mandatum. Mandans & mandatarius eadem pœna digni sunt. §. 5. Hoc quando procedat? De homicidio à mandatario commissio tenetur qui occidi expressè prohibuit. De homicidio non tenetur, qui aliam tantum dari jussit. §. 6. Quando mandatario pœna mitigetur. Regula, quod mandans & mandatarius eadem pœnâ digni sint, declaratur (1) exemplo homicidii. In assassinio mandatarius gravius punitur, quam mandans. §. 7. (2) Exemplo diffidationis. (3) Exemplo incendii. Qui magicis artibus alterum occidit, capite plectitur. Idem in eo cujus mandato factum. §. 8. Auctoris & simul socii nominatio legitimè facta indicium est ad torturam. Testi non creditur, nisi dicti sui rationem red-

dere possit exsensu desumptam corporeo apto illi rei de quâ agitur. Sagæ confessio, quod quendam viderit in monte Bructerorum, nihil operatur. §. 9. Ad nominationem auctoris legitime factam requiritur (1) ut fiat ad interrogationem judicis, §. 10. (2) ut iudex de omnibus circumstantiis interroget, (3) ut hæc nominatio fiat absque affectu, (4) ut in nominatum cadat ejusmodi delicti suspicio, tandem (5) ut nominans in nominatione & demonstratione auctoris & socii criminis perseveret.

Die 19. Aug. Moderante Jo. Petro Grunenberg/SS. Theol. D. & P. P. nec non Consiliario Consistoriali, & Distr. Mecklenburgici Superintendente, Collegii paulo ante laudati Disputatio *Octava*, sistens ex Cap. XI. doctrinam de officio Christi specialius, nec non de Statibus Christi, & Cap. XII. de Prædestinatione & Gratiâ, ventilata est à Præside M. Henr. Ascanio Engelke/ jam memorato, & Respondente Joach. Vric. Passow. Mecklenb. (2½ plag. in 4.)

Die 26. Aug. sub Præsidio Jo. Fechtii, SS. Theol. D. P. P. Consist. Ducal. Assessoris, nec non Distr. Rostoch. Superintendentis, Meletema Theologicum de Veritate Cœlesti, publicè defendendum fuit Autor & Respondens Dietericus Hermannus Kemmerich, Palæo-Marchicus, S. Theol. & Philos Studiosus. (9½ plag. in 4.)

In proæmio postquam de Veritatis præstantiâ dixit Auctor, se operam omnem ab initio in tria distribuisse Capita affirmat, quorum prius scilicet agere debuerit de Veritatis cœlestis natura, secundum, de ejusdem signis, & tertium deniq; de Mediis Veritatis Cœlestis. Sed cum ita in nimiam magnitudinem excrevisset opus, solum ergò primum exhibet Caput. Hujus *Sectio I.* est *Didascalica*, investigans *Onomatologiam* & *Pragmatologiam*. Et hæc iterum Veritatis Cœlestis Definitionem, Formam, Materiam, Caussas, Finem, nec non Principium & Conclusiones ac tandem oppositum ejus considerat. *Sectio II.* est *Elenctica*, & hic

& hic inprimis agit contra *Ennonem Rudolph. Brenneysenum*, J. V. L. Advoc. Gen. Ostfrif. aliosqve Indifferentistas.

Die 30. Aug. sub Moderamine *Andr. Danielis Habichhorstii*, S. Theol. D. ejusdemqve P. P. & Consiliarii Consistorialis, Collegiiqve Ducalis & Facultatis Theol. nec non totius Acad. Senioris, semel iterumqve paulo ante dicti Collegii Schomeriani Disputationem *nonam*, Cap. XIII. & XIV. de *Fide, Justificatione & Bonis Operibus* sistentem, censuræ publicæ submiserunt Præses *M. Henr. Ascan. Engelke* / Rostoch. SS. Theol. Cand. & Respondens *Christianus Dreyer* / Rostoch. (2½ plag. in 4.)

GINGESTAE in RVGIA.

Die 5. Julii terræ mandabatur *M. Augustinus Lemmius*, Pastor & Præpositus Gingstensium. Natus ille est Patre *Christophoro Lemmio*, Circuli Posericensis Seniore, qvi qvinque Septimanarum intervallo amisit tres Filios, *Augustinum*, modò nominatum, *Georgium Christophorum*, Ecclesiæ Nicolaitanæ apud Stralsfundenses Archi-Diaconum, Philosophiæ Magistrum, d. 10. April. c. a. denatum, & *Johannem*, itemqve *Nurum*, nec non tres Affines. Obiit anno ætatis quadragesimo, ex Coniuge simul cum eo, vel paucis modò ante illum horis, mortua, qvinqueqve liberos relinqvens.

STRALESVNDÆ

E Typographiâ Heredum Mederianorum prodiit *Concio Funebri* à *M. Georg. Christoph. Lemmio*, Ecclesiæ Nicolaitanæ Archi-Diacono, *ῥῦν ἐν ἀγίοις*, d. 7. Decembr. an. 1701. in funere *Mariæ Bucsim* / Viduæ *Pütteriane*, ex Rom. VIII, 38. 39. habita. (12. plag. in fol.)

Porro: *Oda Gratulatoria*, quæ personuit in *Jubileo Gamico*, à *Christiano Spalchaver* / Pastore Wykiensi, nec non Wittaviensis atqve Jasmundensis Circuli Præposito, cum uxore *Anna Berens* / post 50. annorum Coniugium, celebrato. (1. plag. in fol.) (Similia Jubilæi Gamici exempla Nov. Lit. 1700, & 1701. p. 382. suppeditant.)

Die 23. August. Præside Rectore Acad. D. Jo. Frid. Mayero, S. Theol. Prof. Prim. Facult. Theol. Decano, Vniversitatis Pro-Cancellario, Consist. Regii Præside & Superint. Generali, *Bibliothecam Biblicam*, complectentem qui perpetuos in Scripturam S. Cõmentarios scripserunt ex Pontificiorum Ordine, publicè exhibuit *Johannes Krügerus*, Dorpato-Livonus. (2. plag. in 4.)

Num. I. monstrat, quare neglectis Patribus à Sæculo demum nono, & quidem à *Rabano Mauro* ordiatur. *Num. II.* sistit *Anselmum Laudunensem*, qui auctor esse perhibetur *Glossæ Interlinearis* in univèrsa Biblia, item *Strabum Fuldensem*, auctorem *Glossæ ordinariæ*. *Num. III.* *Dionysium de Leevis*, ejusque *Commentarios in universos Scripturæ libros*, Voluminibus VII. in fol. constantes, Colon. an. 1533. excusos. *Num. IV.* *Hugonem Victorinum*, s. de S. Victore. *Num. V.* *Nicolaum de Lyra*, qui universam S. Scripturam Postillis perpetuis, seu brevibus ad literam Commentariis, aliisque prolixioribus moralibus illustravit, & *Paulum de S. Maria*, à quo notabiles additiones ad Lyrani postillas sunt scriptæ, nec non *Matthæum Doring*, qui replicas contra Paulum Burgensem s. de S. Maria in lucem emisit. *Num. VI.* exhibet *Biblia Glossata Duacensia*. *Num. VII.* adducit *Isidorum Clarium Brixianum*, qui in totum Bibliorum corpus Scholia composuit. *Num. VIII.* *Joannem Benedictum*, qui Scholia ex Sanctis ac vetustis Patribus nominatim citatis collegit in univèrsam Scripturam, eaque adjecit vulgatæ Bibliorum editioni à se recognitæ obeliscis & asteriscis distinctæ. Paris. 1541. *Num. IX.* profert *Thomam de Vio Cajetanum*, cujus Commentarii in omnes libros Biblicos, exceptis Cantico Canticorum, Prophetis, (nisi quod tria priora Esiæ Capita illustravit) & Apocalypsi, exstant. *Num. X.* denique *Thomam Malvendam*, qui per septennium in novâ Scripturæ Versione ad verbum Com-

Commentariisqve concinnandis laboravit, in quibus tamen per fata non licuit ei ultra XVI. Cap. Ezech. pervenire.

Die 27. Aug. Rector & Senatus Vniversitatis Gryphiswaldensis *Programma* ediderunt, quò promulgabatur, quòd juxta Illustriss. *Regiminis Sedinensis* de 26. Jul. c.a. Decretum, ad tenorem Rescripti Regis Augustissimi, CAROLI XII. propè Varsaviam Polonorum in Castris, d. 20. Maji dati, conceptum, Civibus Acad. Gryphicæ à Duellis atqve Dimicationibus non abstinendum sit modo, sed quòd etiam illi, qui ex aliis Academiis, eò quòd cum Commilitonibus suis manus conseruerunt, relegati & proscripti sunt, à Musarum Gryphicarum consortio in omnem ætatem sint excludendi. (Similis Programmatiss in Acad. Regiomontanâ promulgati suprà Mense Julio p. 196. mentionem fecimus.)

Sub Præsidio *Brandani Henr. Gebhardi*, Sacrarum Literarum D. ac P.P. Facultatis Philos. h. t. Decani, Disputationem Philologicam, exhibentem *Vsum Cabbala* in tria Capita priora Genes. publico examini stitit *Francisc. Wischmannus*, Dondanga Curonus. (2½ plag. in 4.)

GEDANI

Die 3. Aug. D. *Samuel Friedericus Willenberg* / Juris & Histor. Prof. P. & Inspector, disputabat de *dubis Juramentorum formulis*, Resp. *Gottliebo Schelgwigio*, Gedan. (1½ pl. in 4.)

Summa hæc est: §. 1. Veritas ac fides juramento firmatur. §. 2. Etymologia vocis Juramenti, & realis ejus definitio. §. 3. An jurare licitum? §. 4. An verbis opus ad juramentum? §. 5. Ejus forma substantialis est Invocatio DEI. §. 6. Forma juramenti accidentalis. §. 7. Quare solennitates externæ ad illud requirantur. §. 8. Ad cujus religionem formula juramenti accommodanda. §. 9. Formula juramentorum certa vel dubia. §. 10. An inferant juramentum Verba: *Ego juro?* §. 11. An illa: *Hoc faciam, Deus me adjuvet?* §. 12. An verba per animæ salutem dicta? §. 13. An assertio per Evangelia. §. 14. An quæ loco

loco juramenti facta? §.15. An per verbum æternæ veritatis? §.16. An aliæ graves assertiones? §.17. An si personæ illustres promiserint. sub fide? §.18. An per creaturas jurare liceat? §.19. An per salutem Principis. §.20. Per Genium Principis jurare prohibitum. §.21. An si per falsos DEos juratum, sit verum juramentum? §.22. An gentilem ita jurantem Christianus admittere possit? §.23. Qvæ verba non inferant juramentum? §.24. Effectus juramenti. §.25. Contra illud opus relaxatione. §.26. Maledicta non sunt impunia.

M. Friedericus Christianus Bücherus, ad D. Catharinæ Ecclesiastes, D. J. W. Zieroldi crassis calumniis, quibus præcipuè doctrinam nostram de *notitiâ spirituali irrogenitorum* seu impiorum, & *fide justificâ* in præfat. Comment. super Epist. ad Rom. Socinismi, Arminianismi & Papismi accusare non erubuit, demonstrato vero inter notitiam literæ & spiritus discrimine, paucissimis respondit, & Antecessorum fraudes in refutatione *Platonis Mystici* ac *defensione Theologiae mysticæ*, hujusqve primaria fundamenta, nec non Hallensis anonymi *Lutherum Antipietistam* allatrantis præstigias detexit. Scripti titulus est:

γνώσις ψευδάρων Ⓞ, h. e. Dogma fanaticum de *Notitiâ Literali & Spirituali*, ita discussum, ut Theologastri Stargardiensis & Antecessorum *Præstigia*, nec non fundamenta errorum præcipua in *Theologiâ Mysticâ* detegantur, & *Judicio Ecclesie Evangelico Lutheranae* exponantur à *Friederico Christiano Büchero*, Saxone, ad D. Catharinæ Ecclesiastæ *Gedanensi. Witteberge*, *Literis & sumpt. Joh. Mich. Goderitschii*, A. C. c173ccii. (4. plag. in 4to.)

REGIOMONTI

Pro-Rector & Senatus Acad. Regiomontanæ *Festo Pentecostes*, sive primitiarum Ecclesiæ Christianæ, in Honorem *Spiritus Sancti* Programma de *Oblatione duorum panum primitiarum* ex Levit. XXIII, 15-24. proposuerunt. (1½ pl. in 4.)

Die 30. Aug. habita Dissertatio de *Lingua Latina Prærogativa*, Præside *M. Christiano Mascovio*, Regiomont. Pruss. & Respondente *Johanne Döse*/Regiomont. Pruss. Pri-

Primùm in hac Dissertatione Prærogativa relinquitur Lingvæ Hebrææ & Græcæ, ratione Sanctitatis & antiquitatis; Latinæ verò adscribitur ea ratione hodierni usus, & quidem ex triplici argumento. I. Quod Latina Lingva sit *Lingva Doctorum & Sapientum*, quâ eruditi per totam Europam scripta hodiè exarant, & in omnibus Academiis disputant. II. Quod sit *Lingva Magnatum*, quâ Magnates per totam Europam imò & per alia loca extra Europæ terminos in rebus maximè seriis utuntur, v.g. in monetis, numismatibus, monumentis, Literis, Legationibus, Confœderationibus Tractatibusque diversarum Nationum. III. etiam, quod magna ex parte sit *Ecclesiæ Lingva*, quâ tot habita sunt Concilia, tot Commentarii in S. Scripturam extant, & nostræ quoque Ecclesiæ Libri Symbolici conscripti sunt. Probatâ sic Lingvæ Latinæ prærogativâ, diluitur objectio, Gallicam Lingvam, propterea, quia hodie apud multas gentes in deliciis est, de Prærogativa cum Latina contendere non posse, quod illi hujus tria recensita prædicata eodem modo minimè competant. Solutâ objectione causæ adducuntur tantæ Latinæ Lingvæ Prærogativæ (1) per ἀριστι, non esse causam ejusdem facilitatem, non elegantiam, neque quod mater sit multarum Lingvarum; (2) per θεσι, sed quod olim Romani dominantes suam Lingvam voluerint habere dominantem, quod perfecere (1) Græcæ Lingvæ usus publici abolitione (2) constanti suæ Lingvæ proplantatione. Quod verò etiam ad ea loca pervenerit usus Lingvæ Romanæ, ad quæ non penetraverant arma Romanorum, causa sistitur, quod gentes ceteræ libenter paterentur excoli à Romanis, laudabilibus institutis præ aliis Nationibus omnibus refulgentibus, quò facillè fieri potuit, ut cum Institutis Romanorum simul eorum Lingvam reciperent. Sed plurimis in locis sublata Romanorum potestate, eorum Lingvæ usus tamen permansit. Defecit etiam multis in locis Latina Lingva, rursus tamen mirum in modum exulta. Attribuuntur hæc Providentiæ divinæ, quæ servare voluit Romanam Lingvam (1) quo

perpetua Romanæ Monarchiæ esset memoria. (2) Quò diversæ Nationes haberent commodissimam aliquam communem Lingvam, quâ Tractatus & confœderationes citra omnem invidiam commodissimè conscribi possent. Denique ad sedulum Latinæ Lingvæ studium brevis annectitur admonitio.

Die 31. Aug. *D. Bernhardus von Sanden*, Jun. Prof. Theol. Ordinarius, & h.t. Decanus, Decadem XIV. Thesium controversarum, *de falsis Pontificiorum Sacramentis*, exhibuit, Respondente *Matthiâ Senfftenberg* / Soldav. Prussio, Scholæ patriæ Rectore. (plag. 2 $\frac{1}{2}$ in 4.)

D. von Sanden, Ser. edidit *Catechisationem Germanicam*, sive, *Kinder-Lehre* / in welcher der Catechismus Lutheri / und dessen Verstand auff's kürzeste und einfältigste erläutert wird / nebst einer Vorrede von Einrichtung der Catechismus-Lehre / wie auch Fragen und Gebetlein auff die vornehmsten Fest-Tage des Jahrs / und einigen Gebeten / so des Morgens und Abends / dann auch vor und nach der Beicht und Heil. Communion zu gebrauchen sind. Königsberg / gedruckt und verlegt von den Neufnerischen Erben. 1702.

RIGAE.

Die 1. Jul. *M. Liborius Depkin*, Rigenfis, Liborii filius, ad Templum Petrinum Pastor, Ministerii Rigenfis Superintendens constitutus est in locam *M. Davidis Caspari*, cujus obitum suprâ mense Martio p. 79. s. recensuimus. Anno 1688. d. 30. Octobris Concionator Aulicus Gen. Gubernatoris, Comititis Hassfer, vocatus ille est, & d. 14. Decembr. ejusdem anni Pastor ad templum Jesu. Anno currente 1702. d. 7. Martii sparta Pastoris Cathedralis, nec non dignitas Assessoris Consistorii Regii Rigenfis ipsi collata. Die 23. Aprilis modò dicti anni Pastoris Petrini munus illi fuit demandatum.

Scripta Ejus

De Lumine Natura Disputatio. Jenæ.
Conciones quædam diversi argumenti.

Post-

Postquam tali modo brevissimam Superintendentis Rigen-
sis *Βιογραφία* dedimus, haud incongruum fore arbitramur, si & reliquorum Reverendi illius Ministerii membrorum vitas hac occasione breviter describamus.

M. Arnoldus Fuhmann, Rigen-
sis, primùm Illustriss. *Benedi-
cto ab Oxenshierna*, S.R. M. Senatori Primario & Comiti in Kors-
holm &c. fuit à Concionibus sacris. Deindè anno 1690. d. 21.
Martii ad D. Johannis in Patriâ, & mox an 1691. d. 9. Septembr.
ædis Cathedralis Diaconus vocatus. Dehinc an. 1698. d. 11.
Augusti, Archi-Diaconus Petrinus & Ecclesiastes Sabbathicus,
tum an. 1700. d. 22. Jun. Archi-Ecclesiastes, & tandem an.
1702. d. 23. Aprilis Pastor Ecclesiæ Cathedralis, nec non Af-
fessor Consistorii Regii constitutus est.

Disputationes sequentes habuit.

In Gymnasio patriò sub Præsidio *M. Davidis Caspari*, t. t.
Philos. Prof. an. 1683. d. 5. Novembr. de *summo Bono Civili*
Disputationem Ethicam ventilavit. (2. plag.)

In Vniversitate Wittebergensi Præside *Jo. Fried. Mayero*,
Doct. & Prof. t. t. Theologo Witteb. nunc Pomeraniæ Citerio-
ris Rugiæque Superintendente Generali, an. 1685. d. 5. Jan.
Eclogas Evangelicas ad Evang. in Fest. Epiphan. proposuit.
(plag. 2 $\frac{1}{2}$)

Sub umbone *Georg. Casp. Kirchmayeri*, Orator. Prof. Publ.
Witteb. an. 1686, d. 27. Febr. de Oratore Civili & Ecclesiastico
disputavit. (plag. 5.)

Anno 1702. d. 9. Martii edidit *Iussa Solemnia* in obitum *B.
M. Davidis Caspari*, Superintendentis Reg. Consist. Rigen-
s. Assess. Primar. ad D. Petri Pastoris, S. S. Theol. in Gymnasio Prof.
& Scholæ Cathedr. Inspectoris. (2. plag.)

Liborius Depkin, Hieronymi Filius, Rigen-
sis, natus est an. 1652. d. 20. Septembr. Pastoratui Lemsaliensi & huic annexæ
Catharinianæ Parochiæ an. 1681. d. 21. Febr. præficietur. Post-
ea an. 1690. d. 21. Martii ad Pastoris Johannitani munus in Pa-
triâ

triâ obeundum vocabatur, cui an. 1702. d. 7. Martii Assessoris
Consist. Rigenf. dignitas accessit.

*Exercitia ipsius Academica, quæ Disputando & ligata
Germanica perorando publici juris fecit,
sunt sequentia.*

*Τεσσαρακοντασιξα (Germanicè Sonnetten) in totius anni
Evangelia. Rigæ, 1681. (in 8.)*

*Imago Dei deperdita, in Christo verò recuperata, ipsis Feriis Natalitiis
depicta. Rostoch. an. 1676. (in 4.)*

Jesus patiens. Lipsi. 1677.

*Carmen Pastorale de pace Wismariensium gratulatorium, Rostoch.
circa an. 78. (in 4.)*

De Mundo Disp. 1673.

De Cognoscibilitate Disp. Præsidi B. Zach. Grapio, Rostoch. 1674

*Semicenturia Thesium Miscellancarum Philos. 2. Dissp. Præsidi
Jac. Hieron. Lochnero, 1675. sing. in 4.*

Si pacem & vitam Deus largiturus est, publicæ luci expone-
re constituit aliquot fasciculos *Miscellancornum Tessaradecasticorum*
super *Epistolas Dominicales, tugubres, nuptiales alteriusque farinae.*

*Erhardus Schnee/Elbingâ Prussus, an. 1682. d. 5. Febr. Ad-
junctus Dunemündensis in Livoniâ, eod. anno, d. 2. Junii Pastor
Neomündensis, & an. 1684. d. 9. Octobr. Pastor Dunemünden-
sis constitutus. Hinc. an. 1688. d. 8. Jun. fiebat Pastor Wen-
densis, an. 1692. d. 22. Jul. Ecclesiastes Rigenfis, ac tandem an.
1702. d. 29. Aprilis Ecclesiastes primarius.*

*M. Johannes Brockhausen, Riga Livonus, lucem adspexit
an. 1671. d. 4. Febr. Postquam per septennium fermè Lipsiæ
studiis operam navaverat, finitisque itineribus in patriam re-
versus erat, primùm an. 1698. d. 11. Aug. Diaconus Templi Ca-
thedralis; deindè an. 1700. d. 17. Julii Diaconus ad D. Petri, &
tandem an. 1702. d. 23. Aprilis Ecclesiastes Templi Cathedralis
vocabatur.*

Quatuor Disputationes habuit Lipsiæ

1. *De mediis peruestigandi veritates rerum naturalium*, sub Præsidio Joh. Cypriani, tum Licentiati, jam Doctoris, an. 1693. d. 18. Febr.
2. *De Philosophiæ in Theologia usu*, Dissert. I. Præside Jo. Schmidio, tum Licentiato, jam Doctore, an. 1694. d. 13. Jan.
3. *De Philosophiæ in Theologia usu*, Dissert. II. Præside modò dicto, an. 1695. d. 13. Jul.
4. *De Philosophiæ in Theologia usu*, Dissert. III. pro loco in Facultate obtinendo, an. 1696. d. 27. Maj.

Johannes von Diepenbrook, Riga Livonus, vitæ usura frui cœpit an. 1670. d. 6. Jan. Quum per trium annorum spatium studiorum causa Lipsiæ commoratus esset, postmodum ad Ministerium Ecclesiasticum vocatus in patriâ est, & quidem an. 1698. d. 1. Jul. Adjunctus in Suburbio, nec non Pastor ibidem ad S. Georgii an. 1700. d. 24. Jul. constitutus. Dehinc in urbem ipsam concedens, an. 1701. d. 6. Decembr. ad Templum Cathedrale Diaconi, & an. 1702. d. 25. Aprilis ad Templum primum, Petriam dictum, Archi-Diaconi munus ipsi fuit de-
mandatum.

Disputavit

Sub Præsidio D. Jo. Benedicti Carpsovii de Regali Fidelium Sacerdotio. Lips.

M. Antonius Guldensadt, Rigensis, in lucem editus est an. 1656. d. 25. Jul. Pastoratui Ecclesiæ Holmhofiensis in Diœcesi Rigensi an. 1687. d. 10. Aug. præfectus, quem an. 1697. d. 9. Aug. cum Steinholfensi & Oleinensi in eadem Diœcesi commutavit. Huic præfuit usque dum illi an. 1702. d. 7. Martii vocatio ad D. Johannis Ecclesiam, quæ Rigæ est, obtingeret.

Disseruit

De Zelo Jehu adversus Achabitas & Baalistas ex II. Reg. X. Præside D. Valentino Alberti, 1685. d. 5. Maji.

Christianus Lauterbach, Vthino-Holsatus, an. 1695. d. 15. Febr.

Febr. in Suburbio Adjuncti, & an. 1697. d. 1. Septembr. Pastoris Holmhofiensis spartam obtinuit; Hoc anno 1702. d. 3. Maji vocatio ad Diaconatum Templi Cathedralis illi obtigit.

M. Adamus Andree, Riga-Livonus, an. 1701. d. 14. Octobr. vocatus est Diaconus Legionis illius, cui præest Illustriss. Liber Baro & Livoniæ Gubernator Regius, *Carol Gustavus Frölich*. Mox à vocatione ad subeundas Concionatoris vices in expeditione bellicâ adversus Moscovitas ad Livoniæ fines missus. Hinc, quum per aliquot menses muneri huic sacro fecisset satis, an. 1702. d. 8. Apr. Pastoratui Georgiano in Suburbio præfectus est.

Disputationem Theologicam ventilavit

Sub umbone *D. Valentini Velthemii de Indifferentismo Religionum profigato*, an. 1696. Jenæ.

Die 5. Aug. tres Candidati à *M. Liborio Depkin*, Superintendente Regio supra dicto, ad Ministerium sunt promoti & ordinati, videlicet:

1. *M. Röttgerus Rigeman*, Pastor Pinckenhofiensis.
2. *M. Georgius Ludovici*, Past. Holmhofiensis.
3. *Wilhelmus Rode*, Adjunctus Suburbanus & Pastor Pickerenfis.

Die 26. Aug. *M. Daniel Eberhard*, antea in Pernaviensi Academia LL. Orient. Profess. & non ita pridem SS. Theol. in Gymnasio Rigensi Professor in locum *B. M. Davidis Caspary*, de quo paulò ante mentionem fecimus, constitutus, Professionem hanc demandatam auspiciaturus Orationem Inauguralem de verò Atheismi causis habuit. Brevi ante etiam, quum Scholæ Cathedralis Inspectionis munus, quod similiter morte *Caspary* modò laudati erat orbem, obiret, de *Impedimentis Eruitionis solida* argumentum discussit.

HAFNIAE

Die 30. Augusti, avito in Æde D. Virginis sepulchro illatus fuit *Christianus Langius*, Collegii & Convictorii Regii Præpositus. Qui an. 1671. natus Patre *Wilhelmo Langio*, S. R. M. Consil. Cancell-

cellariæ, in supremo justitiæ Tribunali Assessore, & Mathematicum in Academia Havniensi Professore &c. Matre *Anna Resenia*, utriusque Resenii filia & nepte, post absoluta partim domi, partim in schola Havniensi metropolitana, Studiorum *προσπουδευματα*, civibus Academiae Havn. A. 1689. munificentia vero Borrichianæ in Collegio Mediceo alumnus An. 1691. adscriptus, ter *Præses*, semel *de Ara Dei Ignoti Act.* 17. bis de *supersticioso lapidum apud veteres usu & cultu*, Respondens autem semel *Præside D. Wandalino de discrimine peccatorum actualium primario* e Psal. 19. disputavit. Hinc ab An. 1694. ordinis 5. in Schola Havn. per triennium Progymnasta, ut pulveris Scholastici molestiam dilueret, An. 1697. ad externos profectus, præcipuos *Belgii eruditos Gröningæ, Franckera, Amstelod. Ultrajecti, Leyda, &c. Angliæ item Oxonii & Londini, Germaniæque Hala, Jenæ, Dresde, Wittebergæ, Lipsiæ, Hamburgi, Lubeca &c.* florentes invisit. In patriam redux A. 1699. varios passus afflictæ valetudinis assultus an. superiori 1701. Communitati Regiæ à summe Vener. Facultate Theologica præfectus fuit; ad alia haud dubie enixurus nisi indomita phthiseos pulmonaris & fatorum violentia maturius eum dejecisset.

D. Hennii Bornemannii Sialandiæ Episcopi Prof. Theol. & Facult. Theol. Decani, *Descriptio Vnctionis Regiæ, Augustiss. Regis FRIDERICI IV. & Sereniss. Reginæ LVDOVICÆ* An. 1700. Fridericiburgi peractæ, vernacula, sub prælo jam fudat, propediem in fol. proditura.

Johannes Laurentius, Grammateus Regius, Consistorii Assessor, Reg. & Acad. Typographus, in *Auctario Musei Regii*, quod ante sexennium edidit *D. Oligerus Jacobaus*, adornando strenuè versatur, propediem quoque in fol. edendo.

Idem Præcepta Scholastica, per omnes Daniae & Norwagiæ Scholæ huc usque recepta, Auctoritate Regiæ à Professoribus Academiae Havniensis emendanda, & faciliori juventutis usui accommodanda, recudere cœpit, factò à minoribus initio, ad majora perrecturus.

M. Severinus Lintrupius Design. Philos. & Theolog. Prof. in Vnivers. Havn. & Cathedr. Scholæ Berg. Rector, *Syntagmatis Controversiarum Anti-Pontificiarum Danici*, (de quo N. L. 1701. p. 52.) ultimo ferali incendio Bergensi, cum aliis ipsius libris & manuscriptis consumti quidem, sed ex schedis & collectaneis quodammodo reconcinnandi, *specimen*, in controversia una forte aut altera e loco de *S. Scriptura*, cum *αὐτὰρ ἑαυτοῦ* operis & indiculo controversiarum proximè publicabit, tentaturus, an non Bibliopolæ aut Typographi alicujus animum expugnare queat & inducere, ad promovendam sumptibus suis, totius Voluminis usui Ecclesiæ Arctoæ destinati editionem.

OTHINIAE

M. Elias Naur, Græcæ L. in Gymnasio Othin. Prof. P. post edita quamplurima maximè practica opuscula, quorum bonam partem novis hisce Literariis identidem inseruimus, novum *de charitate fidelium & Christianorum tessera* opusculum vernaculum typis paratum habet, dilectionis Christianæ necessitatem variis meditationibus ex pluribus Scripturæ S. locis ostensurum.

M. Thomas Broderus Bircherodius, Eloqv. in Gymnasio Oth. Prof. & Cathedralis Scholæ Rector, præter alia in N. L. 1698. p. 143. & 186. memorata scripta partim editioni matura, partim affecta, *Historiam* quoque *Naturalem Fionie* molitur.

SLESVIGAE.

Epistola illa *de statu Ecclesiæ in America*, quam superiori anno ex *Germanton* Pensylvaniæ ad *D. Henricum Muhlium*, Superintendentem Generalem, transmisit *Justus Falckner*, typis excipita est sub hoc titulo: *Abdruck eines Schreibens an Tit. Herrn D. Senr. Mühlen / aus Germanton / in der Americanischen Province Pennsylvania, sonst Nova Svecia, den ersten Augusti, im Jahr unsers Hehls ein tausend siebenhundert und eins; den Zustand der Kirchen in America betreffend.* (1½ plag. in 4.)

Sistit

Sistit in eâ Auctor primò duas impulsivas scriptionis suæ causas, quarum altera, favoris à D. *Mublio* sibi exhibiti memoria; altera *ejusdem* de significando Ecclesiæ statu mandatum. Hunc non ad eò bonum esse scribit, cum *Aborigines* sive *Indi* in suâ adhuc dum versentur cæcitate, & exiguus, qui ibidem est, Christianorum numerus, ex variis constet Sectis, quas inter *Quakerorum* prævaleat. Porro addit triplicem Ecclesiæ ejusdem loci, tum quoad *confessiones*, tum quoad *Nationes* divisionem & in specie paululum prolixior est in describendâ, quæ ibi est, *Svecorum* Ecclesiâ. Tandem mentionem facit *Germanorum Evangelico-Lutheranorum*, & denique sibi videri ait, ad alliciendos & postmodum convertendos Indos aliasve Sectas organa pneumatica non parùm esse profutura.

KILONII.

Præside *Georgio Paschio*, Artis rationis, Philos. Primæ ac Moral. Prof. Ord. *παράδοξον Morale: Et qui accipit, & qui nihil vel pauca dat liberalis est*, publicè defendit *Joël Job. Kortholt*, Kiloniens. *Holfatus*. (3. plag. in 4.)

Argumentum ita se habet: §.1. Liberalitatis laus. §.2. Ejusdem appellationis origo. Liberalitas imprimis decet hominem. Est necessaria ad tradendas mutuas operas. §.3. Non confundenda est liberalitas cum officiositate. Liberalitas quomodo differat à beneficentiâ? Is, qui eruditionem suam sine pretio cum aliquo communicat, propriè non dicitur liberalis. §.4. Liberalitas quomodo differat à justitia? Liberalis dat indebitum personæ, sed debitum speciei. Idem bonum aliis oblatum diverso respectu diversa induit nomina. §.5. Magnificentiâ differt à liberalitate non tantum gradu, sed specie. §.6. Objectum liberalitatis sunt *τὰ χρήματα*. Quid per ea intelligatur? Horum non simplex & mera possessio, sed verus usus huc proprie pertinet. Divitiæ sunt instrumentum liberalitatis. §.7. Discrimen inter divitias, opes & copias. Divitiæ dividuntur in naturales & artificiales. Pecunia dicitur à

Mm pecude

pecude. Proverbium: *Bos illi semper in lingua*, ex more illo notam bovis nummis imprimendi enatum, & de illis usurpato solitum, qui avidè pecunias corradunt, & frequentissimè de iis loquuntur. §.8. Officium liberalitatis est dare. Circumstantiæ in dando observandæ (1) *Cui dandum?* pauperibus & miseris, (2) *Quid?* de propriis. (3) *Cur?* ob honestum, Dei gloriam, animæ salutem, & aliorum divinorum munerum impetrationem. (4) *Quantum?* non major sit benignitas, quàm facultas. (5) *Quo tempore?* Cum res exigit. Liberalis non facit syllogismum. (6) *Quò loco?* secretò potius, quàm palam. (7) *Quo animo?* læto. §.9. Consistit liberalitas etiam in accipiendo. Probatur id (α) ab ejus extremis, (β) à necessitate, (γ) à fine. §.10. Desiderium divitiarum hominibus naturaliter est insitum; vocanda igitur in consilium *αὐταίρεσις*. Non diffidendum vim liberalitatis magis cerni in dando, quàm in accipiendo. §.11. Potest aliquis nihil, vel tantum pauca dando dici liberalis. Ratio *Ima*, Liberalitas non æstimatur ex quantitate muneris. Ratio *Ilda*, Liberalitas cadit etiam in pauperes. Ratio *Iltria*, Liberalitas potissimum judicanda est ex animo. §.12. Inter prodigalitatem & avaritiam tenendum medium.

D. Joh. Ludovici Hannemanni

Meletema (ad Problema in N. L. an. 1700. p. 128. propositum) de salutatione injunctâ moribundis.

Regula illa Theologorum satis superque cognita est, quâ dicitur: *Christi actio est nostra institutio*. Sic & quodammodo dicere possumus: Orthodoxorum vitæque probitate sese commendantium Theologorum actio est nostra institutio. Quoniam autem quidam Orthodoxus Theologus, vitæque probitate apprimè conspicuus hanc consuetudinem habuit, moribundis, quos S. Cœnæ viatico reficiebat, diceret, hunc & istum bonum amicum salutarent. Quæ consuetudo, quoniam ab excellenti Theologo observata est, non improbanda, eandem salvâ Conscientiâ observare possumus. Hanc enim consuetudinem

svetudinem sequentia scripturæ dicta & historiæ approbare videntur. (1) Expendendum propono illud dictum Apostoli, quod donum prophetandi, fides & spes finem in futurâ vitâ æternâ assecutura; charitas è contritio perennabit. Quid si charitas quoque in futurâ vitâ perennabit, sine effectu etiam non erit. Effectus autem magnam partem in hoc consistet, ut si animæ separatae ad animas amicorum separatas perveniant, sibi invicem osculum charitatis salutando impertiantur. Quid obstabit, quin & in vitâ superstitem piorum benevolentiam declarent animabus separatis. (2) Memorabilis est historia de divite Epulone Luc. XVI, 25. Hic ab Abrahamo petebat, aliquis è mortuis mitteretur ad fratres, qui iis concionaretur, ne quoque venirent in istum locum cruciatus. Quid si nunc affectu aliquo amoris tangitur Epulo erga vivos fratres, quidni ergo animæ separatae piorum affectum charitatis non ederent erga aliorum animas separatas, qui & in salutatione à piis consistere potest. (3) Animas hominum à corporibus jam separatas reminisci in confesso est. Sicque bonorum factorum, quorum radix fides in Christum fuit, ac conversationis cum piis recordatione oblectantur, malorum recordatione contristantur, mordetque ea & cruciat conscientiam. Vi autem reminiscentiæ fratrum pietatis studiosorum reminiscuntur, ac illorum memoriam apud aliorum piorum animas beatas repetunt. Illa repetitio junctam salutandi formulam habere potest, non quidem mundo usitatam, sed à Christo usurpatam, quâ impertiit suos discipulos à morte resurgens. Animarum enim reminiscencia perfecta & absoluta est, ac reminiscens inque lætitiæ signum erumpens. (4) Merito urgemus istud Apocal. c. VI. v. 9. & 10. quousque tandem ô domine sancte, atque vere non ulcisceris ac vindicas sanguinem nostrum de Terræ incolis? quod si animæ separatae vindictam à Deo sollicitant, eodem & potiori jure pios adhuc superstites Deo commendant. Quid si eas ad eum adhuc tangant injuriæ, quibus ab inimicis affectæ vindictam implo-

rent, magis oblectabit, lætificabit memoria conversationis cum piis. Concludimus ergo, moribundis, ut ille Pastor piè fecit, hunc & istum saluent, commendari potest. Postulata, quæ opponuntur, non sunt magni momenti. Resp. ad primum: Defunctorum piorum animæ in tantum unò eòdemque receptaculò continentur, in quantum beatifico intuitu Dei fruuntur. Deum autem à facie ad faciem contemplando omnes animas beatorum in unò eodemque locò habeo, video & cognosco. Ad secundum Resp. : Quod se invicem agnoscant. Apostolus Jesu Christi, qui nunquam Mosen & Eliam viderat, cognoscebat, duntaxat beneficiò eò, quod Christum in carne cognosceret, quid fiet si carnis onere caliginosò liberati simus. Resp. ad tertium : Omninò fata suorum fratrum cognoscunt beati, ceterum pro eorum liberatione ac injuriarum vindicatione ad Deum preces non fundent. Resp. ad quartum : Quidni sermones cæderent de Ecclesiæ pressurâ, de injuriis, quibus fratres premuntur, alii sermonem habendi modum à corporali distinctum agnoscere debemus. Vt enim Angeli inter se loquuntur, Deoque hymnos canunt, ita etiam animæ separatæ cum animabus separatis agunt & loquuntur &c. Quod si damnatos tangat & angat cura salutis suorum, ut de divite Epulone in inferno constat : cur non æquè, sed aliò modò, magis in Dei placitò acquiescente, animæ separatæ cum animabus separatis avidæ essent de salute piorum ? Quæ & nunquam desinent Deo superstites commendare. Hæc mea de hoc Problemate est sententia, salvo aliorum rectius sentientium Judicio, cui hoc meletema lubens submitto.

Sebastianus Kortholt, Poët. Prof. Ord. edidit *Epistolam* (1. plag. in fol.) super obitu Sereniss. Principis FRIDERICI, Hered. Norv. Ducis quondam Regnantis Slesv. & Holst. &c. die XIX. Julii An. 1702. in pugna fortissime occumbentis. Hæc ad *D. Muhlum*, Gener. Superintendentem scripta est, quoniam is auctorem carmen Heroicum super obitu Principis poposcit,

scit, quod se publicaturum pollicetur. Nunc mentionem
funestæ hujus mortis fecit his versibus:

Hei mihi! FRIDRICVS non amplius æthere nostro

Vescitur, ah raptus præpete morte jacet!

Me miserum! læsit nunquam violabile corpus

Dirus sulphureo missus ab igne globus.

Vt legi, ut tremui? ut dudum conterritus hæsi?

Principis occisi non memor ipse mei.

Horror in ossa venit, rigidi stant vertice crines,

Et nece funesta non leviora fero.

Mens labat, & similis trajecto corpora plumbo

Sum miser, & vitæ nescius ipse meæ.

Principis ut telum mea sic suspiria rumpunt

Pectora nec telo sunt violenta minus.

Quæque Ducis corpus mentem mihi vulnera lædunt,

Et nihil est melior fors mea sorte Ducis. &c. &c.

Henrici Opitii, SS. Theol. D. ejusdemque Prof. Ord. in
Acad. Kiliensi, *Biblia parva Hebræo-Latina*, in quibus dicta
insigniora omnia ex Codice Hebræo secundum ordinem Li-
brorumBiblicorum excerpta continentur, iterum prodierunt
Lipsiæ apud J. C. Meyerum. (in 12.)

Hujus D. *Opitii* filius, *Josias Henricus*, Theolog. & Lingg.
Orient. Cult. Auctor est *Hodegetici Hebræo-Chaldaeo-Biblici*,
in quo Vocabula Hebraica & Chaldaica ordine Librorum,
Capitum & Versuum ita exhibentur, ut Lectio Hebræo-
Biblica absque tædiosæ evolutionis vocum impedimento
facillimè institui, & intra anni spatium integra Biblia He-
braica commodè perlegi atque intelligi possint. Ham-
burgi apud Gottfried Liebezeit, Bibliopol. Hamb. & Ki-
lonii, typis Barth. Reutheri, Acad. Typ. 1702. (1. Alphab.
13. plag. in 8.)

Quo B.L. constat, in hoc *Hodegetico Hebræo-Biblico* quid præsti-
tum sit ab Auctore, brevibus id indicabimus. Videlicet (1)

illud dispositum est secundum partitionem Codicis S. Judæis usitatam, qui illum in *Legem, Prophetas, eosque tum priores, tum posteriores, & Hagiographa* dispescunt. (2) Dispositio Capitum & Versiculorum illi, quæ in Bibliis Leusdenianis habetur, respondet. (3) Translationem Latinam ex *Parentis sui Versione*, quam à multis annis adornavit, eamque propediem unà cum Textu Hebraico juxta Masoram & optimos Codices diligentissimè emendato luci publicæ dabit, maximam partem desumfit, ut adeò Vocabularium hoc vel Versionis cujusdam accuratæ vices obire possit. (4) Pleraque Vocabula ad minimum octies in hoc Vocabulario expressa sunt, frequentius tamen in Pentatevcho, quàm in reliquis Scripturæ partibus reperiuntur, ut adeo, qui huic diligentem impenderit operam, eò felicius in ceteris versari queat. (5) Cum unum Vocabulum pro Textus & Circumstantiarum diversitate diversas nonnunquam significationes admittere possit, eam tantum annotavit, quæ in quolibet Textu locum habere videtur. (6) Interdum annotata illi sunt Vocabula aliqua, quæ, si formam absolutam quis spectet, nullam præ se ferunt difficultatem, quâ tamen, si ad difficilem in textu occurrentem formam oculus intendatur, non carent, v. g. 2. Reg. I, 2. in יָלַף, Jerem. I, 5. in רָצַף, Ruth. II, 9. in רָצַף. (7) Verba, quorum Conjugationum significatio ex Grammatica nota esse potest, plerumque in *Kal* tantum posita in hoc Vocabulario inveniuntur, ut in Textu alia sæpe reperiatur Conjugatio, v. g. *Niphal, Piel, Pyal, Hiphil* &c. (8) Ita si verbum aliquod eandem in Conjugatione *Kal* significationem, quam in reliquis Conjugationibus obtinet, quas Textus suppeditat, tunc simplicem plerumque posuit formam Conjugationis *Kal*, omisâ illâ, quæ in Textu continetur. (9) Participia, cum plerumque formam ac qualitatem Nominum induant, non raro ab illo simpliciter ut Nomina exhibentur, omisâ Radice. (10) Verba quæ in Vocabulario sæpius dicto vocalibus destituuntur, innunt, quod in Conjugatione *Kal*

in usu non sint, hinc statim alia ab Auctore addita est Conjugatio, quam Textus suppeditat; contra quæ punctis sunt instructa, indicant, quod in Conjugatione *Kal* sint in usu. (II) Quod si vocabula aliqua omisit (uti ea aliquando omitti debuisse ipsa Libri moles postulavit,) illa vel sunt facilia, & jam antea sæpius notata, vel si aliquam difficultatem habere videntur, aut sunt Nomina propria, ut *Ezr. IV, 9. Neh. III.* aut si sunt appellativa, quærenda ea sunt in præcedentibus vel ejusdem, vel proximè antecedentis Capituli versiculis, ut *Ez. XXVII, 25.* (12) Numeralia tam Ordinalia quam Cardinalia, ut & pronomina sæpissimè omissa sunt, utpote quæ ex Grammaticis disci possunt. (13) Quandoquidem Chaldæis status Emphaticus magis, quam status absolutus in usu est, itaque in Daniele & *Ezra* plerumque retinere maluit Emphaticum, quam absolutum. (14) Quod ad *Kri* & *Ktubb* attinet, notandum est, quod formam marginalem, quæ Judæis *Kri* dicitur, quamque Versiones præcipuè sequi consueverunt, plerumque expresserit, quamvis propterea alteram illam textualem non pro vitiosâ aut corruptâ, sed potius pro anomalicâ ob certas rationes, quas peculiari aliquando Tractatu ex Rabb. & Philolog. Christianorum mente monstrabit, summò studiò ita expressâ habet.

HAMBURGI.

Andreas Paulus, Baro à *Liliencrohn*, S. R. M. Dan. & Norveg. Consiliarius intimus & Provincialis, nec non in Ducat. Slesv. & Holsat. Cancellarius, haud ita pridem in Templo Cathedrali, quod Hamburgi est, sepulcro illatus fuit. Lucem ille an. 1630. d. 4. Febr. adspexit Bredstadi in Holsatia, parentibus ibidem ob mercaturam inclutis progenitus. Quum non ductu solùm parentum, sed in Gymnasio etiam Hamburgensi pietatis artiumque fundamenta posuisset, an. 1651. Rostochium, & mox Lugdunum Batavorum salutavit. Finito ibi studiorum cursu, & itinere per Helvetiorum, Italorum Gallo-rumque fines confecto, nec non Ordinis Equæstris splendore
an. 1654.

ao. 1654. in Comitibus Ratisponensibus ab Imperatore FERDINANDO III. impetrato, domum rediit. Hinc Hafniam profectus est, ubi an. 1657. FRIDERICVS III. Dan. & Norveg. Rex Judicii militaris Prætozem Generalem illum constituit. Post eam an. 1662 ad Aulam Imperatoriam missus primùm Consiliarii & Residentis Regii, deindè Ablegati extraordinarii, & demum Plenipotentiarium spartâ fungebatur. Porro an. 1673. Imperatoris gratiâ Baronum Titulos atqve Insignia obtinuit. Anno insequenti Comitatus Pinnebergensis & Præfecturæ Segebergensis Satrapa, postmodum Consiliarius intimus & Cancellarius Hafniensis, nec non in Ducat. Slesv. & Holf. Cancellarius atq; Consiliarius Provincialis constitutus, ac tandem post obitum CHRISTIANI V. sanctioribus Regni consiliis à FRIDERICO IV. orbis Arctoi Monarchâ adhibitus est. Ast omnibus hisce summis honorum titulis mors illum privavit, quam septuagenarius an. 1700. d. 22. Augusti oppetiit, hancqve non Vidua solùm, sed & quatuor filii unicaqve filia acerbè lugent.

Sebastianus Edzardus, Prof. Publ. edidit *Confutationem Terministici Erroris*, ex Verbo Dei ita institutam, ut pii cordatiqve Lectores vel primo conspectu intelligere queant, *Speneri* & sectatorum ejus portentosam ac *Barclajso* conformem sententiam non solùm falsam esse, sed & fundamentum fidei repugnare. Hamburgi, sumtibus *Godofredi Liebezzeit*, 1702. Typis *Friederici Conradi Grefflingerii*. (10 pl. in 4.)

Quatuor hujus Scripti sunt *Capita*, quorum I. primò *puram & veram Ecclesiarum nostrarum Doctrinam*, ex libris Symbolicis tradit & confirmat, & quatuor continet *theses*, harum (1) Quod Deus nulli homini ante finem vitæ abscondito & occulto decreto terminum posuerit, quo elapso nolit ipsi amplius gratiam conversionis offerre, quantocunqve etiam temporis spatio adhuc vivat: Sed contra quocunqve tempore usqve ad finem vitæ sufficientem conversionis gratiam induratissimi

mis

mis etiam hominibus offerat. (2) Quod verbo Dei semper inest vis & potentia homines convertendi, nec Deus efficaciam hanc à Verbo retrahat, sed per illud pœnitentiam & salutem seriò etiam datis jam in mentem rebrobam offerat, quandocunqve illud vel legunt, vel audiunt, vel lectum olim auditumqve recordantur. (3) Quod hæc etiam Dei intentio fuerit, quandocunqve & quotiescunqve Verbum Divinum Pharaoni, Sauli, Judæ proditori, Judæis illis, de quorum horrendâ contumaciâ Christus & Apostoli tam graviter conquerruntur, aliisque similis pertinaciæ hominibus fuit propositum, etiamsi Deus prævideret, eos Verbum contumaciter repudiaturos, & tandem in finali incredulitate morituros esse. (4) Quod, quandocunqve Deus induratissimis Ethnicorum benefacit, cœlitus illis dans pluvias, & tempora frugifera, tunc se iis *ὡς ἀμάρτυρον* relinqvat, sed per hanc *χρησάγωγίαν* ad Verbum Divinum audiendum eos adducere velit, ut per illud illuminentur, & convertantur. Deinde affert *falsam & erroneam Doctrinam Terministarum*, ex scriptis Speneri, Rechenbergii & Bössi, quinque exinde formans Aphorismos. (1) Quod Deus multis in & extra Ecclesiam visibilem constitutis hominibus jam ante vitæ finem terminum posuerit, quo elapso nolit amplius eorum salutem, quancocunq; temporis spatio adhuc sint in vivis. (2) Quod Deus hunc terminum gratiæ ante mortem constituerit occulto absconditoqve decreto. (3) Quod termino illo præterlapso Deus non amplius offerat pœnitentiam & salutem, nec Verbum Divinum ejusmodi homines amplius ex intentione Dei convertere debeat, sed vis conversionis à verbo retrahatur, quando elapso termino auditur vel legitur. (4) Quod sigillatim Pharao, Saul, Judas proditor, pleriqve Judæorum, multi Ethnicorum, jam eo tempore, quo illis Verbum Dei adhuc prædicabatur, portam gratiæ prorsus clausam habuerint, nec iis similibusqve aliis Deus gratiam conversionis obtulerit, quamdiu apud eos præconium verbi adhuc durabat. (5) Quod Deus, tum ex Ethnicis, tum ex aliis

hominibus multos sæpè adhuc diu quidem toleret, variisque beneficiis afficiat, quamvis terminus eorum jam sit elapsus: non autem id faciat amplius hoc scopo, ut per hæc beneficia ad Verbum Divinum cum fructu audiendum invitentur, atque sic per illud convertantur. *Capite II. hæc Terministica Doctrina falsitatis convincitur XXV.* argumentis, desumptis ex *Ezech. XVIII, 23. 30. 31. 32. Cap. XXXIII, II. I. Timoth. II, 1. 16. 2. Pet. III, 9. Act. XVII, 30. 31. Matth. XI, 28. Es. LXV, 2. Ebr. III, 7. 13. Psal. XCV, 7. Ibrn. III, 23. Rom. II, 4. 5. Cap. V, 20. Levit. XVI, 17. seqq. & loca parallelis. Matth. XII, 31. & locis parallelis. I. Job. II, 2. Zach. XIII, 1. Luc. XVI, 29. Coloss. I, 28. Matth. XVI, 19. XII, 18. Job. XX, 23. Matth. XXVI, 26. 27. 28. Ephes. IV, 17. 18. 19. Deut. XXVIII, 28. XXX, 1. 6. Psalm. LXXXI, 13. 14. Es. LVII, 17. 18. ex Concionibus Jeremie. Es. VI, 9. 10. XXIX, 10. Matth. XIII, 13. Luc. XIX. 41. Matth. XXIII, 37. aliisque locis. Matth. XVIII, 22. seqq. Rom. IX, 22. Act. XIV, 17. XVII, 26. 27. *Capite III. Objectiones Adversariorum dissolvuntur*, quæ petitæ partim ab exemplis Diluvianorum, Sodomæorum, Pharaonis, Cananæorum, Israëlitarum in deserto & Niniuitarum, nec non filiorum Aaronis, filiorum Eli, Saulis, Achabi, Amazie, partim ex Scripturæ dictis, Es. XXII, 14. Jer. VII, 12. 15. 16. XI, 14. XIV, 11. 12. XV, 6. XVI, 5. Ezech. XIV, 12. seq. Hof. IV, 6. IX, 12. 15. Zach. VII, 13. Hagg. I, 6. Psalm. VII, 13. 14. Prov. I, 24. Job. XXVII, 8. 9. XXXIII, 29. Matth. XIII, 14. Marc. IV, 12. Luc. VII, 10. Job. XII, 40. Act. XXVIII, 26. coll. Es. VI, 9. 10. Matth. XXI, 43. XXII, 3. 7. Luc. XIV, 24. Matth. XXV, 29. 30. Luc. XIX, 41. 42. Job. III, 18. VIII, 34. XV, 2. Rom. I, 24. 28. 2. Cor. II, 16. 1. Tim. IV, 2. 2. Tim. II, 26. Tit. III, 11. 2. Pet. II, 19. 20. *Capite denique IV. ostenditur, Errorem Terministicum fundamento fidei adversari*, quia (1) Divini sanctitati & veritati repugnet, (2) Verbi Divini efficaciam, & (3) Ministerii Ecclesiastici officium adoriatur, (4) Orationi Dominicæ plenum horroris sensum affingat, (5) Absolutioni, (6) Baptismo & (7) S. Cœnæ adversetur, (8) obstet, quo minus in ullo Ethnico, Judæo, vel aliâs impio homine salvifica fides accendatur, (9) tentatis fidelibus consola-*

consolationem eripiat, viamque ad desperationem sternat, (10) profligatae vitae hominibus offendiculum ponat, ut in quovis nequitiae genere maneat, & omnes poenitentiae cogitationes abjiciant.

LVBECAE.

D. *Georg. Henr. Goetzius*, Superintendens Lubecensis, cujus vitam & Scripta Mense Julio, pag. 205. seqq. recensuimus, *Concionem suam Valedictoriam Annæbergæ habitam publicæ luci exposuit.* Lipsiæ apud Christianum Emmerich. (in 4.)

Die 1. Augusti vivis excessit *Benedictus Petrus Winclerus*. V. J. D. Natus fuit is in hac Imperiali Lubecâ, d. 17. Jul. an. 1671. Patre, Viro Magnifico, *Antonio Winclero*, V. J. D. & Consule Reip. Lubecensis primario. Postquam in ludo publico primum, ubi & d. 10. Aprilis an. 1690. sermonem gymnasticum de illustri festivitate non ita pridem tunc inaugurati coronatique Regis Romani JOSEPHI habebat, & sub privatissima deinde *Zacharia Stampelii*, Conrectoris postmodum Slesvicensis, institutione, ea fecisset studiorum incrementa, ut Academias cum fructu adire posset, *Giessam* perrexit quidem, studioque juris sedulò ibidem incubuit; ast ob impendentem belli periculosi tempestatem hanc Vniversitatem cum *Rostochiensi* an. 1692. mense Decembri commutare necesse habuit. Hic *Johanne Kleinio*, V. J. D. t. t. P. P. hodie verò Duci Mecklenburgico Regenti à Consiliis intimioribus, Ductore, eò usque in juris stadio per integrum quadriennium progressus est, ut absoluto studiorum cursu, & Disputatione Inaugurali, *de Inhibitione judiciali in causis Appellationum*, sub Præsidio *Kleiniano* d. 19. Novembr. an. 1696 habitâ, summos in jure honores ambire potuerit, quos etiam d. 22. Julii anni sequentis in absentia consequutus est. Ad externos proficiscens primum *Hagam Comitris* in Belgio concessit, ut adornatae tunc pacificationi *Risvicensi* attenderet. *Galliam* porro & *Angliam* ingressus esset, nisi infestæ viæ id prohibuissent. Visis igitur postea *Cellenfi* ac *Hannoveranâ* aulis, *Wetzlariam*, *Ratisbonam* & *Viennam* invisit. Tandem

dem confecto per *Bohemiam* itinere, *Pragensi* item, *Dresdensi*, *Lipsiensi* & *Berolinensi* urbibus perlustratis, an. 1697. Lubecam rediit. Hôc locô præcipuè id operam dabat, ut in forensibus causis præclare consistere posset; at præmaturâ morte extinctus est, cum 31. annos fecisset vivens. Ex Vidua superstite, qvam an. 1698. d. 14. Martii uxorem duxerat, unicum filium reliquit.

D. Jo. Jacobi Stolterfohti Scholion

De Calculo in ventriculo Galli Gallinacei reperto.

Eo ipso fermè tempore, quo mense Julio nostra *de Ovo Galli Gallinacei* observatiuncula ex prelo sudare desierat, quidam Dnn. *Collectorum* in congressu aperiebat literas ab amico quodam *Gvelpberbytano*, rerum curiosarum amantissimo, ad se datas; qui *Gallum Gallinaceum* annum se aluisse referebat, quem ad aliquod temporis spatium domestici adverterunt cibo abstinentem, & simul subiracundum, ut idcirco ad epulas eundem damnare decreverint: & ecce ventriculi tunicæ interiori adhærentem deprehendit coqva *calculum* pondere $\frac{7}{8}$ lothonum, ejus, qvam delineatio inserta monstrat figuræ:



Quod *calculi* in omnibus corporis partibus tam solidis quam liquidis generentur, præter Excell. Dn. *D. Georg. Franc. de Frankennau Dissert. de Lapidicina Microcosmi habit. Heidelberg. A. 1685.* & Dn. *D. Georg. Wolffg. Wedel. Diss. de Calculi mechanica habit. Jen. A. 1701.* aliosque, infinitæ probant *Nature Curiosorum Observationes*, quas enumerare pagina vetat. Conf. quæ de materia hacce disseruimus *A. 1699. Mens. Febr. p. 47. seqq. An. 1700. Mens. Mart. p. 71. seqq.* Si vero

Si vero *Calculi* concrementum est salinum, & generatur per modum coagulationis duorum salium praternaturalium, *Acidi* sc.p.n. & *Alcali* volatilii urinofi, dum *acidum* vitiosum in primis viis, præsertim ob stomachi errorem, dilapsum, reliquis partibus communicatur, in quibus inveniens sal urinofum purius, cum eodem se conjungit, ut necessario in unam massam ita coeant, ac se invicem firmiter coagulent, ut vult B. Dn. D. Michael Ettmüller. in *Patholog. c. III.* quid mirum, quod in ventriculo *Galli Gallinacei* nostri, quæ in lerna malorum, ex ista prædicta salium pugna sit orta ejusmodi *calculosa* compages? quoties autem inter diversas partes oritur dissidium, una alteri succumbat necesse est. Exhaustæ videntur *acidi* in conflictu vires, unde *prostratus appetitus*, qui particulis *acidis*, habitu suo blande styptico sinistrum ventriculi orificium rodendo vellicantibus tribuitur. Ad pugnam furoris effectum quod pronus fuerit *Gallus* iste *Gvælpberbytanus*, ab orgasmo sanguinis à bile concitato crediderim ortum. Hujus quippe secretio ex prævia concoctione læsa, in altera vix corrigibili, dum apte fieri nequivit, *alcalicis* suis particulis *acidis* sanguinis partes ad pugnam provocavit, unde turbulentus spirituum motus: & forsan in aliis quoque corporis partibus *tartarea*, hostiæ nisi cessisset, concretio orta fuisset.

Francisci Wörgeri Scholion

Super 1. Petr. 3. v. 19. item c. 4. v. 5. 6.

Pietate pariter ac doctrina inclytus Daniæ quondam ac Norwegiæ Rex FRIDERICVS III. Candidatis Ministerii diversis explicanda pro concione offerre solebat isthæc Petri: „*Quia* & *Christus* semel pro peccatis passus fuit, *Justus* pro in- „*justis*, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, sed „*vivificatus* spiritu, in quo abiit etiam & *Spiritibus* qui erant in „*carcere* prædicavit, inobedientibus quondam, cum semel ex- „*spectabatur* Dei lenitas in diebus Noë, cum apparabatur arca, „*in qua* paucæ, hoc est, octo animæ servatæ fuerunt per aquam &c. An satisfecerit quispiam Regi Serenissimo, vix mihi sit

verosimile, dum nemo interpretum huc usque nodos illos dissolvit, quod ego quidem sciam, sed magis insuper constrinxit. Primò igitur certum est, S. Apostolum in verbis, *mortificatus quidem carne sed vivificatus Spiritu seu anima*, de illo loqui articulo temporis, quo Dominus descendit ad inferos veluti victor mortis ac diaboli, idque eam ob causam voce *vivificatus* describere S. Petrum divinam adeò denotans id ipsa morte Christi potentiam, ubi vires quasi colligens magno clamore exspiravit, ac si jam tum fuisset & quidem manifestius redonatus vita, antequam erat fuscitatus è sepulchro, haut diffitente Centurione: *Verè hic est filius Dei*. Obscuraverat solem, & cum in eo esset, ut animam amitteret, velum templi summi dirupit, elementa mundi concussit, saxa discidit, monumenta aperuit, & in illis ipsos sepultos commovit, id quod brevibus hisce complectitur Petrus: *mortificatus quidem carne, sed vivificatus Spiritu*. Deinde alter scrupulus residet in voce *predicavit*, quod idem hic est ac *testatus est*, dum notante Flacio, illa Christi prædicatio apud inferos facta non tam verbalis ad institutionem fuit ac pœnitentiam, quam realis ad evidentem redargutionem, confusionem ac pœnam eorum, qui tot annis non modo concionantem de judicio Noam, sed immenso labore arcam insuper fabricantem despiciatui habuerant, eodem quo jam furore cunctas Dei minas explodunt deistæ nostri. Noachi manus, ait *Melchior Mittelholzerus*, haut minus docebat quam lingua. Ejus assiduitas in struenda arca erat concio realis. Quivis ictus, quem prisca mundi incolæ audiebant, erat sermo ad pœnitentiam exhortans. Atque ita sancti mundum judicant non fide tantum sed & facto (*in florilegio Anglicanò* decade 9. concionum p. 269.) Nihil aliud ergo in tot errorum labyrinthum egit commentatores quam sinistra aliquot vocabulorum explicatio, dum testimonium hic acceperunt pro salutifera Evangelii prædicatione, quod de solo eodemque manifesto testimonio erat intelligendum. Sic *testes* ad populum vocantur Apostoli, Act. 13. v. 31. & cap. I. v. 8. *eritis mihi testes*, id est, prædicabitis in Jerusalem & in omni

omni Judæa & Samaria, usque ad ultimum terræ. Neque verò, licet floccifecerint prædicationem auditores Noe universam ante diluvium, haut tamen ipsam personam Noe infestant, quemadmodum Judæi conati sunt Salvatorem nostrum cum testimonio illius profus delere, tantum autem abfuit, ut delere istud potuerint eum *mortificantes carne*, ut potius *vivificatus spiritu*, simul ac illum mors occupavit magis illustrarint, siquidem in obitu mox malignis simul omnibus geniis ac animabus impiis in inferno detentis sese velut supremum judicem totius prioris mundi ostentaverit, quæ genuina est hujus versiculi enodatio. Quin & ipsum *Evangelium* vocatur nonnunquam testimonium, uti patet è verbis Johannis Apocal. i. v. 9. fui in Insula Pathmos propter verbum Dei & testimonium Jesu Christi, hoc est, propter Evangelium. Item I. Cor. 15. v. 14. & 15. Si Christus non resurrexit, inanis est prædicationis nostra, inanis est & fides vestra: invenimur etiam falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus DEum, hoc est, inane erit nostrum Evangelium. Et eo sensu capiendus est versiculus cap. 4. Petri v. 5. 6. *Propter hoc enim & mortuis evangelizatum* (mortui convicti sunt veritate hujus judicii) de judicio mortis super omnem carnem id illustrat, quoniam moriuntur quidem quatenus sunt homines in carne, vivunt autem Dei potentia conclusi quod attinet ad eorum animam: hoc sibi verba volunt Petri, *ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in Spiritu.* Nam particula *ut* sive *ὡς* quæ sæpius idem est, quod *cum* vel *quia* omninò sic hoc loco intelligenda est, quia homines nulli judicium DEI effugiunt, sicut opinabantur in diebus Noë, & hodie dum adhuc opinantur impii, sed vivi etiamnum ratione animæ suæ in manu DEI sunt. Eo modo confirmat superiorem nostram explicationem S. Petrus. Sic enim vox *ὡς* usurpatur Joh. 17. v. 1. Pater venit hora, glorifica filium tuum, *ὡς* καὶ ὁὗς οὗς δοξάσῃ σὺ. *Quia* & filius tuus glorificat te. Ibidem v. 3. de sanctis jam beatorum gregi additis atque in Dei cognitione confirmatis.

Hæc

Hæc est autem vita æterna *ἵνα γινώσκωσι σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν* quia cognoscunt te solum DEum & quem misisti JESum Christum. 1. Cor. 4. v. 3. itidem, Mihi pro minimo est, *ἵνα ὑφ' ὑμῶν ἀνακριθῶ*, cum à vobis judicor. Iterum Joh. 16. v. 32. Instat tempus & jam adest, *ἵνα σκοπισθῆτε*, quando dispergimini unusquisque in sua, me relinquentes. Iterum Joh. 15. v. 8. In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum feratis & efficiamini discipuli, id est, *quando* fructum plurimum fertis, tunc glorificatur cælestis pater. Similiter 1. Joh. 4. v. 17. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, hoc est, *quia* fiduciam habemus in die judicii, per hoc perficitur charitas in nobis. Nihil hinc impedit, quo minus dictum Petri versiculum sic reddamus: *Propter hoc & mortuis evangelizatum*, propter hoc mortui sunt testimonio de Christo judice confusi, *quoniam mortis quidem judicio sunt extincti in carne, vivunt vero quod ad animam eorum attinet adhuc DEo*. Nam ita esse versum capiendum connectio ipsa docet textus, dum in præcedente v. 5. 6. *Reddent rationem ei qui paratus est judicare vivos & mortuos* ait Petrus, addens mox: *propter hoc enim & mortuis evangelizatum est, quoniam judicantur quidem secundum homines in carne, vivunt autem secundum DEum in Spiritu*, addit confestim v. 7. *omnium autem finis appropinquat*, aperto documento non nisi de potestate loqui Apostolum judicantis Domini, cujus vindictam ne in ipsa quidem morte effugere possunt deistæ, quippe in cujus manu anima omnis viventis & Spiritus universæ carnis hominum Jobi 12. v. 10. Sive ergo vivimus sive morimur Domini sumus, Rom. 14. v. 8. Quando quidem omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò male egerunt in resurrectionem judicii, Joh. 5. v. 28. Neque ipsi hic infernales Spiritus excipiuntur, uti ecclesia istud solenni celebrat cantu, *quem tremunt impia tartara, colit quoque quem & abyssus infima*, cuius ultimi judicii ideam moriens dedit Dominus in ipsa adhuc cruce, uti S. Petrus istud graphice est testatus.

NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Octobri, MDCCII.

ROSTOCHII

Die 6. Sept. sub Præsidio Jo. Fechtii, S. S. Theol. Doct. Ejusdemque Prof. Publ. Ord. Consist. Ducal. Assessoris, & Distr. Rostoch. Superintendentis, Dissertationem Theologicam, de *Studii Biblici cum Systematico Connexione, hujusque divinâ Origine*, publicè ventilandam proposuit *Hermannus Müller*, Riga Livonus. (5. plag. in 4.)

In hac Disputatione Auctor (1) docet, quanquam præter Scripturam S. plurimi sint libri sacri ex ipsâ Scripturâ summò studio deducti, tamen his ipsis, quantalibet sanctitate præfulgeant, Scripturæ lectionem præferendam esse, *partim* quia Scriptura sola fundamentum ultimum & immotum est, cui tota fides nostra, reliquique sancti libri innitantur, §. 1. *Partim* quia sola Scriptura S. nativam veritatis puritatem in se complectitur, cum reliqui sacri libri omnes, quicquid puritatis habent, ex Scripturâ, tanquam fonte habeant, à quâ aliquando ob humanæ naturæ labilitatem recedere possunt, §. 2. *Partim*, quod insitam Scriptura habeat efficaciam, animum hominis, cum legitur, ad res spirituales commovendi; qualis nullis aliis scriptis, nec nisi participativè, in quantum Scripturam, in aliquâ parte sic tractatam, complectuntur, competit, §. 3. *Partim*, quod innumeris admonitionibus & mandatis ad legendam Scripturam compellamur, qualia de reliquis libris sacris nunquam leguntur, §. 4. Agnovisse hujus thesæos veritatem *D. Martinum Lutherum*, qui ideò optaverit, plerosque alios libros, etiam suos, perire, & vel solam remanere Scripturam, §. 5. Quod tamen de moderatione potius scribendi libros, quam de abolitione eorundem omnimodâ intelligendum

gendum esse, ex eodem *Luthero*, & aliis argumentis confirmat, §. 6. & 7. Quo ipso porro & (2) ostendit, reliquos libros sacros, nominatim Systematicos, à Scripturâ adeò non absorberi, ut potius Scriptura, & per Scripturam Deus hos ipsos requirat, adeoque hi Divinam habeant originem. Probat hoc (α) quia Deus non solam Scripturam nobis legendam proposuit, sed etiam Ministerium Ecclesiasticum instituit, quod Scripturam variè interpretaretur, doctrinasque ad salutem necessarias ex eadem educeret, illustraret, vindicaret & applicaret ad pietatis usum. Hos autem actus producere id, quod nos Systema vocamus, §. 8. Probat (β) ex divinitus constituto ordine, in Scripturæ lectione & tractatione observando, cum non nuda lectio, sed lectio cum scrutinio & accuratâ totius contextus consideratione conjuncta à Deo requiratur, hunc autem ordinem & hoc scrutinium nemo felicius quam Ministerium Ecclesiasticum obire possit. Systemata verò omnium perfectissimum observati hujus ordinis specimen repræsentare, §. 9. Probat (γ) ex præceptâ divinitus, sicut in Ecclesiæ ritibus, ita quoque in tradendis divinis mysteriis *ταΐς*, sine quâ doceri omnino, aut rectè doceri cum fructu non potest, §. 10. Quod confirmat verbis *D. Davidis Chytræi*, §. 11. Concludit Systemata Theologica Divinam habere originem, & nexum cum Scripturæ lectione indivisibilem. Et, si quis ex Systematum lectione occasionem summat Scripturam negligendi, id ex accidenti esse, §. 12. Monet denique, falsum esse, quod à Professoribus Academicis maxima Theologiæ Systemata ejusdem tyronibus, qui vix primis labris sanctæ artis elementa degustant, commendentur. Aliud clamare Theologiæ methodos, à Doctoribus confectas. Quamquam pro viribus quilibet suis anniti debeat, ut in Compendiis non subsistat, sed quousque potest, provehatur, §. 13. Et quamquam Systematum non una eademque sit ratio, nullam tamen hactenus causam sufficientem adductam fuisse, cur in se illa contemni & Studiosorum ludibrio, quod

quod faciant Novatores, exponi debeant. Laudat suo merito *Locos Theologicos Gerbardianos*. Tandem asserit, illa, quæ à Fanaticis in vulgaribus Systematibus desiderentur, nihil arguere nisi virulentum erga innocentes libros odium, defectusque iis objectos fingi potius, quàm probari, §. 14.

Die 29. Sept. *Christianus Hiltbrandus*, Log. P. P. & Facultatis Philos. Senior, hodieque Acad. Rector in Festum Michaëlis Programma publicavit. (1. plag. in 4.)

Sub finem mensis Sept. *Georgius Frid. Niehenck* / Rostoch. S. Theol. Licent. Germanicum edidit Scriptum, cujus inscriptio est sequens: **Wohlgegründete Schutz-Schrifft** / darinn die lästerliche Charteqve, welche M. Joh. Sigismund Beseiritz zur Vertheidigung Hn. D. Adami Kechenbergs / wieder seine (des Auctoris) Person zu Leipzig herausgegeben / fürklich verantwortet / und zugleich dessen unverschämte Lügen und abscheuliche Lasterungen gebührend wiederleget werden. Rostock / gedruckt bey Johann Weppling / der Acad. Buchdrucker / 1702. (3½ plag. in 4.)

GRYPHISWALDIAE.

Die 4. Sept. Moderatore *Petro Mascovio*, Jcto, Antecessore Ordinario, Consistorii Regii Directore, nec non Facultatis Juridicæ Seniore, & h. t. Decano, Disputationem Inauguralem de *Præscriptione Feudi*, pro summis in utroque jure Honoribus ritè ac legitimè consequendis, publico Eruditorum examini submitit *Petrus Bernhardus Clasen*, Lubecensis. (3½ plag. in 4.)

Tractatio duabus absolvitur Sectionibus, quarum prima agit de Feudo per præscriptionem constituendo, hujusque §. I. ex jure Civili repetit, duo esse præscriptionum genera, longi vel longissimi temporis, hancque iterum duplicem; quarum altera jus plenum seu actionis confert præscribenti: altera jus minus plenum, seu exceptionis, eò quod nil habeat, quo se tueatur præscribens, quàm solum lapsum temporis. Et se in hoc argumento feudali pro diversis casuum figuris intelligere ait Au-

ctor præscriptionem vel *longi* vel *longissimi temporis*, & quidem eam, quæ tam actionem, quàm exceptionem præscribenti pariat & tam adversus *Dominum* quàm *Vasallum*, non minus ac acquisitio ea, quæ fit per investituram. §. 2. Circa feudum per præscriptionem constituendum tres casus probè distinguendos esse scribit, quos etiam allegat. §. 3. Considerat *Formam* hujus præscriptionis, quorū *primò* pertinet, ut non modò res à præscribente sit possessa; verum etiam, ut certo modo sit possessa, nimirum ut feudum. *Deindè* requiritur ad formandam præscriptionem continuatio ejusmodi possessionis per 30. annos. *Porro* secundum Jus Canonicum bona fides adesse debet, & quidem tam in initio, quàm progressu præscriptionis. Titulus *denique* & investitura præcedens non exigitur, sed ipsa patientia est vice tituli & investituræ. §. 4. Contemplatur *Subjectum* nec non *Objectum*, & circa hoc præcipuè inter Doctores controverti asserit, quanto temporis spatio possessio debeat esse continuata, ut rebus *Ecclesiæ* feudalis qualitas inducatur. Vbi quidem *Vultejus*, *Ludwellus*, *Carpzovius*, *Finckelthufius*, & *Dn. Stryck* triginta annos, etiam in re Ecclesiasticâ, sufficere existimant; ast *Schneidewinus*, *Duarenus*, *Schraderus*, *Rittershusius*, *Mynsyng*, *Rosenthal*, *Struvius*, & *Coccejus* respiciunt ad jus civile commune quadragenarium tempus Ecclesiæ indulgens. Et horum rationes fortassis palmam obtinere statuit Auctor. *Regalia* per statum imperii aliamque personam publicam adversus alteram paris dignitatis, ordinario tempore in feudalibus recepto: ast à privato contra superiorem, non nisi immemoriali: contra alium privatum verò itidem 30 annis jura ejusmodi eximia, v. gr. *Venandi*, *pedagii*, in feudum præscribuntur. §. 5. sistit *Effectum* præscriptionis, qui in eo conspicitur, quod feudum præscriptione acquisitum naturam habeat veri & proprii feudi. Et quod præscribentem non minus quàm alium quemlibet Vasallum, Domino aut Vasallo mutato, investituræ renovationem petere, & juramentum fidelitatis subire oporteat.

§. 6. Ad *Dissentanea* spectare ait, quod restitutio in integrum ex capite ignorantiae contra praescriptionem semel completam impetrari non possit. *Item*, quod ad praescribendum sufficiat notitia Ministrorum Principis, si vel maxime Princeps, feudi Dominus, ignoraverit. Sectionem *primam* ita pertractam excipit *secunda*, quae agit de *Feudi jam constituti Dominio utili vel directo praescribendo*. Quanam praescriptionis hujus sint requisita. §. 7. docet, commemorans simul varios casus hoc in capite considerandos. §. 8. Ostendit, quod *Dominus* contra vasallum dominium *utile*, vel potius amotionem ejus, seu libertatem feudi praescribere possit, ita ut rem olim in feudum concessam pleno jure recuperet, & quod hac in re praecipue bona fides spectanda sit. §. 9. Afferit, quod *Tertius* feudum, vasallo id negligente, per 30. annos bona fide, ut feudum, possidens, itidem illud contra verum vasallum praescribat. §. 10. Meminit *Dominium Directum* a *vasallo ipso* non aliter praescribi, quam (1) per interversionem possessionis domini directi, quando nimirum in possessione libertatis per 30 annos, & quidem bona fide, quae ex lapsu tanti temporis praesumitur, se constituerit, vasallum se negando, acquiescente Domino. (2) dicit per recognitionem domini utilis ab alio bona fide factam, accedente legitimo tempore, vasallum dominium directum novo isti domino acquirere, modo sciverit hoc prior feudi dominus, quod vasallus alium recognoverit. §. 11. Perhibet, quod *Successor vasalli universalis*, si ipse rem retineat, *ignorans* eam esse *feudalem*, ne quidem ex sua persona praescriptionem directi domini inchoare possit, si vasallus antecessor ut *allodiam* possidere jam coepisset mala fide. §. 12. & 13. explicat, an *Successor singularis*, in quem illicite vasallus feudum alienavit, ullius temporis praescriptione directum dominium acquirere possit? §. 14. docet, *Tertium*, bona fide possessionem feudi adeptum, praescriptione ordinaria juris communis, decem sc.

annorum inter præsentēs, & viginti inter absentes, illud acquirere. Tandem *quinque* annectuntur *Corollaria*.

Postquam Disputationis summam hactenus dedimus, Candidati vitam paucissimis attingere placet. Natus scilicet ille est *Lubeca* an. 1675. d. 22. Julii Parente *Petro Clasen*, Jcto, & Serenissimi quondam Saxoniae, Angriae & Westfaliae Ducis Consiliario Aulæ ac Regiminis primario. Positis primùm in Gymnasio *Lubecensi*, in scholâ deinde *Racoburgensi* oppidanâ, & tandem sub privatissimâ Præceptorum institutione, studiorum fundamentis, an. 1693. ad *Jenensem* Academiam profectus est. Hic quum per biennium, & quod excurrit, hæssisset, *Lubecam* quidem repetiit, sed sesquiannò exactò *Jenam* redire placuit, ubi & per triennium fermè iterum substitit. Postquam an. 1699. hinc discessisset, & in urbe patriâ per annum commoratus esset, ad Imperialem Cameram *Wetzlariensem* sollicitandorum, ut vocant, processuum causa, concessit. Finitis *Wetzlaria* negotiis per *Hassiam* & Ducatum *Brunsvicensem*, salutatis tamen *Giessemi*, *Marpurgensi* & *Helmstadiensi* Academiis, ad Penates suos rediit.

REGIOMONTI

Die 2. Sept. M. *Arnoldus Henricus Sahme*, Regiomont, Prussus, Respondente *Jo. Frider. Fischer* / Morung. Prusso, Disputationem priorem habuit de Comitibus Palatinis, *des Reichs-Hoff-Graffen*. (3. plag. in 4.)

In hujus Disputationis §. 1. varias significationes vocis *Comitis* evolvit: & posteaquam ex historia ostensum esset, quâ nimirum ratione vox hæc nomen officii sit facta, explicatur quisnam hodie propriè dicatur COMES? videlicet: *qui de Comitatu a Principe est investitus*. §. 2. Considerat germanicam vocem *Grass* / & fusè inquirat quænam sit hujus vocis origo? Tandem ex verissimis argumentis concludit vocem hanc *Grasse* ab origine ita natam, non autem factam, aut aliunde derivatam esse, sed originaliter *Judicem* denotasse.

notasse. Quâ occasione simul mentio injicitur der *Cente-Gräffe* / *Bo-Gräffe* / *Frey-Gräffe* / *Salk-Gräffe* / quorum omnium definitio simul proponitur. §. 3. *Varia Comitum genera, Landgravios, Marchgravios, Burggravios & Pfaltzgravios seu Comites Palatinos* proponit, & ostendit unde *Pfaltzgravii* nomen derivandum sit? Tum *duo esse Comitum Palatinorum genera* refert. *Unum* quod ad *Classem potentissimorum Principum* refertur, quique de *Palatinatu* sunt investiti, sicuti in *Germania* die *Pfaltz-Grassen am Rhein* / in *Polonia* *WOJEWODAE &c.* *Alterum*, quod illis competit, qui titulo tantum eines *Pfaltz-Grassen* fulgent; ast *de Palatinatu* investiti non sunt, & de his præsens *Disputatio* agit. §. 4. *Varios Comitum Palatinorum titulos* proponit, nimirum quod dicantur: *Comites Palatini Casarei, Comites S. Palatii Lateranensis, Comites Aulae Casareae, Comites Imperialis Consistorii, Comites Curiae Casariae*, imò simpliciter etiam *Palatini*. Germanicè non *Pfaltz-Grassen* / sed *des Heil. Römischen Reichs Pfaltz-und Hoff-Grassen* / vel etiam simpliciter: *Reichs-Hoff-Grassen*. Additur etiam ratio cur ita salutentur? & deinde ostenditur quâ ratione *Comitivam illam dignitatem* obtineant? nempe (α) *per publicam professionem* seu lectionem *LL. Imperialium* per *XX. annos*; quæ tamen sententia ab aliquibus meritò in dubium vocatur, quoniam non desint exempla eorum, qui se post *XX. annorum professionem* *Comites Palatinos* scripserint &c. §. 5. Ostendit (β) *alterum modum* comitivam dignitatem obtinendi, & simul inquirat quis *Imperatorum Rom.* primò omnium *Comit. Palatin.* creaverit? Ulterius indagat, quoniam hodie *Comit. Palatinos* creent? videlicet *Imperator Rom. & Papa*. Reliqui *Principes* qui absoluti sunt domini etiam quidem *Comites Palatinos* creare possunt, si volunt, at tamen hactenus hoc regale non exeruere. §. 6. Exponit, quoniam ad *Comitivam hanc dignitatem* admittantur? §. 7. *Primum* proponit *jus Comitibus Palatinis à S. Casarea Majestate* concessum: nempe *Facultatem creati Notarios Publicos*, & simul *varia de Notariis Publicis* proponit collectanea. §. 8.

Recenset secundum privilegium Comitibus Palatinis concessum, nempe: *Potestatem illegitimos & Spurijs legitimandi*, & simul alia curiosa ob oculos ponit. §. 9. Tres quæstiones considerat (1) *An Comites Palatini etiam Principum, Comitum, Baronum atque Nobilium liberos illegitimos legitimare possint?* (2) *An Comites Palatini omnes Spurijs sine discrimine, etiam ex incestu progenitos, legitimare possint?* & (3) *an Comites Palatini proprios extra legitimum thorum natos liberos legitimis possint restituere natalibus?* §. 10. Docet quod Tertio Comitibus Palatinis concessum sit jus curatores & Tutores constituendi, confirmandi, nec non justis ex causis iterum removendi & deponendi. §. 11. Ostendit quod etiam Comites Palatini habeant jus veniam ætatis concedendi.

Die 5. Septembr. sub Præsidio Zach. Hefs, V. J. D. & P. Publ. Respondente Georg. Frid. Segers, Reg. Boruss. Diff. Juris de *Venatione juxta Jus Germ. prior; posterior vero ejusdem argumenti sub eodem Præside*, Respondente Job. von Sanden / Heiligenbeil, Boruss. die 8 Septembr. habita fuit. (6. plag. in 4.)

Utraque Dissertatio idem pertractat argumentum, & divisa est in II. Capita. In primo, *justitia venationis non ex necessitate seipsum sustinendi*: neque *ex statu bellico inter homines & bruta*: sed *ex licentia legibus non restricta derivatur*, quæ tantisper recta est, donec à Superiore restringatur. *Vtrum occupato fundo simul dominium ferarum ibi commorantium acquiratur?* discussis rationibus negantibus affirmatur, idque rationibus & moribus *Germanorum* convenientius esse demonstratur. Contrarium tamen apud *Ebræos & Romanos* obtinuisse indigitatur. Apud *Germanos priscos* facultatem venandi ab arbitrio universitatis, postea principis dependisse, & in alieno fundo, ut & in banno Ferino principum, regulariter non licuisse; in fundo proprio vero venari fas fuisse ex concessione superioris, sed postea subditis jus hoc recte ademptum fuisse, notatur, ob tranquillitatem & utilitatem Reip. ostenditurque non opus

opus esse ut pro asserendo jure Principis venationem sibi adscribentis, præscriptio allegetur. Ultimo Jus Romanum cum Jure Germanico circa venationem confertur, & differentia utriusque ostenditur, & remissive recensetur quid juris sit in *Prussia* circa venationem. In *Capite secundo Jus venandi à Superiore concessum* consideratur, & quomodo differat à banno ferino; quotuplex sit: quasnam feras capiendi jus ad venationem superiorem, quasve ad inferiorem referendas esse ostenditur. *An concessa venatio sit Servitus realis, an personalis? an vero effectum obligationis tantum involvat?* in utramque partem disceptatur & deciditur, jus venandi intuitu Principis esse regale: intuitu subditorum, *singulare aliquod jus*, affinitatem habens modo cum servitute reali, modo cum personali. Ostenditur porrò quibus personis concedi soleat, & quid observandum sit in concessione venationis precaria. *Quæstio, an fundo vel sylva simpliciter in feudum concessa, venatio simul concessa sit?* neg. etiamsi fundus cum omnibus redditibus sit datus, vel cum omni jure quod concedens ibi habuit; nisi concessus sit *Herrlichkeiten*; Expressione unius regalis, v.g. *meri imperii, venandi jus* non comprehendi ostenditur, nisi speciali Regalium quorundam concessioni clausula generalis annexa, vel ab eo, cui quædam Regalia sunt concessa, jus venandi olim exercitum sit. In utramque partem disputatur, *an Venatio præscriptione contra Principem acquiri possit*, & negativa sententia rationibus & testimoniis DD. comprobatur. *An, quando & quomodo privatus privato jus venandi cedere possit docetur*, & quod princeps jus convenandi in subditorum agris non habeat, nisi agri privatorum publicis sint intermixti. Porrò demonstratur, quod, qui majores feras capere potest, non statim minores, & vice versa, venari possit: quod venatio simpliciter & indefinite concessa jus capiendi feras majores non inferat: quod, qui jus venandi feras majores habet, non mox sclopētis venari possit, nisi ita quoque sit concessum, & vice versa, quod, qui sclopētis recte venatur, non etiam retibus

& canibus venari queat. Idem in venatione præscriptione acqvisita determinatur, ut unus venationis modus, v.g. per *retia*, præscriptione acqvisitus, non sit extendendus ad venationes quæ fiunt per canes. *Quo tempore, quo loco, venari jus sit, & quomodo feras vulneratas insectari liceat: item quibus remediis juris venatio quæretur & defendatur ostenditur, doceturque quod, qui jus venandi sibi competere asserit, titulum probare debeat, & quid in probanda quasi possessione venationis observandum sit monstratur, tandemque subjicitur, quibus modis jus venandi amittatur.*

Die 6. Sept. M. *Johannes Engelbrecht*, Schiffenb. Pruss. Respondente *Johanne Bernb. Hahn*, Persk. Pruss. de *Oratore ex veris bene concludente* disputavit.

Die 7. Septembr. prodiit Disputatio Theologica, de *Scripturâ divinitus inspiratâ, & sufficienter utili, secunda*, ex dicto 2. Timoth. III, 15. 16. 17. (*prima* vid. mens. Jan. p. 14. seq.) quam Præside *Godofredo Wegnero*, S. Theol. D. ejusque Prof. Publ. Ord. ut & Concionatore Aulico Regio Secundario, examini publico Eruditorum subjecit *Philippus Ruhig* / Insterburg. Prussus. (4½ plag. in 4.)

Postquam in *primâ* Disputatione *Sectionem I.* absolvit, in hâc *Sectionem II. Problematico-Elencticam* pertractat, & quidem ita, ut dubia textualia, cum ceteris difficultatibus, quæ ob prolixitatem in *sectione primâ* expediti non potuerunt, proponat, atque interpretum non tantum dissensum ostendat, sed etiam quid verum, ac menti Spiritus S. congruum, eruat ac demonstrat, & falsitatem sententiarum destruat ac refutet, idque per quæstiones aliquot præstet, quarum I. *An potior Scripturæ, an Papa autoritas?* Qv. II. *An per ipsa γράμματα sola V.T. Scriptura intelligatur?* negatur contra *Estium*, *Bellarminum*, *Tiletanum*, *Hayum*, & alios. Qv. III. *An Sacra Littera hominem possint sapientem reddere ad salutem?* affirmatur contra *Pontificios* *Scriptores*. Qv. IV. *Cujus Idiomatis aut Lingvæ grammata intelligantur?*
Resp.

Resp. respectu V. T. *Hebraea*, paucis in Jeremiâ, Daniele & Esdrâ exceptis; respectu autem N. T. *Græcâ*. Qv. V. *Vtrum Syncategorema Omnis collectivè, an distributivè sumendum sit?* Resp. potest h. l. in hujusmodi ampliacione accipi, ut & totam & omnem solam Scripturam denotet. Qv. VI. *Vtrum ambitu vocis Omnis Scriptura N. T. comprehendantur?* Resp. Intelligitur voce Omnis Canon Scripturæ N. & V. T. Qv. VII. *Vtrum sub illo ambitu etiam libri Apocryphi contineantur?* Negatur. Qv. VIII. *An res omnes in Sacra Scriptura contenta ex Divinâ inspiratione scriptæ sint?* Affirmatur. Qv. IX. *An etiam singula verba inspirata & dictata sint à Spiritu S.?* Affirmatur.

Die 23. Septembr. Præses M. Fridericus Stadtlender / Regiom. Pruss. Exercitationum Philosophicarum, de *Requisitis ad Virtutum moralium acquisitionem necessariis*, tertiam proposuit Respondente Georg. Christoph. Grube. (prima vid. mens. Febr. p. 45. ; secunda autem mense Majo, p. 141.)

Ultimum Disputatio hæc complectitur Requisite, ipsam sc. *assuetudinem*, quæ in bonarum ac honestarum actionum frequenti exercitio consistit. Et cum reliqua secundum quid saltem sint necessaria, & causæ remotæ ac minus principales, tertium hoc absolute atque simpliciter esse necessarium asseritur, quod & nonnullis evincitur ac demonstratur rationibus.

Die 28. Septembr. Conrad Stein / J. V. D. (cujus N. L. Anni 1702. p. 98. mentionem faciunt.) pro receptione in Facultatem Juridicam Disputationem de *Officio Advocati*, Respond. Georg. Momann / Regiom. Pruss. (3. plag. in 4to) ventilavit. Disputatio in tria *Capita* est divisa. *Cap. 1.* Generalia circa Rubri significationem exhibet. *Cap. 2.* Officium advocati in litibus suscipiendis observandum sistit. *Cap. 3.* Officium advocati in litibus susceptis bene peragendis exercendum exponit.

Die 31. Sept. Præses paulò ante dictus, Respondente Friderico Danovio, Loezâ Prusso, Disputationem quartam & ultimam de *Requisitis ad Virtutum Moralium acquisitionem necessariis* ventilavit,

In tertiò requisitò adhuc occupatur, inqvirendò in actiones quales esse debeant. Malas excludendas esse ostenditur, quæ tantum abest ut generent, ut potius corrumpant virtutes, vitiaque inducant. Occurritur uni ac alteri Objectioni. Malæ proinde cum profus hinc exulent, bonas requiri docetur. Quæ verò illæ sint porrò investigatur, easque hinc nomine dignas esse dicitur, quæ ad auream mediocritatis regulam informantur. Moventur denique coronidis locò nonnullæ quæstiones: *An scil. Virtus moralis unicâ obtineri queat actione? Neg. Quodnam sit signum ex quò Virtutis habitus acquisitus aut non acquisitus judicari possit? Putatur hoc esse voluptas atque dolor Vtrum paululum à mediò citra vitium & vituperationem recedere licitum sit? Affirm.*

VPSALIAE.

Haud ita pridem *Olaus Rudbekius*, inclutus Svecorum Historicus, viventium numero ereptus est, cum ultra septuaginta annos vixisset.

Lucem publicam vidit *Dissertatio Medica*, *Vrsum* breviter delineans, quam sub Præsidio Doct. *Laurentii Roberg*, Med. Theor. & Pract. Prof. Reg. & Ord. Eruditorum examini stitit *Jacobus Sibberg* / Smoland. (4½ plag. in 4.)

§. 1. Exhibet Auctores quosdam qui de *Animalium naturâ* scripserunt. §. 2. Occasionem præsentis Disquisitionis Academicæ tradit, quæ sc. urfini cadaveris dissectio, brevi antè *Vpsalia* facta. §. 3. Sistit *Synonymiam & Homonymiam*, & §. 4. *Etymologiam* vocabuli *ursi*, qui dicitur vel ab *urgendo*, quod animalia *urgendo & impellendo* prosternat, vel à *villosâ hirsutie*, sicut & Græcis *δαούριον*, pilosus, audit, vel juxta *Isidorum*, *ursus* dicitur quasi *orsus*, scilicet in ventre & extra ventrem linctu completus, ut vulgò creditur, &c. §. 5. Docet, *ursos* reperiri in *Africâ* rariores; nullos verò in *Cretâ & Angliâ*, contra iisdem abundare *Alpinas Helvetie rupes, Herciniam* aliasque *Germanie sylvas, Lithuaniam*, nec non *aquilonarem partem à Tartaris*

taris habitatam, *vastas Moscovitarum sylvas, & plagam septentriona-*
lem. §. 6. Vrsum describit, *quod sit animal viviparum, quadrupes,*
unguiculatum, dentibus incisivibus in utraque maxillâ quaternis, car-
nivororum, deniqvè è felino genere. Huic descriptioni addit ursini
 corporis figuram in Tabulâ depictam. §. 7. 8. & 9. Consi-
 derat dicti corporis *structuram externam*, videlicet pilos, cutem,
 manus pedesqve, ungvès, dentes, occiput, thoracem, col-
 lum, os femoris, nares, mammas & caudam. §. 10. & 11. *De*
structurâ internâ dicit, nempe de omento, hepate, fellis ve-
 siculâ, œsophagò & ventriculo, liene, renibus, genitali, utero,
 pulmonibus, corde, asperâ arteriâ, lingvâ, craniò, cerebrò,
 glandulâ pineali, oculis, & tandem de urforum excrescentiâ,
 ejusqve tempore & causâ. Hinc percurrit ea, *qua mores indo-*
lemqve urfi spectant, & describit §. 12. eorum domicilium, ini-
 biqve latitationis tempus, libidinem & cibum, §. 13. hujus cibi
 facultatem, urforum congressum, ac partum, §. 14. concerta-
 tiones & pugnas eorum cum taurò, vaccâ, eqvò, suisqve feris.
 Hic etiam meminit, *quod homines non temerè aggrediatur,*
 & ex *Historiis Danicis* refert, *quod ursus ex puellæ formosæ ra-*
ptore amator factus sit. §. 15. Sistit prælia inter urfos homi-
 nesqve, nec non eorum venationes, & *quomodo illi adversus*
venatorum vim & insidias sese gerant, breviter explicat. §. 16.
 Cûrurati urfi mansuetudinem contemplatur. §. 17. Disserta-
 tionis finem facit, addens simul historiam de homine à primo
 ortu inter urfos educato, & an. 1661. in Lithuano-Grodnen-
 sibus sylvis reperto.

HAFNIAE

Collegium Elerstanum, de quo N. L. 1700. p. 333. B. G. Eleri,
 S. R. M. Dan. & Norv. Consil. Status, Justitiæ & Camerae &c.
 atqve uxoris *Annae Margaretae Wandalinae* munificentia ac pietate,
 haud ita pridem, in plateâ Canonicorum, è regione Collegii
 Regii cœptum est exstrui, curante *D. Joh. Wandalino*, SS. Theol.
 Prof. Prim. &c. testamenti executore, & primo Collegii fu-
 turi Directore à B. Testatore instituto, jactis 7. Septembr. à

D. Cassp. Bartholino, Vniversit. p.t. Rectore, & laudato *D. Wandalino* primis ædificii fundamentis. Isto autem tam splendido Collegio, sedecim omninò Studiosorum habitationi ac studiis destinato, post tot alia, quibus hactenus gaudet, *Collegia*, *Regium* 80, *Walkendorpianum* 16, *Mediceum*, seu *Borrichianum* 16, itidem civium domicilia, post tot item *stipendia*, *Regia*, *Frisianum*, *Scheclianum*, *Rosenkrantzianum*, *Winstrupio-Resenianum*, *Brochmannianum*, *Hopnerianum* &c. aucta Vniversitas Hafniensis, citius Stipendiarios, quàm stipendia videtur desideratura.

D. Bartoldus Botfaccus, S.S. Theol. Prof. Reg. Honorar. & Consistorial. Havn. nec non ad *D. Petri* Pastor, Homilias, de *Peccato in Spiritum S.* habitas, publicæ luci exposuit, sumtus subministrante *Christoph. Frid. Sichel* / Bibliopolâ Brunsvicensi. Germanicus titulus ita legitur: *Die Sünde in den Heil. Geist / in etlichen Predigten erläutert von Bartoldo Botfacco &c.* 1702.

Sumtibus *Joh. Melch. Lieben*, Bibliopolæ Hafniensis, sequentes libri prodierunt:

1. *D. H. Godofr. Masü* 2. Bücher von der wahren Selbst-Verleugnung. (in 8)
2. *M. Ernesti Christ. Baldichs* *Sabbatum anima sanctum*, i.e. Die heilige Seelen-Ruhe / in unterschiedlichen andächtigen Betrachtungen. (in 8.)
3. Der fertige *Secretarius*, durch *P. Canel* in Französischer Sprache erstmah! herausgegeben / nunmehr aber ins Teutsche übersehet. (in 12.)
4. *Joh. Mouloni* nova & accurata methodus brevi temporis spatio Lingvam Gallicam discendi. (in 8.)

FLENSBURGI.

*Series Rectorum
Scholarum Flensburgensium,*

I. *Mariane Parochialis,*

Nicolaus Thoma, circa A. 1487.

Thomas

Thomas Jacobi, circa A. 1502.

Johannes Petri, circa A. 1509.

Nicol. Johannä, Hatherslebiensis, Presbyter, circa A. 1513.

Fuit is deinde, ab A. 1527, primus Ædis Marianæ Pastor Lutheranus, Præpositusq; Ecclesiarum Sundevithensium. Obiit A. 1561.

M. Georg. Stammichius, Brunsvicensis, circa A. 1553. Discessit A. 1557, & ab isto tempore, Ædis in Civitate patria Brunsvicensi Catharinæ, ab A. 1572. autem Parochiæ Hamburgensis itidem Catharinæ, egit Pastorem, simulqve, ab A. 1593, primus Ordinis Ecclesiastici Hamburgensis fuit Senior, ac d. 21. Febr. A. 1600. est extinctus.

Georg. Sartorius, seu *Schröder*, Felsteda Cimber, Scholæ Ottoniensis in Fionia, ab A. 1558., Flensburgensis autem Marianæ, circa A. 1560. & 1561. Rector, tandem vero Ecclesiæ Felstedensis patriæ, in Agro Tunderensi vicino, circa A. 1575. & 1580. Parochus.

II. *Nicolaitana Parochialis.*

Laurentius quidam, circa A. 1504. Reliqui ignorantur.

III. *Publicæ rotius*

Civitatis a Ludolpho Naamani, Monacho Ord. Min. pio ac erudito, ex Parentis sui, *Naamani Johannis*, Civis honesti, Bonis A. 1560. fundatæ, ac A. 1566. apertæ.

1. *M. Joach. Dobbin*, Lubecensis, Scholæ Flensb. ab A. 1566. Rector, ac deinde, in patriâ Civitate Lubecensi, Diaconus ab A. 1568. Marianus, Templi Cathedr. ab A. 1588. Pastor, & tandem Ord. Eccl. Senior. † Vigilia Pasch. An. 1614. æt. 79.

2. *M. Hieron. Herberding*, Lüneburgensis, circa A. 1569.

3. *M. Sebast. Schröder*, Rector usqve ad A. 1571. dein Pastor Nicolaitanus, simulqve, ab A. 1585. Præpositus Flensburgensis. † d. 14. Jul. A. 1593.

4. *M. Thomas Schattenberg*, Hildesiensis, Scholæ ab A. 1571. Rector, Pastor ab A. 1585. Marianus, & tandem, ab A. 1593. Præpositus. † d. 15. Jun. A. 1604.

5. *M. Job. Avenarius*, ab A. 1585. ad 1586.

6. *M. Paulus Sperlingius*, Senior, Eckernförda Cimber, Scholæ Flensburg. ab An. 1586. Hamburgensis autem Johannaæ, ab A. 1591. ad 1619. Rector, simulqve primus, ab A. 1613. Oratoriæ & Poëseos in Gymnasio Hamburgensi (cui, post A. 1619. abdicato Scholæ Regimine, soli infervit) Professor, d. 13. Jun. An. 1633. æt. 73. mortuus: Parens *Pauli Junioris*, Theologi Kiloniensis *πελυμαθεσάτης*, & *Ottonis*, Medici itidem Eruditissimi, sed infelicioris, Avus autem *Ottonis Junioris*, Consiliarii h. t. Danici, & Polyhistoris Eximii. Didacticus suo ævo fuit excellens, &, vel ipso Morhofio (in *Programmate*, quo *Pauli Filii Exequias* A. 1679. indixit, Kiloniensi) Judice, Præceptor optimus, cui similem Germania tunc vix habuit, cujusqve e ludo, velut ex *Equo Trojano*, gregatim procedens, per omnem Germaniam, Daniam, Holsatiam, Sveciam, Virorum Doctorum Populus diffundebatur: Superest, præter Scripta ejus alia, *Scholæ Flensburgensis Administratio*, publica Scholarum autoritate, Witebergæ A. 1589. in 8vo edita, in qua Methodum Præceptorum suorum Argentinensium, *Job. Sturmii* & *Melch. Junii*, Didacticam laudatissimam sequitur, & nostratibus inculcat.

7. *M. Job. Posselius*, Junior, Rostochiensis, Scholæ Flensb. A. 1591. Rector factus, sed paulo post, Anno eodem, Parenti Cognomini, in Lingvæ Græcæ Professione, Rostochi subrogatus, &, una cum illa, Ludi etiam Urbani Rectoratu, ab A. 1605. ad 1615. (quo isto se abdicabat) functus: Vir in Græca imprimis Literatura versatissimus, Felixqve paternæ gloriæ Æmulus. † d. 19. Jun. An. 1623. æt. 58.

8. *M. Job. Angerstein*, ab A. 1592. ad 1597.

9. *M. Frid. Johannis*, Ladelunda Cimber, Scholæ gubernaculis A. 1597. Diaconi autem Ædis Nicolaitanæ Sacro Muneri A. 1600. admotus, Poëta Venæ haud trivialis. † d. 19. Jun. A. 1626.

10. *M. Bernhardus Latomus*, Scholæ Neo-Brandenburgensis

fis in Duc. Megapol., circa A. 1595., Flensburgensis autem, ab A. 1600. ad 1604., Moderator, & in hac *Georgii Calixti*, Theologi summi, Alumnorumque illius omnium Phœnicis, Præceptor, ob industriam & dexteritatem a Discipulo (testibus Vitæ ejus Scriptoribus, *Gerh. Titio* & *Christoph. Schraæro*), grata mente, frequenter celebratus.

11. *M. Joh. Mohlius*, Flensburgensis, Scholæ patriæ ab A. 1603. Conrector, & ab A. 1604. Rector, Diaconus, ab A. 1626., Nicolaitanus, & Pastor tandem, ab A. 1630., Marianus. † d. 17. Jan. A. 1642., æt. 68. *Elementa Lingvæ Latine & Vocabularium* A. 1614., *Quæstiones autem Grammaticas Latino-Saxonicas* pleniores A. 1617., Typis Hamburgensibus, in Athenæi patrii usum, Magistratus jussu, edidit.

12. *M. Simon Henrici*, Kiloniensis, Scholæ Flensburgensi A. 1626. præfectus, & Diaconus dein, ab A. 1630., Nicolaitanus. † A. 1634., æt. 37.

13. *M. Georg. Lossius*, Scholæ, ab A. 1630. ad 1653., præfuit, & deinde in Parochiæ Ruris vicini Treyanæ Pastoratu consenuit.

14. *Joh. Vorstius*, Wesselburia Dithmarfus, Theol. Lic. Alumnorum in Acad. Rostochiensi Holsaticorum, ab A. 1649., Ephorus, Scholæ autem Flensburgensis, ab A. 1653., & dein, post transitum ad Ecclesiam Reformatam, Gymnasii Svevo-Coloniensis, ab A. 1660., Rector, simulque Bibliothecæ Electoralis Brandenburgicæ Præfectus. † d. 4. Aug. A. 1676., æt. 53. Polyhistor, ob Eruditionem omnigenam, Merita Ingenii proprii, Sacra, Philologica, Philosophica atque historica, numerosa pariter atque luculenta, per univèrsam Orbem Literatum, inclutus.

15. *M. Carolus Schröder*, Islebia Saxo (Pastor antehac Barsonensis in Livonia), ab A. 1661. † d. 26. Jul. A. 1678.

16. *Eberhardus Vette*, Flensburgensis, Scholæ Patriæ, ab

A. 1671., Conrector, &, ab A. 1678., Rector. † d. 27. Jun.
A. 1701., æt. 60.

LVBECÆ.

D. Georg. Henr. Goetzius, Superintendentens Lubecensis, Homilias, primâ & secundâ Pentecostes Feria in templo B. Virginis Mariæ è suggestu recitatas, qvum demandatum sibi Superintendententis munus aufpicaretur, edidit. Germanicus titulus ita habet: *Lübeckische Pfingst-Arbeit / am ersten und andern Pfingst-Feste / nach Anleitung derer ordentlichen Fest-Episteln / Act. II, 1-13. X, 42-48. bey dem Antritt des Ihm angewiesenen Lehr-Amptes / den 4ten und 5ten Junii, Anno 1702. in der Haupt-Kirchen St. Marien daselbst / mit Gottes gnädiger Hülffe verrichtet / von Georg Heinrich Götzgen / der Heil. Schrift Doctorn und Superintendenten in Lübeck. Lübeck und Leipzig / in Verlegung Johann Wiedemeyers / 1702. (13. plag. in 4.)*

Accedit Concio Introductoria, qvam M. Balthas. Gerh. Hannekenius, Eccles. Marianæ Pastor, primâ Pentecostes Feriâ ex Joh. XIV. 26. habuit, & sequenti modo inscribitur: Ministerium Spiritus, oder / das Ampt des Geistes / das ist / Christliche Predigt aus dem 26. vers des XIV. Cap. St. Johannis, gehalten zu St. Marien in Lübeck / als der Wohl-Chrwürdige / Andachtige unî Hochgelahrte Herr Georg Heinrich Götzgen / der Heil. Schrift berühmter D. und Annaberg. Superint. zum Superintendenten Ampt daselbst am ersten Pfingst-Feyertage dieses 1702. Jahrs in Volkreicher Versammlung eingewiesen ward; Auff Begehren zum öffentlichen Druck übergeben von M. Balthas. Gerh. Hannekenio, der Kirchen zu St. Marien Pastore. Lübeck / in Verlegung Johann Wiedemeyers / 1702. (5½ plag. in 4.)

Præter has Homilias modò memoratas haud ita pridem prodierunt Rev. Ministerii Lubecensis *Vindicia* Responsi sui, in Controversiâ de *Termino gratie peremptorio*, dati, & à *D. Adamo Rechenbergio* impugnati, qvarum titulus ita legitur: *Schriftmäßige Rettung des Lübeckischen Responsi*, in der entstandenen Streitigkeit des von Gott gesetzten Gnaden-Termins, vor desselbigen

gen so genannten *Schriftmäßigen Prüfung* Tit. Herrn *Adam Rechenbergs* / SS.Theol. D. und Prof.Prim. in Leipzig / angestellet von dem ordentlichen *Predigampt* in Lübeck. 1702. (14.plag.in 4.)

Scripti hujus Auctor, & sententiæ Rev.Ministerii Lubecensis Interpres est *M. Thomas Honstedt*, Templi Cathedralis Pastor, nec non Rev.Ministerii Senior; qui præter *Palastram vere Christianam*, an. 1675. editam, & *Tractatum Theologicum de vitâ fidei* an. 1684 evulgatum, superiori etiam anno 1701. Ministerii nomine publicavit *Scriptum Monitorium*, ut quivis à Reformatorem concionibus sibi caveant, (de quo N. L. dicti anni, pag. 256. mentionem faciunt), & hoc ipso anno ejusdem Ministerii nomine *Explicationem Catechismi Lutheri* ex verbó Divino adornavit, typisque commisit, quæ publicâ Magistratus auctoritate Scholis & Ecclesiis recipi meruit.

Casparis Lindenberghii, Past. Ædis Divi Johannis, ad Henricum Balemannum, Reip. Lubecensis Secretarium, fratrem uterinum, de non contemnendis, ex Lingva Hispanica utilitatibus Theologicis, Epistola.

Miranti tibi sæpenumero, *Frater charissime*, cur ad studium lingvæ Hispanicæ, Theologis saltem non adeo proficux, nunc demum animum appulerim, pro tyrocinii mei tempore quæ pridem tibi responsa dederim, non ignoras. Posteaquam vero qualemcunqve ejus notitiam hausi, ac unum alterumqve auctorem volvere & intelligere prope-modò incipio, mearum esse partium duxi, *de utilitatibus non contemnendis, quæ ex notitia hujus Idiomatis in Theologum redundare possunt*, pluribus certio rem te facere. Est fateor ratio, cur Politicorum non paucos lingvæ hujus noscendi desiderium tenuisse videamus. Cum enim ex reconditis politix arcanis Hispanos & gessisse multa & scripsisse plura compertum sit, non miror, multos sapientiæ Civilis studiosos, apum instar, floribus & pomis istiusmodi Hesperii inhiasse, & populum hunc late Regem, rerumqve Dominum, imò utriusqve orbis

olim arbitrum admirantes, ab illo sibi quod ex usu sit præcipue capiendum existimasse. Etsi vero parem ex lingua Hispanica utilitatem Theologi plerumque sibi non promittant, sunt tamen, quæ & illos ad ejus studium allicere merito possunt.

Primum in confesso est, haud parvi emolumenti in Theologia Exegetica rem esse, concinnam quandam & non hiulcam Bibliorum Sacrorum versionem, utpote ex qua sæpissimè felicius, quam ex voluminosis multorum Commentariis, dubia & intelliguntur & resolvuntur solidè: cujusmodi versiones vernaculas Hispanis non deesse, eruditis constat. Ut taceam antiquissimam illam, quæ initio seculi XV., accurante inter cæteros *Vincentio Ferrerio* Episcopo Valentiano Dominicano, prodiit, de qua *Cyprianus de Valera præfat. Bibliorum suorum Hispan.* * 3. col. a. post. init. *Ho visto, inquit, la Biblia en lengua Valenciana con licencia de los Inquisidores, à cuya traslacion assistió S. Vincente Ferrer que ha mas de ciento y tantos años que se imprimió in folio de papel real: Nec memorem Francisci de Encinas* versionem novi Testamenti, 1542. ad umbilicum perductam ac Carolo V. Bruxellis degenti oblatam, item Doctoris *Joh. Perez*, 1556. typis expressam, & a quodam *Juliano Hernandez* magna copia, nec minori forsan periculo, 1557. Hispalim adportatam ibique distributam, *C. de Valera l. c.* nec Veteris Testamenti illam, quam *R. David Kimchi* adornasse testatur *Hottingerus, dissert. de translat. Biblic in ling. Vernac. p. m. 244.* nec Catalonicam, cujus mentio fit in *præfat. Bibliorum Ferrariensium: quas omnes & alias (vid. Bartoloccij Biblioth. magna Rabbinica T. IV. p. 206. b. 207. a. 212. b. & Menasse ben Israel, in sine præfat. Tr. de resurrect. mort.)* aspicere aut oculis usurpare mihi nondum licuit: duæ mihi sunt versiones Hispanæ apprimis charæ, una *Cassiodori de Reyna*, postmodum a *Cypr. de Valera* interpolata & eliminata, altera Ferrariensis, Judæorum approbante Inquisitione opus.

Primam quod attinet, quanti habenda sit a æquo rerum æstimatore, vel ex eo apparet, quod ab homine doctissimo, provectioris ætatis maturique judicii primum

mun elaborata, idque non ex turbidissimis Vulgatæ lacunis, sed limpidis fontibus Ebraicis, eo studio & religione, ut verissime dicere auctor queat *præfat. p. 4.*: *Con toda la diligencia que nos ha sido possible havemos procurado atarnos al texto sin quitarle, ni añadirle, imo quæ insuper non ut fungus nata, sed duodecim annorum labore eidem confiterit. la obra nos ha durado entre las manos enteros doze años, sacado el tiempo, que nos han llevado o enfermedades, o viajes, o otras ocupaciones necessarias en nuestro destierro &c. l. c. p. 8. init.* Quas ob causas tanto etiam desiderio

& applausu excepta est, ut licet 2600, uti vocant, exemplaria prima vice Basileæ 1569. excusa sint, attamen jam 1602. & magnis sumptibus vix ullum parabile fuerit. Unde fraus, quædam doctissimi Gaffarelli memoratur, qui venditurus hanc versionem Domino Carcavi, regis Christianissimi Regis Bibliothecæ Præfecto, fidem ei fecit, esse hoc Judæorum quoddam illustre & rarissimum opus; nisi & ipse serio hæc locutus, pro versione Ferrariensi, quod suspicor, habuit. *Morery dictionaire historiq; T. IV. p. 255. b. editionis sextæ de an. 1694.* Sed haud parum versionis hujus pretium auctum est, cum Cypr. de Valera, nec is indoctus Hispanus, eandem accuratius elimandam sibi fumeret, & collatis Ebræo Græcoque S. Textu, multisque versionibus aliis, subinde etiam exploratis doctissimorum Virorum judiciis, labori huic iterum viginti annos, ab ætatis quinquagesimo ad septuagesimum usque impenderet, vide *præfationem ejus sæpius citatam f. ** a.* vel eo potissimum nomine à Nicolao Antonio in *Bibliotheca Hispana Romæ 1672. edita*, hanc notam promeritus: *Cyprianus de Valera, infame nobis semper nomen, hereticus Calvinianus &c. part. 1. p. 200. b.*

Ferrariensis autem illa versio, etsi apud plerosque male audiat, præcipue ob rigorosam nimis Textus Ebraici sectationem, quem à verbo ad verbum exprimere, neglecta lingvæ Hispanicæ elegantia, allaborat, qua de causa, *scabra ad modum & inepte superstitiosa D. Korholt de variis Script. S. edit. cap. 24. S. 3.* & doctissimo quondam nostro Pfeiffero *Critica S. cap. 13. S. 2.* dicitur, ab Hispanis tamen ipsis

magni æstimatur, quippe *C. de Valera* non modo dicta : *un gran thesoro de la lengua Española l. c. fol. * 3. col. 1.* sed etiam à *Cassiod. de Reyna* tale nacta encomium : *de la Vieja translacion Española del Viejo Testamento, impressa en Ferrara, nos havemos ayudado mas que de ninguna otra que hasta aora ayamos visto, no tanto por aver ella siempre acertado mas que las otras en cosas semejantes, quanto por darnos la natural y primera significacion de los vocablos Hebreos, y las diferencias de los tiempos de los verbos, como estan en el mismo texto, en lo qual es obra digna de mayor estima (a juyzio de todos los que la entienden) que quantas hasta aora ay. pref. f. ** 3. a. post med.* Vnde etiam plus simplici vice ejus repetita est editio, quippe primam anno Christi 1553. lucem aspicientem *P. Simon histoire Critique du Vieux Testament p. m. 533. b.* altera anno mundi 5390. h. e. Christi 1630. infecuta est (qualem inter meam qualemcunqve literariam suppellectilem numero) quam & alia anno mundi 5416. sive Christi 1656. evulgata excepit. *Bartoloccii Bibliotheca M. Rabbin. T. IV. p. m. 213. a. post. imit.* Cum igitur vel ob unam Æthiopicam, Samaritanam, Armenicam, Sacrorum Bibliorum versionem, inveniuntur Theologi, qui has lingvas addiscant, haud segnius rebus suis consulere mihi videntur, qui ob versiones Hispanicæ, lingvæ huic operam (leviorem saltem & amplioris usus) impendunt; inventuri certe, maxime in sæpe dicta versione *Cypr. de Valera & Cassiod. de Reyna, la Version des scavants & non l' averfion des Scavants, prout de Juniana Bibliorum translatio- ne clarissimum Bocharum quandoque lusisse accepimus.*

Magnæ porro utilitatis sunt in Theologia exegetica Commentarii. Quamvis enim illos loco columnarum Herculis suo NON ULTRA superbientium, nunquam habuerim, quin potius semper astipulatus fuerim verbis *Seneca epist. 33. circa fin: Qui alium sequitur nihil invenit, imo nec quarit - - - Qui ante nos ista moverunt, non Domini nostri, sed duces sunt, patet omnibus veritas, nondum est occupata, multum ex illa etiam futuris relictum.* Cui pollicem quodammodo premit *S. Gregorius in proœmio ad lib. I. Regi Scriptura inquit nunquam fere sic exponitur, ut ei non*
plura

plura remaneant, quæ quotidie exponantur; tantum tamen abest, ut eruditas doctissimorum hominum lucubrationes contemnam, ut potius eis, pro statutis hisce mercurialibus, vias tritas, imo compendiosiores quandoque, ostendentibus, gratias habeam maximas. At vero talibus commentariis præclarissimis, Latinis simul ad vernaculis, Hispanos aburda e ex Val. Andr. Taxandri catalogo clarorum Hispaniæ Scriptorum, Nicolai Antonii Hispanensis Bibliotheca Hispana maxime part. 2. p. 492. ---- usq; 500. Mart. Lipenii Bibliotheca Theologica, Juan Roderigvez de Leon discursu præmiali ad historia real sagrada del Palafox videre licet. Laudare ex his aliquos jam mihi nec locus nec animus est, hoc tamen præterire nequeo, facta mentione Johannis de Palafox y Mendoza, Ecclesiæ Angelopolitanæ in America Episcopi & Archi-Episcopi Mexicani, ut & Vice Regis Novæ Hispaniæ & ejus Visitatoris generalis, ejus commentarium in librum 1. Sam. vernaculum, nunquam sine summa voluptate me legere. Tanta enim in summa brevitate & elegantia & rerum pondere scætet, ut Roderigvez iste l. c. invidendo hocce elogio illum mactare non dubitaverit: Non amulum reperit, nec æqualem.

Conciónatorum & homiliarum agmina si cuiquam Theologorum lustrare volupe est, Angli quidem certant de gloria, certant & Galli & Itali; sed Hispanos si non præripere, dubiam certè illis reddere palmam, cum clarissimis Scriptoribus res ipsa testatur. Antonius in prologo Bibliotheca Hispana fol. 3. col. 1. & 2. hæc habet: *De sacris actionibus (homileticis) cum Italis nobis controversia est. Hi artificio prævalent, rhetoricantur verbis gestuque, ac tota corporis conformatione & motu veterum oratorum imitatores videri volunt: nostrorum strictior nec affectata est eloquentia, non coagmentata domi oratione, aut verbis utuntur artificiose respondentibus, sed naturali & quasi extemporali facundia, quicquid judicii, quicquid acuminis, quicquid eruditionis eliciendum est, rebus ipsis & argumentis persuadendis, confirmandis ex sacre pagine ac doctorum testimoniis, ingeniose ac prudenter impendunt; eaq; solerter inveniendi, excogitandi acute, atq; apte in rem præsentem cogitatis utendi nota, sic vulgo placue-*

re,

re, ut etiam vernaculi sermonis conciones communiter apud Italos in ulnis gerantur, & propria horum lingvæ interpretatione donentur. Nec paucos vidimus ex probatissimis, qui sic formam hanc nostram suam fecerunt, ut Italico sermone loquentes, more concionarentur prorsus Hispano. Quibus ne nimium gloriæ gentis suæ dedisse hominem Hispanum credas, quid haud infimæ notæ Italus, ipse Guido Cardinalis Bentivoglio, in quadam epistola ad Tobiam Matthæi Anglum scribat, accipe: Sono valent' huomini, inquit, veramente gli Spagnuoli nelle compositioni Spirituali, e non sò come la lengva ancora porta con se maggior peso con la sua gravità, per imprimer le cose. Est tamen, fateor, cuique hominum generi suum vulgus, & ubique terrarum, etiam in Hispania, interstrepit anser olores, ut plurimorum conciones sat jejunæ comprobant, attamen qui Hier. Bapt. Lanuza, Petr. Calvo, Ignatium Coutigno, maximamque partem illorum quorum meminit Antonius Bibliotheca Hispana Indice ultimo distinct. IV. p. 505. seq. & distinct. VII. p. 517. seq. leget, videbit sine dubio, quid distent æra Lupinis, nec levis armaturæ milites & gregarios hos esse deprehendet.

Jam historiam Ecclesiasticam si spectes, quanta illi tota fere Theologia debeat, ut nemo facile ignorat, ita & hac in parte lingvæ Hispanicæ notitiam, usum non contemnendum Theologis præstare, certum est. Quicquid sit de aliis, ego vero nec legi nec inaudiui nisi beneficio Lingvæ Hispanicæ, tanta reformationis Lutheranae in ipsa Hispania fuisse incrementa: que non ay ciudad, y a manera de dezir, no ay villa ny lugar, no ay casa noble en España, que no aya tenido y aun tenga alguno o algunos, que Dios por su infinita misericordia aya alumbrado, con la luz de su Evangelio: Quin etiam tantum doctissimorum in Hispania consensum Lutherum meruisse, ut exinde proverbium enatum sit, quod laudaturi alicujus eruditionem, dicere soleant: Es tan docto que esta in peligro de ser Luthe-rano. vid. utrumque in G. de Valera præf. sæpius cit. * 3. a. Lubens multa alia prætereo, quæ brevi illo tempore, quo lingvæ huic operam navavi, cum ex aliis notavi, tum ex Anonymi cujus-

cujusdam libello, dicto: *Dos tratados el primero del Papa y su autoridad, el segundo de la missa*, & anno 1588. in 8. edito, quem ex Bibliotheca celeberrimi *Morbosii* possideo. Hoc addere tantum libet, decantatam illam de *Johanna Papissa* historiam (cujus veritatem inter alios optime & uberrime asserit *Egbert Grimlicent. Theol. Past. & Profess. Vesaliensis*, duobus libris lingua Batavica, *Vesaliae 1635. in 4.* hoc titulo: *Pauselicke Heiligkeit* editis) ex Hispanis etiam auctoribus præcipue comprobari. Est mihi exemplar *variarum lectionum Pedri Mexia*, lingua vernacula in folio *Hispani 1570.* typis excusum, multis elogiis ornatum opus, cujus parte prima cap. 9. historia illa ut toti orbi notissima, graphicè ab auctore describitur. Fuit hoc possessori quondam hujus libri, Catholico certe & ut reor Hispano, sudas in oculis, cumque ob id lacerare librum, totamque paginam & alia lectu dignissima continentem eruere grave illi videretur, omnes voces, imo omnes literas hujus historię summa diligentia atramento induxit, nec hoc contentus, eodem modo etiam ex indice expunxit. Suspiscabar primo intuitu facinus, & prout negata plerumque cupimus intensius, per lituras atramenti non adeo nigri hinc inde transparentes literas Hispanas hariolari primum allaborabam, usque dum tandem, bellam illam Ecclesię Catholicę matrem post ca-recta latitantem, deprehenderem, & verbotenus auctori luci que restituerem: qvalia coram tibi ostendere desidero, eo que demonstrare, Papistas *Johannem* suum aut potius *Johannam* operose excusantes, laterem potius lavare,

* Proque illa nebulam & ventos obtendere inanes,

* *Virg. lib.*
X. Æneid.

Vfus ex lingua Hispanica ostendenti mihi negligendum etiam non est, studium Ebræo-Rabbinicum, cum iis quæ ex Judæorum & scriptis & commercio, utilia sibi haurire Theologi possunt. Hęc non esse nullius momenti, innumeri re ipsa experiuntur, qui cum *S. Hieronymo in epist. ad Rusticum de vivendı forma T. 1. oper. p. 46. post init. gratias agunt Domino quod de ama-*

v. 82.

ro semine literarum dulces fructus carpunt. Nam præter ea quæ ad Veteris non modo, sed & Nov. Testamenti intellectum atque illustrationem ex Rabinis librisque Talmudicis erueri licet, (quæ quanta sint vel ex solis *Lightfooti horis Ebraicis & Talmudicis* constare potest) si cuiquam cum Judæis configere & de religione agere contigit, post S. Codicem, ex propriis illorum scriptis tam Rabinicis quam vernaculis optima contra illos tela peti possunt. Cum autem præclarissimi quique Rabinorum, qui post conditum *Sobar, Talmud, Mechilta, Tanchuma* s. *Jelammedenu, Rabboth &c.*, libros & commentarios ediderunt, origine Hispani fuerint v.g. *Aben-Efra, Abarbanel, Bechai, uterque Kimchi, Salomo ben Melech, Moses Mikkotzi, Moses Gerundensis, Menasse ben Israel, Joseph Albo, Isaac Arama, Abraham Seba, David Cohen de Lara, Joseph Pardo* & infiniti alii; non solum sapissime lingua Regionis suæ & scribendo & transfundendo usi sunt, vid. *Menasse ben Israel de resurrect. mort. in sine præ-* sed & Rabinicè scriptis frequenter nativa vocabula immiscet; quod tum maxime illis solemne est, cum vim vocis cujusdam Ebrææ nulla tam commoda quam vernacula exprimere norunt: quem in modum, ut hæc obiter dicam, in commentariis quibusdam latinis Jesuitarum Hispanorum e.g. *de Pineda*, locutiones & proverbia Hispanica ad illustrationem textus facientia, nonnunquam adhibita quoque observavi.

His accedunt curiosa plurima Theologica, libros Hispanos volventi passim obvia, in aliis vero magni nominis auctoribus latinis &c. necquicquam quæsita, quæ illud est quod *Cypr. de Valera* l.c. * a. recenset: Biblia nempe illa Complutensia, à loco impressionis sic dicta, quæ *Franciscus Ximenes* Archiepiscopus Toletanus, Gubernator & Inquisitor generalis Hispaniæ, idemque fundator Universitatis Alcalæ sive Complutensis, propriis sumptibus procuravit, 600000. Ducatis eidem constituisse.

Campus me non deficeret sed cursus tempusque, plura si persequi vellem, sed his contentus animum tuum testor
fidem-

fidemqve, *mi Balemannæ*, an oleum & operam perdat Theologia ille deditus, qui lingvæ Hispanicæ addiscendæ tempus quæcunqve impendit. Me quod attinet, singulare calcar mihi addiderunt Virorum quorundam doctissimorum exempla, qui non sine magno suo emolumento, Musis Ibericis familiariter utuntur. Summe Reverendus Dn. *Johannes Wincklerus*, Pastor Hamburgensis ad Divi Michaelis, & Reverendi Ministerii Senior egregie meritis, quem Deus in seros annos sospitet, quanti sermonis hujus notitiam faciat, vel ex copia scriptorum Hispanorum quæ Bibliotheca ejus exquisitissima superbit, augurari licet. *Eberhardum vero Anckelmannum*, SS. Theol. Licent. Professoremqve Gymnasii Hamburgensis celeberrimum, memini lingvæ hujus noscendæ gratia, ipsam Hispaniam aut Portugalliam, auctore *Edzardo*, adiisse, ibiqve per tempus haud exiguum commoratum esse. Quorum vestigia legere quodammodo eo libentius animum induxi, quo & gravius & svavius & præ cæteris facilius idioma Hispanicum mihi sæpius deprædicatum fuit. Vela nisi contrahere potius quam explicare mihi esset propositum, multa hic congerere possem, ex *Mariana lib. 1. cap. 5. Tomi primi historiae generalis Hispania*, item ex *Claude Duret Thresor de l'histoire des Langues de cet univers cap. LXVIII. p. m. 815. seq.* & aliis, petenda. Hoc certum est, ipsos Hispanos, vernaculam suam Latinæ quasi lingvæ felicissimè æmulam, venerari. Quæ ex causa Poëta quidam *Lusitanus* magni nominis, *Ludovicus Camoens*, in præstantissimo poemate *as Lusidas* dicto, *Cant. 1. est. 33.* finxit: Deam Venerem Lusitanis Hispanisque nunquam non fuisse propitiam, eo quod Romanorum suorum non modo virtutem & fortitudinem, sed & eloqvium apud eos invenerit. De facilitate vero sermonis Hispanici cuius docto judicare in promptu erit, si dixerò illum tot tantasque Latio debere voces, ut sat longæ orationes & poemata Latina dari possint, quæ ab Hispano & Lusitano, nullius nisi suæ lingvæ gnaro, plane perfecteque intelligantur: quales orationes & poemata,

mata, cum *Antonio de Sousa de Macedo*, in libro quem inscripsit *Flores de España, Excellencias de Portugal* (quem & eruditum & elegantem, vigesimo secundo ætatis suæ anno à se conscriptum in dedicatione ad Regem testatur) *cap. 22. f. m. 239. b.* exhibeat, non possum non sequens hocce, urbis Bethlehem cum Roma de prærogativa concertationem continens, ex illo addere

Roma infinitos, sanctissima, vive per annos,

Pacifica gentes, vive quieta, tuas.

Castiga grandes, violenta morte, tyrannos

Ingratos animos, & generosa, fuge

Acquire insignes varia de gente triumphos,

Distantes terras imperiosa rege,

Tanto majores titulos, *Bethlem* alta, celebra

Quanto Romano major es imperio.

Major amor, major tibi magnificentia, major

Fama, tuas *Christo* dando benigna casas.

Sed ne in longum excrescat oratio, manum de tabula.

* *Virg. lib.*

3. *Aeneid.*

v. 461.

* *Hæc sint quæ nostræ liceat te voce moneri.*

Quod reliquum est, consveto *B. Cypriani* in Epistolis suis Epilogo opto te frater charissime semper bene valere.

Iteratâ editione prodiit *D. Nicolai Hunnii*, *Ecclesiarum Lubecensium*, dum viveret, Superintendentis meritisissimi, *Epitome Credendorum*, sive *Inhalt der ganzen Christlichen Lehre* / so viel einer davon in seinem Christenthum zu seiner Seelen Seligkeit zu wissen und zu glâuben bedürfftig. *Wittenberg bey J. W. Meyern / und G. Zimmermann.* (in 8.)

Francisci Wörgeri Scholion

Qua ratione societas Ignatiana dici possit maxime

Christo Jesu inimica,

Ægidii Strauchii acerba isthæc, ubi *Ignatium Lojolam* proclamat similiorem *Diabolo* ac *Salvatori nostro*, sapius mecum

mecum perpendi, dum illa societas nomen à Jesu non modo suum derivet, verum etiam tot libros in sanctum ipsius nomen, & de vita Jesu emittat, suosve insuper alumnos ad amplectendam illius crucem stimulet, cur tam acerba patres dictos investiva Strauchius traducat alio quoque loco signum societatis depingens, nullo dicat modo, si omnes etiam sollicites lingvas gentium, exsculpi ex eo posse quod præferunt nomen Jesu. Hæc ego altius mecum reputans, ut à calumniæ nota zelum Strauchii alias haut semper placidum, hic tamen minus aberrantem asseram, distinguo inter doctrinæ Lojolicæ professionem atqve praxin. E.g. Firmissime enim tenent, quemcunqve monarcham Papæ atqve Italarum tyrannidi haut assentientem, quæ ipsis hæresis vocatur, impunè posse imo debere è medio tolli, *quacunque ratione Mariana de regis institutione c. 6. p. 58. veneno vel ferro pag. 65. quia juxta Guilielmum Rossæum talis princeps sive Rex quovis rane vilior est (de justa reipublica Christiana auctoritate p. 501.)* In quam memoriam plura conferunt testimonia Georgius Calixtus proœmio in *Vincentium Lerinensem. Rivetus Jesuita vapulantis, c. 12. Molinæus de monarchia temporali R. P. c. 2. Auctor nobis sine aqua p. 148. 155. contra Maccionium, qui ab omni scientia destitutus suum nomen nubi lucida, foetui nempe Mulmanniano, indiderat Haffniæ, & innumeri alii. Verum quanta pertinacia isti focii hujus dogmatis praxin negent & pernegent, apud Bellarminum videre est in *apologia pro juramento fidelitatis pag. 65. item apud Andream Villaderium pag. 27. & 160.* Multò igitur aliter habet ipsa praxis ac publica professio Jesuitarum in hoc ipso etiam simulata articulo, quia omnes hostes crucis etiam hostes Jesu sunt, id quod de sua ipsius persona sub exitum vitæ nec dissimulavit dictus Bellarminus, memorante Jacobo Fuligatto in *vita illius l. 7. pag. 518.* acribus conscientiæ fidiculis fuisse exagitatam, quod crucem sic semper horruisset Christi, pro dominatu Papæ contra veram pugnant atqve afflictam ecclesiam. *Auget timorem etiam vite**

vita mea perpetua felicitas (qua sanè frauntur aliquantisper mundo atqve mundi principi blandientes) *cum sciam , ita comparatos esse homines , ut quos in hac vita prosperitas colit , eos infelicitas plerumq; in altera maneat.* Memini etiam Hieronymum Mulmannum, cum mentio Bellarmini incidisset, quendam suæ sectæ patrem nominasse, qui familiariter novisset Bellarminum, ingeniumqve viri veluti ad altiora dignius prædicasse, *er war ein Kopff gewesen/dessen man wol zu hohen Dingen hätte gebrauchen können.* Ego mox excipiens, ane ergò mundana tu negotia ampliora sive augustiora sacris æstimas? confundebam Jesuitam, istud interim alta mente reponens, intentionem istius Societatis esse directam ad meras terrestres opes ac delicias, quæereve adhuc centrum cum Archimede, quo pedem figant ac cælum hoc suo nutu rotandum, si in Papæ succedere locum possint, cujus adhuc idcirco assentantur dominatui. Immaniter ergò hæc doctrina sive interior praxis Lojolitarum à doctrina atqve evangelio distat ejus, cujus falsò sibi applicant externè nomen. Ille *crucem suam in qua tot injurias, ignominias & tormenta passus est exaltationem appellat.* (Philippo Diez teste *Conc. 3. in festo inventionis S. crucis*) Hi mundi litant unicè potentia ac deliciis, uti de Ignatio ipso *in vita ejus* testantur Petrus Maffejus l. 5. c. XI. & Ribadeneira l. 5. c. XI. solebat *voluntates ac naturas eorum quibuscum ageret festivè odorari, ambitiosis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda proponere, & suo, quod ajunt, hamo vel esca quemq; piscari.* Atqvi quid aliud memorant omnes Doctores de Diabolo, cum Christus è contrario suis ostendat, atqve commendet crucem, à quâ longius alumnos arceat Ignatius? Enimvero sacerdos *vestibus indutus sacris, ita loquitur imitatio Christi l. 4. c. 5. num. 5. habet ante & retro dominica crucis signum, ad memorandam jugiter Christi passionem. Ante se crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat & sequi ferventer studeat, post se cruce signatus est, ut adversa qualibet ab aliis illata clementer pro Deo toleret.* Vt enim filius

DEI in hac vita omnibus Diaboli telis propositus fuit, & per ipsas ærumnas gloriam sempiternam consecutus est : ita omnes electos juxta Pauli sententiam, ad hanc imaginem accedere oportet, & variis tempestatibus jactari, donec in portum æternæ beatitudinis pervehantur, addit Strigelius *Conc. 1. de passione*, similiter de ecclesiâ scribit veteris Testamenti *Concione 14.* Tanta fides in Mose fuit, ut cum maturitatem assecutus esset, negaret se esse nepotem opulentissimi Regis Pharaonis. Etsi enim aliquantisper habitare poterat in bonis & illustribus domiciliis, tamen omnibus tum opibus tum voluptatibus Ægypti anteposuit societatem crucis Christi & ecclesiæ. Tota enim mente atqve omni animo intuebatur in eam vitam, quæ est sola vita nominanda, quæ DEUS ornabit Simeones, id est, bajulos crucis Christi. Hinc etiam ait *Concione 12.* Fuit revera major gloria ecclesiæ in Ægypto & in Babylone, quam unquam florente republica in terra Canaan. Nam duris ut ilex tonfa bipennibus hic cætus ab ipso ferro opes animumque ducit. Præclare ergo quidam ex veteribus dixit, ecclesiam rigari sanguine martyrum, Quanto igitur opere huic fundamento contrarium sit institutum Ignatii, loquantur sacri doctores, nimirum S. Bernhardus est *voluntas propria crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa & leana seivissima, ac immundissima lepra animi, propter quam in Jordane nos mergi oporteat, & imitari eum, qui non venit facere voluntatem suam.* Aloysius etiam Novarinus in *Matthæo expenso ad c. 16.* Docuit, Dominus, contemnere omnem affectum & amicitiam ejus, qui in via virtutis offendiculo nobis fuerit. Imò vero diabolus habendus erit ille, qui crucem à nobis avertit. Quid ille, qui & ipsas libidinum faces advertit? Istud in Ignatii genuino sectatore l. 4. c. 3. notat Ludovicus Lucius. *Cōtonus voluptatibus Regis Henrici IV. Galliarum quondam indulgit : cum potius eum debortari debuisset, magis pro concione publica excusavit : Majestatem ipsius peccata sua multis meritis compensare. Etiam Davidem plurimum genio indulgisse ; nec minus tamen virum secundum cor*

Domini fuisse. Poteratne omnis dæmonum, quæso, caterva
 fœdus doctrinæ de cruce Christi illudere? *At fœdus adhuc
 est: Ipse Petrus Cotonus internuntius ac leno amoris Regij verba ad Gy-
 necæum referebat. Peccatum quidem esse, dicens istud; sed potiore
 valetudinis Regis rationem habendam, in cuius vitâ tam necessarium
 multumq; positum esset, idq; peccatum multò majori bono compensatum
 fuisse.* Ita examussim ad rem contulit institutum modo me-
 moratum Ignatii sui Cotonus. Haut ergò reprehendendus
 titulus Strauchii est, quo mactat Jesuitarum parentem, cum
 omnes illi *Satana nomen mereantur* apud Paulum de Palatio,
 qui à duris asperisq; nos avocant, ea consulentes, ad quæ caro inclinat.

Celebris illa atqve ingeniosa nostra *Νενροχρησία* (vulgò
Todten-Tantz) Basileensi aliisque multò antiqvior, quæ in
 frequentem mortis ac humanarum rerum fragilitatis recor-
 dationem, ante aliqvot sæcula in Basilicæ nostræ Marianæ
 porticu vivis coloribus affabrè expressa, prætereuntium ocu-
 los animosqve in se convertit, restituta fuit nuper atqve
 renovata. Et figuræ quidem eodem, quo olim, habitu an-
 tiqvo, sunt exhibitæ; at loco rudiorum sermonis prisçi lem-
 matum, elegantiora & arguta accesserunt Tetrasticha, à
Nathanaële Schlott / Gedanensi, ad delicatum moderni sæculi
 palatum formata, quæ & typis Jægerianis impressa extant
 sub hoc titulo: *Lübeckischer Todten-Tantz / oder Sterbens-
 Spiegel / darinnen aus allen Ständen die Todten tanzend / und die
 Tanzenden redend sich aufführen. Wie selbiger an den Wänden der
 so genannten Kinder-Capellen unserer Haupt-Kirchen zu St. Marien
 durch den Pinsel des Kunst-Mahlers an. 1701. repariret / so wohl die
 Augen der vorbeypgehenden mit frischen Farben / als das Gemüth der
 lesenden mit neuen hochteutschen Reimen ergöset / und zur Betrachs-
 tung menschlicher Nichtigkeit Christgeziemend anführet / durch die
 Feder Nathanaëlis Schlottii, Dantiscani, Lübeck / in Ver-
 legung Johann Wiedemeyers / Druckts Christoph
 Gottfried Jäger / 1702.*



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Novembri, MDCCII.

WISMARIAE

Die 2. Octobr. *M. Constantinus Fidlerus*, ad *D. Nicolai* Pastor, & Consistorii Regii Assessor, mortalitati ereptus est. Is *Malchini* in Ducatu Mecklenburgensi A.C. 1670. d. 21. Martii natus, Patrem *Constantinum Fidlerum*, Ecclesiæ illius loci Pastorem, habuit; Quo præmatura morte sublato, à *Vitrico, Samuele Liitkemanno*, Malchinensium itidem Pastore & Præposito, sollicite educatus, non infeliciter adolevit. Post Scholam patriam, & *Wismariense* Lyceum, non sine insigni literarum, Hebræarum imprimis Græcarumque, incremento, *Gymnasium Hamburgense* frequentavit. Necessariis hisce præsiidiis ingenii instructus A. 1689. ad Musas *Leucoreas* se contulit, & cum Theologia Philosophiam studiose utiliterque conjunxit, ac specimen doctrinæ Philosophicæ daturus publicè de sensu Propositionis sub Præsidio *M. Petrai* disputavit. *Wittebergam* deinde *Sedino* commutavit, ac inibi studiis *Klinckostromiana* prolis per triennium præfuit. Porro *Academix Rostochiensis* Civem sese dedit, & in ea, cum A. 1694. *Gryphiswaldia* lauru Philosophica ornatus, ac paullo post, præmissâ de *Dynamiscopia divina*, Decano & Præside *B. D. Joachimo Lindemanno*, Disputatione, in numerum *Magistrorum Rostochiensium* cooptatus esset, munere Præsidis functus, Theses de *Objecto Metaphysica* conscriptas eruditè defendit, ac multum juveni Academicæ docendo profuit. Postea in *Sueciam* delatus, *Klinckostromiana* iterum, dein *Göldenstolpiana* Familiæ suam in erudiendis filiis operam locavit, & non vulgarem utriusque favorem sibi conciliavit. Tandem A. 1699. Ecclesiæ, quæ ad *D. Nicolai* Deo *Wismarie* colligitur, Pastor datus,

datus, Regiique Consistorii Affector constitutus est. A. 1702. Mense Januario *Susannam Margaretam*, B. D. *Schomeri*, Magni *Rostochiensium* Theologi, filiam unicam matrimonio sibi junxit. Mortuus maximum sui desiderium Bonis omnibus reliquit.

Die 26. Octobr. moderante *M. Johanne Kindlero*, Rectore, Exercitia oratoria de *Mari Balthico* *Helmuth Christianus Schützel* Garza Mecklenburgicus, *Joachimus Johannes Sintz* / & *Ericus Sertzberg* / *Wismarienses*, Scholæ illius Alumni, publice H.L. Q.C. exhibuerunt; & ille quidem, unde *Mare hoc dicatur Balthicum*, & quibus alias nominibus insigniatur, exposuit: Iste initia ejus & progressum, sinus & nobiliores adjacentium terrarum portus descripsit: Hic autem celebriores hujus Maris Insulas recensuit, ac res earum notatu maxime dignas commemoravit.

ROSTOCHII

Die 27. Septembr. Dissertationum Theologicarum, quæ *D. Justi Christoph. Schomeri*, b. m. Collegium Novissimarum tunc temporis *Controversiarum* in universam Theologiam, an. 1682. Rostochii habitum, exhibent, *Undecimam*, sistentem *Cap. XVI. de Lege & Evangelio*, *Cap. XVII. de Sacramentis*, *Cap. XVIII. de Penitentiâ*, sub Moderamine *Jo. Nic. Quistorpii*, SS. Theol. D. ejusdemque P. P. nec non Pastoris *Nicol. & Ministerii Rostoch. Directoris*, h. t. *Facultatis Sux Decani*, ventilandam proposuerunt Præses *M. Henr. Ascan. Engelke* / *Rostoch. SS. Theol. Cand. & Respondens* *Joh. Val. Bucerus*, *Brudersdorff. Mecklenb.* (2½ pl. in 4.)

Die 30. Sept. Præsides *Zachariâ Grapio*, SS. Theol. D. *Phyl. & Metaphys. P. P. Ordinar.* Verbiqve *Divini Ministro*, *Quæstiones selectiores ex Theologiâ Naturali de Deo* *Ejusque Atributis ex Naturâ cognoscibilibus*, contra *Cartesianos* aliosqve, *Eruditorum censuræ* submitit *Johannes Lüders* / *Stadâ-Bremens. S.S. Theol. Stud.* (4½ pl. in 4.)

Quæritur I. Notitia DEi naturalis insita quomodo insit?
Resp.

Resp. Non inest per modum actus, nec per modum doctrine, nec per speciem quandam impressam, nec per ideam, nec per modum potentia, nec remota, nec propinqua, nec per modum dispositionis; sed per modum habitus analogicè sic dicti. *Qu. II. An de DEo Eiusque existentia liceat dubitare? Negatur: Qu. III. An notitia naturalis perfecta sit ac sufficiens ad salutem? Licet varii tam ex Antiquioribus, quam Recentioribus affirmant; tamen dicitur, quod notitia DEi naturalis maximè imperfecta sit, nec sufficiens ad salutem, ut per eam homo salvari possit. Qu. IV. Quid de peccato Philosophico statuendum? Quum variæ hic occurrant Theses, suum iudicium de hac quæstione sequentibus conclusionibus includit Auctor, (a) Peccatum etiam Philosophicum, contra rectam rationem commissum gravissima est offensa DEi, amicitiam DEi dissolvens. (b) Nulla datur ignorantia DEi invincibilis & inculpabilis. (c) DEum vel momento ignorare peccatum est gravissimum amicitiam DEi solvens. (d) Et illud DEum offendit, quod ab eo perpetratur, qui actu non cogitat DEum. (e) Et ille DEum offendit, qui male agit, licet de malitia rei non iudicet. Qu. V. An dentur Athei Theoretici? Resp. (1) Athei Theoretici indirecti non saltem possunt dari, sed & multi dantur. (2) Athei Theoretici directi immediatè & seriò, ac in animo convicti, existentiam DEi negantes, ordinariè & naturaliter nec dantur, nec dari possunt. Qu. VI. An Atheismus necessariò ducat ad corruptionem morum? Affirmatur: Qu. VII. An DEus possit definiri? Resp. Si terminus definitionis sumatur strictè & rigorosè, pro perfectâ quâdam definitione Logicâ, negatur. Quod si verò sumatur latè pro qualivis rei descriptione, tunc quodammodo DEum definiri seu describi posse non negatur. Qu. VIII. An Essentia DEi consistat in cogitatione? Negatur. Qu. IX. An, quæ de DEo prædicantur, prædicentur improprie? Resp. Non omnia, quæ de DEo prædicantur, prædicantur per similitudinem & improprie. Qu. X. An Spiritus contineat Materialitatis quid DEusque proprie dicatur Spiritus?*

Prius negatur in sensu Metaphysico & Pnevmatico; posterior affirmatur. *Qu. XI. An DEus habeat corpus?* Negatur DEum habere corpus & membra propriè sic dicta. *Qu. XII. An DEus sit à Se ipso positivè, Suique Causa?* Resp. (a) DEus dicitur à Se ipso non positivè, ut, licet non causa efficiens sui ipsius; tamen, ut *Cartesius* vult, causæ perfectionum suarum sit causa, sive ut idem loquitur, quodammodo idem respectu sui præstet, quod causa efficiens respectu sui effectus. (β) DEus est à Se ipso tantum negativè, omnem in Deo negando causam. *Qu. XIII. An per immensitatem DEus etiam sit extra mundum?* Affirmatur. *Qu. XIV. An omnipræsenti primò concipiatur per operationem?* Resp. Omnipræsenti primò concipitur per *αδιασσίαν*, deinde etiam per *operationem omnipotentem*. *Qu. XV. An DEus etiam per essentiam propriè sit ubique?* Resp. DEus in omni ubi est repletivè per essentiam.

Die II. Octobr. sub Præsidio *Jo. Fechtii*, SS. Theol. D. & P. P. Consist. Duc. Assessoris, & Distr. Rostoch. Superintendentis Disputationem Theologicam *de Ambitione Officii Ecclesiastici*, occasione Dicti Paulini I. Tim. III, I. conscriptam, Eruditorum disquisitioni submitit Auctor *Job. Christianus Schaper*, Lucca-Lufatus, S. Theol. Cultor. (6. plag. in 4.)

Dissertatio hæc in duas sectiones dispescitur. In priori locus Paulinus I. Tim. III, I. quem fundamenti loco supponit Auctor, explicatur; in posteriori verò *Thesis ipsa* examinatur, & à §. I. ad 3. inclusivè asseritur, melius esse Studiosum appetere officium, quam illum frustraneâ vocationis expectandæ spe falli, neminique prodesse. §. 4. seq. Dicitur necesse esse, ut talis Studiosus literis ac studiis sufficientibus, & muneri, quod ambit, convenientibus sit instructus, nec non famâ vitæ inculpatae excelat. §. 6. Docetur opus esse, ut Candidatus sit adultæ ætatis. §. 7. Demonstratur tunc etiam Studiosum justè appetere officium Ecclesiastæ, si gloriam DEi atque incrementum Ecclesiæ

fiat quærat. §. 8. seqq. Si justis mediis ejusmodi spartam adipiscendi utatur. §. 11. Si legitimam illius ambitionem temporis ratio postulet. §. 12. Si Patria Ecclesia Pastore egeat. §. 13. Si plurimi in aliqua Ecclesia illum sibi Pastorem exoptent. §. 14. Si Virorum quorundam, prudentiâ ac pietate conspicuorum, svasus ad Pastoris munus ambiendum adsit. §. 15. Monetur, Studiosum arrogantia vel *Φιλαυσία* minimè incusari posse, si seipsum, ut illi ecclesiæ præficiatur, offerat, cui Candidatos heterodoxiâ superioribus prorsus, minimè verò sibi incognitâ, aliisque vitiis Pastoris nomine indignis suspectos præsentari certè noverit. §. 16. Afferitur, Candidatum corpore non satis vegeto legitimè desiderare tale officium, cui ob debile corpus non est impar. §. 17. Probatur, etiam Pastores, qui jam Ecclesiam ministrant, aliud aliûs Ecclesiæ munus Pastorale appetere posse. §. 18. Illorum error notatur, qui, si functionibus Ecclesiasticis operam darent, se in DEum peccare putant.

Die 14. Octobr. Moderatore *Jo. Petro Grünenberg* / S. Theol. D. & P. P. nec non Consiliario Consistoriali, & Distr. Mecklenburg. Superintendente, Dissertationem *Duodecimam* supra dicti *Collegii Schomeriani*, Cap. XIX. de *Precibus & Ceremoniis*, & Cap. XX. de *Ecclesiâ* sistentem, ventilandam proposuerunt Præses *M. Henr. Ascan. Engelke* / Rostoch. S. Theol. Cand. & Respondens *Georg. Nicol. Ockel*, Rostoch. (2¼ plag. in 4.)

Die 19. Octobr. à Facultate Philos., Decano ad hunc Actum *Henrico Christiano Tielcken* / Phil. & V. J. D. Oratorix P. P.; Pro-Cancellario autem ad hunc Actum *M. Jacobo Burgmanno*, Græc. Liter. Prof. Publ. Ord. & Clerico Nicolaitano, Magisterii gradu ornati sunt sequentes septem Philosophiæ Candidati: (1) *Johann Albert Syling* / Hafn. Dan. (2) *Mattheus Henr. Eggerdes* / Rostoch. (3) *Joach. Mankel* / Rostoch. (4) *Joh. Carlquist* / Svecus. (5) *Ludovicus Gerhardus*, Fridland. Megapol. (6) *Joh. Eberhardus Udam*, Reval, Livon. (7) *Martinus Wilbelmus Schmidt* / Bregens. Silesius.

Die 21. Octobr. sub Præsidio D. *Andr. Danielis Habichhorstii*, S. Th. P. P. & Consiliarii Consistorialis, uti & FCTis Theol. Collegiique Ducalis & totius Acad. Senioris, *Dissertationem XVII. Partis II. illustriorum Jesaiæ Locorum de Speculatore jussu DEI à Jesaiâ constituto, & Leone ab eodem inter alia viso & proclamato*, ex *Jesai. XXI, 6. 8. 9.* συζητήσῃ Academicæ exposuit *Martinus Meinelvus*, Primislaviens. March. (2½ plag. in 4.)

Postquam in nuperâ Dissertatione, de *Deserto maris*, prolixius ostendit, per illud non *Babelem*, sed *Jhudeam* & *Jeruschalem* designari; simul etiam in analysi ejusdem Prophetiæ de *deserto*, in proœmio præcedanæ Dissertationis præmissâ, dixit, Prophetiam illam quatuor momenta continere. *Tria* priora quidem tunc absolvit; de *quartô* vero in præsentî Disputatione agit, considerans §. 2. vocis *Speculatoris* Etymologiam & Synonymiam, nec non *specula* & *Speculatoris* propriè dicti descriptionem. §. 3. *Partitionem* Tractationis de *Speculatoris constitutione* exponit, dicitque circa illam occurrere, (I.) Dictum Domini ad Prophetam de constituendo *Speculatore*, v. 6. (2.) *factum ipsius Speculatoris*, simulque *partitionem* in præfamine Dissertationis præcedanæ datam emendat. §. 4. Circa *dictum Domini* duas quæstiones movet, & *primam*, *quis Speculator?* an *Jesaias* ipse fuerit? contra *Sanctium*, *Hieronymum*, *Corn. à Lapide*, aliosque negat; ad *secundam* vero quæstionem, *quis ergo?* respondet, ex *charactere Speculatoris* colligi quidem, fuisse alium quendam Prophetam, ipsum verò individuum nominare non licere; ubi & *sententiam veterum* quorundam *Hebræorum* retundit, qui *Speculatorem* hunc & *Leonem* in v. 8. eundem esse statuunt, adeoque per illum *Speculatorem* intellexerunt Prophetam *Chabakukum*, idque ex *Gematriâ*, *Cabbalæ specie*, qua vocabulum *Leonis* *Hebræum* אריה totidem numeros, quot nomen *Chabakuki* *Hebræum* חבקוק, valet, probare conati sunt. §. 5. *Speculatoris factum*,
latius

latius voce sumtâ, ampliùs exponit, quàm *in præf. præced. Diff.* factum, docetqve *Speculatorem* ejusqve factum hîc in geminâ quâsi revelatione, sive visione præsentari; In *priori* quidem revelationis parte (quæ *Babylonium* ut *vastatorem* respicit, cum auxiliariis Medorum Persarumqve copiis Judæam & Jerusalem devastaturum) *Speculatorem* præsentari (1.) ut *videntem* currus militares varios, (2.) ut *attendentem*, vel *auscultantem* attentione magnâ, (3.) ut *clamantem*, adesse leonem, (4.) ut *protestantem* de constanti statione suâ et vigilantia: in *posteriori* verò particula revelationis (quæ *Babylonium* eundem respicit ut *casurum*, rursusqve à Persis Medisque *vastandum*) dictum *Speculatorem* præsentari (1.) ut *denuò videntem*, (2.) ut *audientem* cœleste decretum de *casu Fabelis* responsi loco Speculatori sollicito datum. Ex quibus *primum* Speculatoris factum, quò currus vidit militares varios, speciatim ex v. 7. considerandos, ad seq. Disp. remittit; *secundum* verò factum, s. officii partem scilicet *attentionem* paucis exponit. §. 6. *Tertium* ejus factum ex v. 8. considerat, scil. *Clamorem*, adeoque *Subiectum clamans* non fuisse leonem, sed *Speculatorem*; *Objectum* verò *clamantis* fuisse leonem docet; illud verò non posse ex accentu distinctivo *Tipcha* in verbo *clamavit*, probari, cum ille ibi propter necessitatem sequelæ in positu duarum vocum ante *Atnachum* adesse debeat, licet non distinguat, ostendit. §. 7. Non leonem sed *Speculatorem* hîc esse clamantem ex cohærentiâ textus & commoditate sensus probat: qui enim v. 6. constituitur Speculator, is v. 7. dicitur *vidisse & attendisse*, & v. 8. *clamasse & contestatum* esse, se continuare stationem & vigilantiam super specula. §. 8. *Versiones quasdam* notat, & quidem *Vulgatam* improbat, quæ reddit: *Et clamavit leo*, quam *Lutherus* sequitur: *Vatâbli* verò aliorumqve, qui reddunt: *Et clamavit leo super speculam* &c. claros *Israëlis* fontes turbare ostendit. §. 8. Ad quæstionem, quis fuerit, vel quem præsentaverit *leo* à Speculatore proclamatus? respondet, quod non fuerit *Persarum Medorumq; exercitus*, quod communis vul: interpretatio,

ratio, vel *illorum Dux*, juxta nonnullos; sed *Rex Babylonius* incluso Assyrio antehac illius terræ Domino qui frequenter in Scripturis Leo appellatur. §. 10. *Quartum* Speculatoris factum scil. *protestationem* de continuatione Stationis jugique vigilantia & expectatione ex eodem v. 8. illustrat, contra *Hieronymum* & *Sanctium*, qui contestationem hanc non Speculatori, sed ipsi Prophetae adscribunt, item contra alios, qui verba hæc leoni s. Duci exercitus Persarum Medorumque tribuunt. §. 11. Ex *posteriori* particulâ revelationis (quæ *Babylonium* ut *casurum* respicit,) *primum* Speculatoris factum, quo vidit currum viri ex v. 9. explicat, & quæstionem: an visio præced. v. 7. descripta, quâ *vidit currus varios*, sic reiteretur? negat, illisque curribus v. 7. indicari exercitum Babyloniorum, hoc verò curru Cyri Babylonem expugnaturi, ex additâ voce: *cecidit Babel*, docet. §. 12. *alterum* Speculatoris factum, quò *audivit* vocem *cecidit Babel*, considerat, & quæstionem, an vox illa sit viri illius in curru, quem vidit Speculator; an verò ipsius Speculatoris? respondet negando *prius*, & affirmando cum *B. Varenio posterius*; quanquam non simpliciter, sed addendo quod vox illa tanquam cœleste decretum responsi loco speculatori, tantâ sollicitudine attendenti & expectanti, quis rerum tandem harum eventus sit futurus, reddita, & dehinc ab ipso Speculatore Prophetae renunciata; cujus rei gratia tria hic notat, (1) dari Hebraïsmum in verbo: *Et respondit*, quò Subjectum *respondens*, scil. DEUS, sit omissum, sicut eodem versu in verbo seq. *confregit*, sc. DEUS, (2) Dari *concisam orationem*, dicique: & respondit ac dixit, pro: speculator porrò renunciavit, se audivisse responsum cœleste, quod dixit: *cecidit Babel*, (3) probabile esse, quod, uti vox eadem Apoc. 18, v. 2. de casu *Babylonis spiritualis*, nostræ tanquam typo conformata, nuncii fuit cœlestis; ita & hæc apud Jesaiam fuerit responsum cœleste à speculatore auditum & relatum. §. 13. *Usus loci Didacticum, Pædeticum & Paracleticum* subjungit,

MENSIS NOVEMBR. M DCCII. 323

Die 24. Octobr. *M. Christianus Hildebrandus*, Log. Prof. & Facultatis Philos. Senior, hactenus Rector Academiæ, Magistratu abibat, & Successori, novo Acad. Rectori, *D. Bernharδο Barnstorffio*, Med. P. P. & Poliatro, Suæqve Facultatis & Senatorii Professorum Collegii Seniori, Sceptra solenni ritu tradebat.

Die 26. Octobr. *Gerhardus Gerlingius*, Susat. Westphalus, Med. D. nunc Practicus Rostochiensis, cujus in N. L. an. 1699. pag. 139. meminimus, publicavit *Prodromum alterum Operis tripartiti, in gratiam Medicinæ concinnati, qui exhibet contenta Partis primæ summariter descripta.* (3. plag. in 8.)

Die 28. Octobr. *M. Joach. Weidnerus*, Ecclesiastes Marianus, Dissertationem Historicam de *Constantino Magno*, quæ illum honestè & ex legitimo matrimonio natum, contra *Cl. Arnoldum* vindicat ac defendit, ventilandam proposuit, Respondente *Johanne Göteke*, Cyrono, Politioris Literaturæ Studiofo. (4½ plag. in 4.)

In hac Dissertatione post præfationem sequentes tractantur quæstiones: (1) *Quis fuerit Pater Constantini M.?* Resp. *Constantius Chlorus*, Princeps, si non *Christianus*, *Christianis* tamen faventissimus, cui posteriori sententiæ etiam Auctor subscribit. (2) *Quanam Mater Constantini M., & an Helena, quæ indubiè talis est, fuerit Britanna?* Resp. Mater *Constantini M.* fuit *Helena*, & ea ipsa non *Drepanensis*, non *Trevirensis*, sed *Britanna*. (3) *Ex qua familia fuerit illustris Helena, hactenus probata Britanna?* Auctor statuit, illam non regiam, sed mediocrem habuisse prosapiam. (4) *An Helena Britanna, & mediocris prosapia, fuerit Constantii Chlorig Concubina? an verò legitima Conjux in matrimonium acceptata?* Priori sententiâ, quam *Cl. Arnoldus* elegit, rejectâ, ultimæ Auctor accedit.

NOVA LITERARIA

GRYPHISWALDIAE.

Die 13. Sept. sub Præsidio Vniversitatis h.t. Rectoris, D. Jo. Frid. Mayeri, S. Theol. Prof. Prim. Consiliarii Regii atqve Ducalis, Acad. Gryph. Pro-Cancellarii, Facult. Theol. Decani, nec non Superint. Pomeraniæ Rugiæqve Generalis, atqve Consist. Reg. Præsidis, *Obumbrationem Virtutis Altissimi*, ad ductum *Oration. Acad. B. Jo. Georg. Dorschai*, an. 1644. Fer. Nativ. habitæ, publicè asseruit *Johannes Schliepf*, Bardenf. (4. plag. in 4.)

Mense *Septembri Jo. Philippus Palthenius*, Histor. & Philos. Civil. P. P. Ord. Respondente *Samuele Palthenio*, LL. Studiofo, *Dissertationis, de Marito Reginae*, partem *postremam* ulteriori doctorum examini subjecit. (3. plag. in 4.)

Postquam in *primâ* parte, mense Augusto pag. 225. nobis memoratâ §. 21. absolvit, in hac *postremâ* à §. 22. orditur, atqve ostendit, qualem Regina sibi eligere debeat Maritum, videlicet non Regem, sed aut Regio sanguine prognatum, aut Regio certè animo præditum, Regiisque virtutibus instructum. *Item*. Neque Principem fœminam ob partam recens dignitatem à Marito divertere, neque Maritum, ut acquisitum à Coniuge Imperium secum dividatur aut communicetur, postulare posse. §. 23. Graves rationes adducit, quæ in successivo regno, à constitutione populi pendente, prohibent, ne, qui Maritus Reginae est, Rex simul appelletur. His expeditis docet, id, quod fieri dixit, nec ullis *Divinis humanisve legibus* contrariari, quod probat §. 24. ex *humanis*; §. 25. seqq. autem, ex *Divina lege naturali*, ubi evincit, quod civilis imperii natura id ferat, ut mulieri, idoneis à natura animi & corporis viribus instructæ, idem tribuatur, §. 26. quod salvâ societatis conjugalis naturâ fieri possit, ut maritus in potestate Coniugem, & res uxorias non habeat, §. 27. quod, si ad statum matrimonialem societas civilis accedat, potiora hujus quam illius sint jura. §. 28. Demonstrat, conditionem Mariti Reginae *legi Divinae positivae* non repugnare, fœminamque capacem esse obtinendi Imperii

Imperii Civilis. Ad Loca Es. III, II. & I. Cor. XIV, 34. quæ ob-
 jici possunt, respondet. §. 29. Disquirat Auctor: *An eadem po-
 sitivâ lege Divinâ cohabitatio Conjugum domestica exigatur, ut ex ipsa
 familia constitutione Mariti, velut Capitis, in Conjugem, velut membrum
 familiae imperium consequatur?* & negativam defendit. §. 30. Porro
 quærit: *An directè dicendum sit, imperium in Conjugem Divinâ lege
 positivâ Marito fuisse attributum?* Quod negat, & tria argumenta
 contraria, è Genes. III, 16. & ab ordine Creationis, nec non ex
 Ephes. V, 23. Coloss. III, 18. I. Petr. III, 1. desumpta, solvit.

Superiori Mense *Præside* paullò ante dicto, D. Jo. Frid. Mayero,
 Dissertationem Theologicam de *Conditione Resuscita-
 torum in hanc vitam*, placido Eruditorum examini, spe-
 ciminis Academici loco, exhibuit *Dionysius Hartwig Behrens*,
 Grimma-Pomeranus, Autor & Respondens. (4½ pl. in 4.)

§. I. explicat, de quibusnam *Resuscitatis* hic sermo sit, nempe de
 iis, qui *semel vitâ verè physicè defuncti, postea verò miraculosè virtute
 divinâ in hanc vitam naturalem iterum revocati sunt.* Cum autem
 multi pro talibus venditentur de quorum veritate non im-
 meritò dubitatur, proindè §. 2. docet, *verè Resuscitatis* an-
 numerari non posse eos, quos pro talibus venditat tum *Di-
 aboli fraus & impostura*, tum *rerum naturalium ignorantia*, de his
 hæc thesis exempla sistit; de illis verò §. 3. ad quos §. 4. refert
larvatum Samuelem. Hac occasione meminit *Pauli Burgenfis*,
Dionysii Riekel ac *Hugonis Cardinalis*, item *Pauli Comestoris*, *Francisci
 de Mendoza*, qui non *phantasma*, sed *verum Samuelis corpus*; addu-
 cit quoque quosdam *Judeos*, aliquot *Patres*, unum & alterum
 è *Calvinianis*, plurimos è *Pontificiis*, & imprimis *Jesuitas*, qui
Samuelis animam fuisse contendunt. §. 5. Probat hunc *Samue-
 lem* non fuisse verum illum Prophetam *Samuelem*, sed *illusio-
 nem Satanæ.* §. 6. Affert & refutat instantiam *Raynaudi* &
Sanctii ac si non *Diabolus*, sed *DEus Samuelem excitârit*, *ipsiusque
 animam ad impium Regem miserit.* Addit non solum plurimos
Patres, sed & multos *Pontificiorum* statuere, quod non verè

Spiritus Samuelis à requie suâ excitatus sit, sed aliquod phantasma fuerit. Illos, qui hac de materiâ plura legere desiderant, remittit ad alios Auctores. §.7. Concludit, eos, quorum §.2. mentio facta est, non reverâ mortuos; illos verò §.4. adductos, verè quidem vitâ defunctos, *Φαινομένως* autem tantum resuscitados fuisse. §.8. Producit alios, quos non sine *apparenti rationum fundamento* quidam pro *Resuscitatis* habent, quorum magnus numerus apud *Pontificios* deprehenditur. §.9. His quoque missis, pergit ad Resuscitados, quorum Scriptura S. mentionem facit, quos vel *apparenter* tantum, vel *reverâ* à mortuis resuscitados esse dicit. Horum *alios ad vitam immortalem*, Matth. XXVII, 52., *alios ad hanc vitam naturalem, sive mortalem* resuscitados asserit, de quibus in præsentî Dissertatione sermo. §.10. Nominat illos, qui in V. T. resuscitati dicuntur, quorum *primus*, filius viduæ Sareptanæ, 1. Reg. XVII, 17. *Secundus*, filius Sunamitidis, 2. Reg. IV. *Tertius*, homo quidam anonymus, in sepulchrum Elisæi projectus, 2. Reg. XIII. 21. §. 11. Licet quidam statuant, *primum* fuisse *Prophetam Jonam*, *alterum* verò *filium sororis Abisag Sunamitidis*, 1. Reg. I, 3. & *tertium*, *Sallum, Hulda Prophetisse maritum*, cujus mentio fit 2. Reg. XXII, 14.; tamen hæc sine fundamento sufficienti asseri scribit. §.12. probat, *filium viduæ Sareptanæ*, ut & *filium Sunamitidis* vere mortuos fuisse, non verò tantum halitum eorum defecisse. §.13. Progredirur ad *tres* Resuscitados à Christo, quos Novi fœderis Scriptores memorant. §.14. Notat fabulam Pontificiorum, *juveni Nainitico nomen Materni*, & trinam resurrectionem tribuentium. §.15. Ad dubium hoc, *utrum à Christo resuscitati verè fuerint mortui?* affirmativè respondet, motus testimonio *Lucæ*, cap. VIII, 55. & *Johannis*, cap. XI, 13, & 14. §.16. Agit de *duobus* ab Apostolis in hanc vitam miraculosè reductis. §.17. Hos verè mortuos fuisse confirmat testimonio *Gerhardi, Waltheri, Piscatoris, Tossani* atque *Arcularii*. §.18. An Apostoli & Apostolici Viri plures præter hos in S. Scripturâ memoratos resuscitarint, in dubio relinquit. §.19. Se hac vice confide-

consideraturum ait, *quanam horum resuscitatorum conditio fuerit, tum quoad corpus, tum quoad animam?* Ad corpus quod attinet, illud cum peccati radice in miseriâ resuscitatum esse, §.20. statuit. §.21. Removet Objectionem, ac si hoc modo *DEo impingatur macula.* §.22. Ad Locum Paulinum Rom. VI, 7. respondet, Apostolo sermonem esse de morte *Spirituali.* Et si quis h. l. cum *Waltbero, Gerhardo, Balduino, & Christiano Chemnitio,* aliisque Commentatoribus de morte naturali sumere velit, tamen non de peccati radice, sed ejusdem *Dominio & sensu* intelligendum esse dicit. §.23. Ad conditionem Resuscitatorum *quoad animam* progrediens, hujus *purgationem* attingit, quam Pontificii per ignem purgatorium fieri comminiscuntur, & erronei hujus Dogmatis Refutatores enarrat. §.24. Proponit quæstionem: *Num anima horum Resuscitatorum à peccatorum labe fuerint purgata nec ne?* & §. præsentis, nec non 25. 26. 27. 28. illa, quæ circa hanc quæstionem ultro citroque in medium proferri possunt, & etiam à quibusdam adduci solent, perlustrat. §.29. Eorum subscribit sententiâ, qui statuunt, *animas horum resuscitatorum à peccato non fuisse purgatas.* §. 30. Considerat quæstionem: *ubi anima ille à peccatorum labe nondum purgata, tempore medio inter mortem & miraculosam resurrectionem, asservata fuerint?* circa quam notat, quosdam dicere eas fuisse *in manu DEi.* Verum quum curiositas humana simplici hac & Christiana responsione contenta non sit, tres diversas diverforum, §. 31. recenset opiniones. Quorum alii illas in loco quodam tertio, sive *divina Dispositionis* collocant; alii ipsas in corporibus mortuis mansisse asserunt; alii verò *in cælo Beatorum* eas fuisse statuunt. §.32. Non diffitetur, *ultimam* sententiam sibi videri probabilissimam. §.33. Quærit: *an reditus harum animarum ad statum pristinum fuerit deterioratio status competentis, aut pœna proprie dicta?* Neg. Item: *an hi Resuscitati aliquid de statu alterius vite retulerint, aut referre poterint?* Neg. §.34. Porro quærit: *utrum hi Resuscitati postea vivi in cælum fuerint recepti, an verò iterum mortui?* Affirmat posterius, simulque ad locum Ebr. IX, 27. respondet, aliasque Objectiones

nes solvit. §.35. Aliter rem se habere ostendit cum illis sanctis, qui cum Christo à mortuis resuscitati sunt, quos non iterum mortuos esse statuit.

Die 4. Octobr. sub Præsidio D. Jo. Frid. Mayeri, semel iterumque paullò ante laudati, ex *Bibliotheca Biblicâ* Scriptores Pontificios ostendit Joach. Christianus Warnike, Anclamensis Pomeranus. (2. plag. in 4.)

Postquam *Bibliotheca Biblica*, cujus præterito mense Sept. pag. 256. meminimus, enarrare cœpit *Pontificios Commentatores* in Scripturam S.; in hac Dissertatione eos monstrare pergit, agendo Num. XI. de Luca Brugensi, Theologo Lovaniensi. Num. XII. de Antonio de Escobar & Mendoza. Num. XIII. de Guilielmo Estio. Num. XIV. de Francisco Harao. Num. XV. de Jacobo Gordonio. Num. XVI. de Johanne Marianâ. Num. XVII. de Emanuele Sa, & Petro Lanselio. Num. XVIII. de Joh. Stephano Menochio. Num. XIX. de Cornelio à Lapide. Num. XX. de Jacobo Tirino. Num. XXI. de Johanne de la Haye, ejusque Bibliis magnis & maximis. Num. XXII. de Opere affecto Francisci Garzia de la Valle, quadraginta vel plures Tomos impleturo.

Die 5. Octobr. sub Vmbone Eiusdem D. Mayeri *Dissertatio Theologica*, sistens *Omniscientiam exinanita Carnis Christi nihil ignorantem*, placido examini exposita est à Christophoro Pyllo, Gryph. Pomeran. (3. plag. in 4.)

Caput Ium explicationem vocum exhibet, & quidem §. 1. 2. 3. & 4. vocis *Omniscientia*, §. 5. *Exinationis*, §. 6. *Carnis*, §. 7. *Christi*, §. 8. *Nihili*, §. 9. *Ignorantia*. *Caput IIum* *Porismata quædam* tradit, quorum 1. *Scientia Christi habitualis* experimentalis quædam ignoravit. 2. *Hanc nec aliam Humanæ Christi Naturæ omniscientiam Calviniani malè dicunt*. 3. *Errant Pontificii dicentes hanc scientiam omnia in singulari cognovisse*. 4. *Caro Christi Omniscientiam τὴ λόγῃ communicatam*

tam habet. 5. Caro Christi non actu naturæ sed actu personæ est & dicitur omniscia. 6. Caro Christi actu personæ nihil ignoravit.

Die 15. Octobr. Præside *Brandano Henr. Gebhardi, S.S. Litterarum D. & P. P. Phil. Fac. h. t. Decano, Exercitationem Anti-Rabbinicam in Psalmum primum Davidis* stitit *Christianus Andreas Rudolphi, Anclamensis Pomeranus. (3½ plag. in 4.)*


Die 25. Octobr. sub moderamine D. *Jo. Frid. Mayeri* nobis suprâ quater memorati, *Joach. Frid. Schmidt / Ecclesiastes Stargardensis, de Fide simplice* disputavit pro *Licentia Doctorales in Theologiâ honores consequendi. (3. plag. in 4.)*

Hujus Disputationis §. 1. affirmat, *fidem hîc complecti & rem credendam s. doctrinam, & salutarem ejus cognitionem.* §. 2. Explicatâ vocis *simplicitatis* significatione, nec non ejusdem in bonam & malam partem acceptione, *fidei simplicitatem* dari asserit, quam tamen neque *crassæ mysteriorum ignorantia*, neque Pontificiorum *fidei implicitæ* patrocinari, §. 3. docet. §. 4. Ostendit, *fidei simplicitatem* maxime commendare Scripturam; de eâ ipsâ maximè sollicitos fuisse Veteres Christianos; illam Martyres *vel* appellationis nominis *JESU, vel publicâ Christiani* aut *Christiana* professione declarasse, & morientes in Papatu simplice fide Christum complexos fuisse. §. 5. Fidem simplicem describit, *quod sit sapientia per Spiritum S. ex sacris literis percepta, quâ, quæ creditu ad salutem æternam sunt necessaria, non tantum verè secundum sensum Christi atque Spiritus, sed etiam salutariter & cum affectu cognoscimus & ad vitam æternam perducimur.* §. 6. Hanc descriptionem nonnihil enucleat. §. 7. *Danhauerum in Theol. Consc. part. 1. p. 76. secutus* necessariò credenda exponit. §. 8. s. Præmissâ distinctione dogmatum ad salutem necessariorum in illa, quæ ante fundamentum fidei vel supponuntur, vel id *intrinsecè* constituunt, vel consequuntur, de illis, quæ *presupponuntur*, agit. §. 10. Proponit dogmata fidem *intrinsecè*

intrinsecè constituentia. §. II. Considerat illa quæ fidem jam constitutam consequuntur. §. 12. Dogmata simpliciter creditu necessaria hoc vinculo coherere tradit: DEUS Triunus Joh. XVII, 3. 1. Ioh. V, 7. intensissimo in universum genus humanum, nullo & nemine excepto, amore commotus Joh. III, 16. omnibus hominibus peccatoribus, peccatis agnitis, Rom. II, 32. 2. Pet. III, 9. propter Christum ejusque sanguinem pro omnibus hominibus effusum Heb. II, 9. IX. 12. 22. Verbo patefactum Act. X, 43. Joh. XX, 31. fide apprehensum, peccata condonat, 1. Joh. I, 7. justitiam à Christo partam imputat Es. [LIII, 2. Rom. III, 24. 25. IV, 5. X, 4. 2. Cor. V, 21. & vitam largitur æternam. Marc. XVI, 16. Joh. VI, 40. §. 13. Hæc dogmata dum simpliciter creditu ad salutem necessaria esse dicuntur, de iis intelligendum esse ait, quibus spatium cogitandi relinquitur. §. 14. De gradibus fidei agit. §. 15. Fidem simplicem discrimen constituere docet inter ea, quæ fidei definitionem ingrediuntur, & immediatè præsupponuntur, quæque immediatè. §. 16. Eorum meminit, quæ per legitimam consequentiam fides simplex deducit. §. 17. Monstrat, quomodo ea circa controversias de religione exortas versetur.

*Christophori Pylei / Philos. Stud. brevis relatio visæ Helio Cometae
scripta MDCCII, VI. Kalend. Novembr.*

Pernita sanè oculis hominum nonnunquam lustrari spectacula, quorum observatio ob minus ritè cognitam causam in obscuro delitescere cogatur, & sub dio licet in cælo animadversa, densa tamen silentii caligine prematur, domestico, si non alio, exemplo illustrandi ansam nactus esse arbitror. Scilicet ascenderat hoc ipso anno, mense Martio, die, ni fallor, 15. hora 5. promeridiana, Reverendus Parens meus superiorem domus nostræ contignationem, quæ pro conditione loci aliàs observationibus Mathematicis intentum excipere solebat, & fortè fortuna oculos in Solis ad occasum



occafum properantis, inq; nubes telluri tantum non agglutinatas se condentis, plagam cœlestem convertens, infolitum oculis phænomenon animadvertit, longitudine fuâ in fatis notabilem cœli partem excrefcens. Vocat nos in confortium visionis pariter & admirationis, nec ceflamus, quantum objecta ædificiorum cacumina permittebant, omnia irretorto oculo perluftrare. Nunquam autem cum tale quid vifum nobis, nec lectu cognitum fuiffet, dubii hærebamus, quo nomine, qvave ratione concipiendū id ipfūm veniret. Columnam fortè appellaffem hoc meteoron, nifi motus ipfius, Solis infra Horizontem demerfi motum imitatus, folicitudinem magis in confiderando curam postulaffet. Cum itaqve nobis non contingeret

effe felicibus in cognofcenda natura nomineqve hujus

hujus phænomeni, malebamus id apud nos latere, quam temerè aliquid definire; donec hac tempestate forte in *Act. Eruditorum Lipsiens.* inciderem, inque iis anno 1690. p. 65. seq. oculis usurparem observationem *Celeberrimi Sturmii, Professoris Altdorffensis*, quâ *Helio Cometen* se vidisse asserit, quem alias nunquam viderit, nec de quo aliquid legerit, nisi in *Act. Erud. an. 1682. p. 262.* Redibat statim memoria visi ante aliquot menses phænomeni, miraque similitudine Sturmianam exprimebat annotationem, quapropter nullus dubito, illud pari modo *Helio Cometen* appellare. Solis equidem corpus ipsam conspiciendi facultatem interjecta nobis ædificia arboresque Horizonti visivo proximæ (quod in Schemate per lineam A.B. exprimo) adimebant, motus tamen ab Occidente versus Septentrionem procedens, solem comitatus, haud obscure arguebat, hanc, sive columnam velis, sive caudam à Sole protendi. Latitudo ejus D.D. æquabat Solis Semidiametrum, in fine autem FF. multum excedebat; longitudo vero G. H. decem, & quod superat, Solis diametros emetiebatur, sextam fermè hemisphærii nostri partem occupans. Color ejus erat flavus, qua parte vero Soli vicinior erat, luteum referebat supra infimam, quam vocamus, aëris regionem collocatus cernebatur, quod nubeculæ densiores cælum distinguentes E.E.E. demonstrabant. Mentiebantur equidem hæ nubeculæ oculo nudo speciem continuatæ hujus columnæ sive caudæ, sed armatus vel brevissimo perspicillo oculus deprehendebat, in densioribus E.E.E. nihil hujus imaginis extare, rarioribus his vaporosis licet interjectis spatiis C.C.C.C. effigiem hanc solum repræsentantibus. Horulæ spatium apparitionem definiebat, paulatimque cauda decrescere videbatur raritate aëris per luxatas spissiores nubeculas turbata, expectatione celerius disparebat, nec postea unquam apparuit. Apparet itaque hunc nostrum, *Helio Cometæ* a *Celeb. Sturmio* observato similiorem esse quam ovum ovo, de quo *Nov. Liter. Mar. Baltb. an. 1702. Mens. Maj. p. 154.* legantur; quapropter in his quoque

oris visum Helio Cometen diutius apud nos latere nolui, sed facere, ut aliis quoque innotescat, unicuique de eo liberum permittens iudicium.

GEDANI

In Athenæo

Die 31. Augusti D. Samuel Schelgrvigijs, SS. Theol. Prof. Athenæi Rector, & ad SS. Trin. Pastor, solenniter disputando excutiebat *Justificationem fidelium sub Veteri Testamento, à Coccejanâ Paresi vindicatam*, Respondente & Auctore *Michaelæ Gottlieb Hanschio*, Gedan. (3. plag. in 4.)

In præfatione, post expositam articuli de *justificatione præstantiam*, ad rem ipsam transitur. Hinc n. 1. explicantur voces, quid notet *πάρεσις* & *αρεσις* n. 2. 3. 4. & 5. adductis *Cocceji* verbis, quid ille per *πάρεσις* intellexerit, traditur, & controversiæ status exactè formatur. n. 6. usque ad 12. argumentis contra *πάρεσις Coccejanam* certatur: specialiter n. 7. 8. & 9. in locum Hebr. XIII. 8. inquiritur. n. 13. 14. 15. & 16. objectionibus adversarii respondetur. n. 17. Autores eandem Materiam tractantes recensentur. Subjiciuntur *πάρεσις* (1) contra Pajonistarum Mechanismum Theologicum. (2) contra *Petri Chauvini* extenuationem Peccati Originalis. (3) contra *Vœtii* Præcisissimum.

Die 6. Septembr. Idem D. Samuel Schelgrvigijs colophonem Disputationibus hebdomadariis super *Theses Antipontificias, in Manipulos distinctas*, typisque excusas, ac 9. Martii superioris anni cœptas, imponebat. Disputarunt autem Respondentes super Manipulum I. *Andreas de Rozyce Rodzycki*, Eqv. Polon. de Scripturâ S. II. *Martinus Böttger*, Mövenf. Pruff. de Scripturâ S. III. *Raltbasar Joachimus Subr*, Rhenâ Megapol. de Angelis & Imagine Dei. IV. *Gottlieb Schelgrvigijs*, Gedan. de Paradiso & Peccato Originis. V. *Paulus Holst*, Haderslebiâ-Cimber. de Peccato Actuali & libero Arbitrio. VI. *Johann Ephraim Gnospius*, Gedan.

de Jesu Christo & Gratia Dei. VIII. *David Gebauer*, Gedan. de Electione & Lege. IX. *Michael Gottlieb Hanschius*, Gedan. de Lege & Evangelio. X. *Michael Schilberg*, Gedan. de Sacramentis in genere. XI. *Ephraim Leichfeldt*, Gedan. de Sacramentis in genere ac specialiter de Baptismo. XII. *Jacob Bödker*, Palæo-Sedinenf. Pom. de Baptismo. XIII. *Godofredus Weise*, Neo-Sedinenf. Pom. de Baptismo & Eucharistia. XIV. *Johannes Korzenski*, Gedan. de Eucharistia. XV. *Gabriel Steingraber*, Gedan. de Eucharistia. XVI. *Georgius Swietlicki*, Soldavienf. Pruff. de Eucharistia. XVII. *Michael Gottlieb Hansch*, Gedan. de Justificatione & Fide. XVIII. *David Gebauer*, Gedan. de Justificatione & Fide. XIX. *Johann Gottfried Palm*, Gedan. de Sanctificatione & bonis Operibus. XX. *Johannes Randovius*, Wismarienf. Mecklenb. de Bonis Operibus & Pœnitentia. XXI. *Dietericus Valentiner*, Flensburgo Holfatus, de Pœnitentia. XXII. *David Gebauer*, Gedan. de Pœnitentiâ. XXIII. *Alexander Softman Rintel*. Haffo - Schauenb. de Pœnitentiâ & Votis. XXIV. *Johann Leonhard Schlicher* Gedan. de Votis. XXV. *Daniel Mann*, Elbing. de Cultu Religioso. XXVI. *Dietericus Valentiner*, Flensb. Holfatus, de Cultu Religioso. XXVII. *Johannes Korzenskj*, Gedan. de Cultu Religioso. XXVIII. *Nathanael Weber*, Gedan. de Jejunio. XXIX. *David Hanke*, Constadiâ Silesius, de Ceremoniis. XXX. *Johannes Tideus*, Rügenwald. Pom. de Ecclesia. XXXI. *Johannes Korzenski*, Gedan. de Ecclesia. XXXII. *Samuel Krüger*, Gedan. de Ecclesia ejusque Capite. XXXIII. *Christian Ephraim Höfes*, Gedan. de Capite Ecclesiæ. XXXIV. *Paulus Grim*, Medzricenf. Polonus, de Ministerio Ecclesiastico. XXXV. *Johannes Wilke*, Conicenf. Pruff. de Ministerio Ecclesiastico. XXXVI. *Johannes Glennius*, Gluckstad. Holfatus, de Magistratu. XXXVII. *Carolus Godofredus Heinius*, Gedan. de statu Oeconomico. XXXVIII. *Michael Nitz*, Gedan. de Novissimis. XXXIX. *Henrich Garber*, Gedan. de Hæreticis. Super XL. & ultimum *Daniel Mann*, Elbing. de AntiChristo. (pl. 10. in fol.)

Extra Athenæum.

Die 30. Septembr. intra horas 4.&5. pomeridianas anno ætatis LXXIIX. vitâ excessit *Andreas Kühnius*, SS. Theol. D. Ecclesiæ ad D. Mariæ Pastor Primarius, Rev. Ministeriû Dan- tificani Senior & Conventus Ecclesiastici Director. Natus est *Dresde* an 1624. d. 29. Maji, patre *Luca Kühnio*, Mercatore ibi- dem. Prima studiorum rudimenta partim in patriâ, partim in scholâ provinciali *Misenensi* jecit. *Wittebergam* an. 1640. veniens, Philologiæ præ cæteris apud M. *Adamum Spenglerum*, cujus & contubernio utebatur, se addixit, atqve altero mox anno Disputationem Metaphysicam *de Necessario & Contingente*, proprio Marte elaboratam, sub præsidio *Johannis Scharffii*, eo tempore Licentiati & Professoris P. habuit. Magistrigradum an. 1642. d. 20. Aprilis consecutus postea Theologiæ totum se impendit sub celeberrimis Doctoribus *Lysero*, *Hulfemanno*, & *Jacobo Martini*, quem Præsidem in Disputatione *de Attributis di- vinitis contra Masonium* venerabatur. *Wittebergâ Argentoratum* se contulit, ubi *Dorscheum* præ aliis sibi faventem expertus est, cujus potissimum instinctu animum ad Theologiam Polemi- cam appulit. *Basilæ* etiam apud *Buxtorffum* per tres anni qua- drantes Rabbinica excoluit: deinde *Galliâ* peragrata *Argento- ratum* atqve hinc ad suos redux an. 1651. Superintendentu- ram *Hertzbergensem* atqve in *Academiâ Wittebergensi* d. 18. Au- gusti Licentiam ad summum in Theologia gradum contenden- di obtinuit. Ibidem an. 1654. Doctor Theologiæ renun- ciatus, & quinquennio post nempe 1660. Superintendenturæ *Bischofswardensi*, elapsis vero rursum quindecim propè annis 1675. *Annabergensi* præfectus est. Tandem 1684. d. 22. Novembr. *Gedanum* vocatus, altero abhinc anno accessit. De scriptis ab eo editis agitur in *Novis Literariis* an. 1699. mense Julio p. 165. Accessit reliquis hoc ipso anno *Informatio de Termino perempto- rio*, cujus Titulus Germanicus ita se habet: **Wohlgemeynter treuhertziger Unterricht / wegen der streitigen Gnadenzeit / für seine diffals Lehrbegierige Zuhörer / auff deren Ansuchen bey Anfang der**
 Uu 3 **Strei-**

Erreichtigkeit auffgesetzt und abschreiblich communiciret; nunmehr aber durch einen für die Orthodoxie nicht weniger besorgten / zu steuern derselben/auff Begehren zum Druck gegeben. Wittenberg/verlegt Christian Gottlieb Ludwig 1702. (pl.17. in 4to.)

Ex Typographia

Johannis Zachariae Stollii prodierunt duæ Conciones M. *Godofredi Steinfeldt*, Ecclesiastæ Petersdorffensis: altera in Coronationem *Friderici*, Regis in Borussia, ex Gen. XVII, 5.6.7.8. (4to plag.5.) ; Altera super mortem Adolescentis, *Johannis Jacobi Hartungii*, ex Psalm. CXIX.9. (4to. pl.4.)

REGIOMONTI

Die 5. Octobr. sub Præsidio *Bernhardi von Sanden*, Jun. S. Theol. Doct. & Prof. Ordinar. p. t. Decani, Exercitationem Theol. de quæstione: *An Concilium Tridentinum sit legitimum & Oecumenicum Concilium, cui Divina & infallibilis autoritas competat, necne?* proposuit *Johannes Fridericus Stolzenberg* Pillaviensis Pruss. Autor, quâ aliquot argumentis probavit, neutrum ipsi competere. (plag. 3. in 4.)

Die 7. Octobr. M. *Joannes Sartorius*, Ecclesiæ Ridzeriensis Minister in Præfecturâ Loezensi, pro receptione in Facultatem Philosophicam, Respondente *Jacobo Sartorio*, Loezâ-Pruss. Disputationem priorem de *misturâ linguarum* habuit.

In §. 1. continetur ipsa quæstio: *Num tales lingvæ, ut nulla alterius verba in se admixta contineat, dentur?* In §. 2. Subjectum quæstionis, nempe lingvæ, consideratur, juxta opinionem quorundam (a) LXXII. enumeratur. (b) Quidam existimant non magnoperè nostra interesse, quot lingvæ vel nunc sint, vel olim fuerint. (c) Quidam LXXII, quidam LXXV fuisse, alii trecentas lingvas extitisse tradunt. In §. 3. Exhibetur propositio de novem tantum lingvis esse differendum. §. 4. *Mistura* consideratur per *ægon*, non *Metaphysica*, non *Physica*, non *Chimica*, non *Ethica*, sed *singulari*. §. 5. Probatur hæc à vocabulo

MENSIS NOVEMBR. MDCCII. 337

à vocabulo Hebraico ad Chaldaicum, ac Chaldaico ad Syriacum, à Syriaco ad Arabicum in declinando. §. 6. Afferitur æque hæc ipsa mistura in conjugando. §. 7. Continetur mistura *novem* lingvarum incipiendo ab Hebr. טפ usque ad Polonicam. §. 8. Comprehenditur mistura lingvæ Hebraicæ cum Polonicâ & Græca. §. 9. Docetur Hebraica verba inveniri & in Syriacâ lingvâ. §. 10. Monstratur quod Arabica habeat sibi admista verba Germanica, Græca & Polonica. §. 11. Quod etiam in se habeat Gallica, Germanica & Polonica verba. §. 12. Mistura lingvarum probatur & per dialectum. §. 13. Adducuntur testes hujus mixturæ, Moses, DEUS. T. O. M. ipse, cujus nomen ibi consideratur. §. 14. Adducitur pro teste D. *Rungius*. §. 15. Memoratur, quot lingvæ esse cœperint in turri Babylonicâ. §. 16. D. *Sennertus* ad concordiam testimonii advocatur & §. 17. *Joan. Henr. Alstedius*. §. 18. Concluditur lingvam Hebraicam confusam esse à DEO in plures lingvas, ubi etiam Objectio Pontificiorum *de impuritate Scripture* sistitur. §. 19. Ostenditur locus confusæ lingvæ Hebraicæ, nempe in urbe Babel. §. 20. Nominantur loci ubi lingua Hebraica non mista est. §. 21. Dicitur lingvam Hebraicam puram per Noachum servatam esse usque ad millenarium tertium. §. 22. Afferitur Noachum lingvam Hebraicam puram servasse usque ad Moysen, quod §. 23. & 24. confirmatur. §. 25. Concluditur lingvam S. Hebraicam certâ ratione loci & personarum mistam; certâ verò ratione loci & personarum puram tunc temporis fuisse.

Die 10. Octobr. sub umbone D. *von Sanden*, Jun. de *Revelatione divina*, ejusque variis speciebus, Dissertationem Theol. habuit, M. *Johannes Ernestus Segers*, Rectorum Alumnorum & Commun. Convict. Inspector secund. Autor. quâ 1. post evolutionem nominis 2. Existentiam Revelationis divinæ contra Gentiles & Hæreticos prolixè demonstravit 3. Quæ & quodplex

tuplex sit, à §. 5. inquiri, variorum sententias de speciebus referens. §. 6. Distingvit in mediatam & immediatam. §. 7. Quæ fit per signa externa i. oculo : quorsum refert §. 8. duas tabulas lapideas & §. 9. seq. Urim & Thummim, 2. *Aures* afficientia. §. 11. Altera species, quæ fit per signa §. 12. Tertia, quæ fit per species intelligibiles. §. 13. Quorum gradus exhibentur. §. 15. Inter omnes Mosi prærogativa vendicatur. §. 16. seq. Et inter omnes species, tanquam eminens, præfertur *Θεοπνευσία* §. 18. (plag. 9½ in 4.)

Die 19. Octobr. Præside *D. Paulo Pomian Pesarovio*, Prof. Extraord. Cniphof. Pastore, Consist. Samb. Assess. Pentas Thesium Theologicarum, I. de *Prophetiis in genere*, II. *Malachia non-Propheta*, III. De *Prophetiâ Cygni*, IV. *Igne Johanneo*, V. De *Achilleo argumento contra Communicationem Idiomatum humane Christi nature factam*, ad disputand. proposita est à *Bartholomæo Andrea*, *Johannisburg. Prussio*, Autore Respondente (2. plag.)

Die 24. Octobr. Præsidio munere sustinente *Petro Schwenner* J. U. L. & P. P. Auctor & respondens *Jacobus de Schmit* disputationem feudalem de *Vasallo delinquente* ventilavit. (7. plag in 4.)

In hac disputatione verba Titul. explicantur usque ad §. 5. *Delicta feudalia* distinguntur in *commissionis* & *omissionis* : utraqve vel in *Dominum* : vel occasione rei feudalis : vel respectu alterius, contra personam Domini committuntur. §. 7. Et juxta tria ista membra Tractatio instituitur. *Delicta Commissionis* adversus *Dominum* feudi privatione punienda, cum suis exceptionibus recensetur. §. 8. seqq. *Immediatè* Vasallus contra *Dominum* delinquit (1.) *Dominum* interficiendo §. 9. seq. (2.) castrum vel locum Domini oppugnando. §. 13. seq. (3.) Cum inimicis Domini amicitiam contrahendo §. 15. seq. (4.) aliam injuriam Domino inferendo §. 17. seq. (5.) à Domino juramentum calumniæ exigendo §. 22. seq. (6.) delatorem Domini

Domini agendo §.21.f. (7.) Contra Dominum advocati munus fuscipiendo §. 25. f. (8.) actionem vel exceptionem famosam contra Dominum instituendo §.29. (9) sponte contra Dominum testimonium ferendo §.30. seqq. (10) Justitiam Domino denegando §. 32. seqq. *Mediate contra Dominum delinquit Vasallus* (1) Dominum cucurbitando §.34. seqq. (2) Cum filia, nepote, sorore, matre Domini concumbendo §. 43. seqq. *De libta omissionis*, Vasallus committit contra Dominum (1) periculum Domino imminens non avertendo, (2) Dominum carceri inclusum aut inopem negligendo §. 47. (3) Filium, domesticos vel convasallum delinquentes ad Dominum non deducendo §.48. (4) auxilium in justo bello denegando §. 49. seqq. (5) Dominum in prælio deserendo §. 57. seqq. *Ratione rei feudalis* Vasallus delinquit *committendo* (1) quando rem feudalem dolose negat §. 54. seqq. (2) feudo abutitur §.59. seqq. (3) feudem sine consensu Domini alienat §.66. seqq. *Omittendo* (1) quando renovationem investituræ non intra debitum tempus petit, (2) se per contumaciam iudicio non sistit, (3) juramentum fidelitatis præstare recusat, (4) Servitia detrectat, (5) pensionem feudi censualis non solvit §. 68. *Credentiam manifestando* Vasallus etiam Feloniam committit §. 69. seqq. *Respectu aliorum* citra personam Domini Vasallus delinquit (1) parricidium committendo §. 72. seqq. convasallum ad necem prodendo (3) Crimen læsæ Majestatis (4) fractæ pacis committendo §.74. Ultimo adjicitur, qva ratione Felonia sit probanda §. 65. an Vasallus ipso jure ob Feloniam feudo excidat, an vero per sententiam iudicis feudo privandus? §.76. ad quem feudum Feloniâ commissâ devolvatur? §. 77. & 78.

Die 31. Octobr. Decas XVI. Thesium Controversarum, ex Loco de Sacramentis in genere selectarum, Præside Bernhardo von Sanden, Jun. Prof. Ord. h. t. Decano, aliquoties paullò ante laudato, ad ventilandum proposuit Michael Engel / Tilsâ Prussus, (plag 4.)

D. *Laurentius Roberg*, Med. Theoret & Pract. Prof. Reg. & Ord. cujus superiori mense Octobri pag. 294. mentionem fecimus, Disputationem Medicam *Morbos Hereditarios* complectentem publico examini submitit, Respondente *Job. Christ. Heyn*, Stockholm. (5. plag. in 4.)

In *Capitū Primi* § 1. probat Auctor morbos hereditarios dari. § 2. Præsentis materiæ difficultatem & obscuritatem magnam esse dicit. § 3. Non omnes morbos, uti *Sennertus* judicat; sed quosdam saltim hereditarios esse statuit, fultus tum ratione tum experientiâ & testimonio aliorum Medicorum. § 4. 5. 6. 7. Adfert catalogum morborum hereditariorum, eosque describit. Inter *Capitū* morbos illi est *pavor nocturnus*; *vertigo*; *epilepsia*; *fatuitas*; *mania*; inter *pectoris* passiones, *palpitatio cordis*; *asthma*; *phthisis*; inter *ventris* morbos, *calculus*; *lues venerea*; *scorbutus*; *passio hypochondriaca* & *melancholia*; inter *artuum* & *superficiem corporis* labe, *arthritis*; *variola* & *morbilli*, omnesque *scabiei* species. His § 8. *vitiâ conformationis* adnumerat, quæ à parentibus in liberos ita propagantur, ut simili labe, eademque partis cujusdam corporis formâ, quâ adfecti fuerunt genitores, notentur & proles. *Capite secundo morborum hereditariorum transitum in liberos* ostendit, & quidem § 2. & 3. de conceptione, eorumque naturâ, quæ ad conformationem foetus pertinent, quædam dicit. A § 4. ad 9. *inclusivè*, ipsum formationis foetus negotium considerat, asserens, non *simultaneam*, sed *successivam* partium post partem generationem probabiliorem sibi videri. Hinc *quinque* mechanicas causas, si non omnia, certè plurima, facientes efformantesque proponit, & primo loco *sanguinem*; secundo *spiritus animales*; tertio *liquorem*, cui *innatat fœtus*; quarto *humores à matre venientes*; quinto *matris spiritus* nominat. § 10. & 11. Fermenti morbifici naturam determinat, ejusque vel acrimoniæ, vel fixitati hereditariorum morborum pertinaciam deberi

deberi affirmat. *Capite denique Tertio morborum illorum curam* tradit, breviterque quædam affert *de Dieta regulis*, de *remediorum generibus* ubique ferè locum invenientibus, quæ inter laudat *curam lacteam*, *acidulas*, *salivationem*, & tandem generalem intemperierum præcipuarum curam ante oculos ponit.

HAFNIAE.

D. *Bartoldus Botfaccus* edidit *Commonitorium triplex, Evangelicum, Epistolicum, & Catecheticum*, de fugiendo Papismo; sive, *Warnung für das Pabstthum* / in unterschiedlichen Predigten zu unterschiedenen Zeiten seiner Gemeine vorgetragen / und igo zum Druck überlassen / auch mit vielen Anmerkungen / sonderlich die Geschichte der Lutherischen Reformation in Dennemarck betreffend / erläutert durch *Bartoldum Botfaccum*, SS. Theol. D. Ejusdemque Reg. Profess. Honorarium & Consistorialem Havn. & ad S. Petri Past. antehac Brunsvic. Superint. Franckfurt und Leipzig in Verlegung *Christoph Friederich Gillers* / 1702. (2. Alph. 4. pl. in 8.)

TVNDERAE.

Die 5. Octobr. *Johannes Conrad. Kieffer* / *Serenissimi Holsatiæ Ducis Consiliarius in Sacris*, *Præpositus & Pastor Tunderensis* vitâ excessit. Natus ille est an. 1644. d. 30. Octobr. *Kubosii* propè *Oldenburgum* in *Wagria*. Studiorum cursum ductu *Martini Wildii*, *Diaconi* postea *Femariensis*, cœptum in *Gymnasio Bremensi* continuavit, & in *Academiis Helmstadiensi* nec non *Kiloniensi* absolvit. Hinc an. 1676. à *Generoso Joh. Henr. Kielman*, *Barone* à *Kielmanseg* primùm *Pastor Eeckensis* (zum *Eeck*) in *Præfecturâ Trittaviensi*, & deinde à *Gloriosiss. mem. Principe CHRISTIANO ALBERTO*, *Hamburgi* tum *degente*, *Concionator Aulicus* vocatus est. Hæc spartâ etiam postmodum *Gottorpii*, quum *Serenissimus Princeps* modò memoratus hanc sedem repeteret, functus est, cui paullò post *Consiliarii in Sacris*, & post obitum *Superintendentis Niemanni* dignitas *Confessionarii Ducalis* totiusque *aulæ*, usque dum *B. Sandhagen* adveniret, accessit. Tandem

dem quum hic ad plures abiret, Generalis Superintendentis negotia an. 1697. procuravit, & insequenti denique anno B. Petro Zitschero in Præpositurâ atque Pastoratu Tunderensi successit. Ex Conjuge priori, D. Conradi Schmidlingii, Archiatræ Ducalis, filia, tres liberos, unicum sc. filium, & duas filias; ex posteriori autem, jam Viduâ, Joh. Adolphi Beselin, S. R. M. Daniæ Norwegiæque, Justitiæ & Cancellariæ Consiliarii, filiâ, nullos reliquit. Eloquentiam ejus haud vulgarem probat Oratio funebris in funeratione Serenissimi Principis CHRISTIANI ALBERTI an. 1695, d. 26. Febr. habita, & typis hoc titulo impressa:

Per Aspera ad Astra! oder der Seeligste Leid- und Freuden-Wechsel/ welchen der weyland Hochwürdigste und Durchlauchtigste Fürst und Herr CHRISTIAN ALBRECHT/ Erbe zu Norwegen/ Postulirter Coadjutor des Stifts Lübeck/ Herzog zu Schleswig/ Holstein/ Stormarn und der Ditmarschen/ Graff zu Oldenburg und Delmenhorst &c. glücklich getroffen/ &c. Aus Höchst-gedachter Ihrer Hoch-Fürstl. Durchl. Symbolo nach Anleitung der Worte Pauli, Rom. VIII, 18. an dem Beysehungst- Tage fürgestellt. (12½ plag. in fol.)

KILONII.

D. Joh. Ludov. Hannemanni *Spicilegium ad Meletema: de æquivocâ generatione, addendum,*
cujus in N. L. 1701. p. 317. seq. mentio facta.

Quamvis sat copiosâ rationum phalange asseruerim, dari animalium aliquam æquivocam genesin, tamen & hanc addere operæ pretium duxi. Quippe cum gloriosissimus DEUS terram & aquam alloqueretur, ut animalia & vegetabilia producerent, ac insuper hoc mandatum daret: Crescite, multiplicamini & replete terram; non duntaxat hæc duæ rerum omnium matrices jussæ sunt producere vegetabilia & animalia. Quorum generatio univoca mediante seminum Archæo perennaret. Sed & hoc DEi mandatum omnigenæ bene-

benedictionis Cornu Copiæ aqvæ & terræ indidit, & aliorum animalium sponte provenientium ideas seminales, suorum Corporum Architectrices. Quod mandatô summi Numinis, haud humanæ industriæ viribus, investigabile robur accessit hac benedictione: Crescite & multiplicamini & replete terram. Proin una guttula aqvæ, omnium animalium, & qvæ fato univocæ vel æqvivocæ generationis oriuntur, ac vegetabilium utroque ritu oriundorum innumeras seminales ideas, suorum Corporum fabricatrices complectitur. Quare concludimus (1) quod illud DEi ad terram & aqvam alloquium mandans, ac (2) ipsa formula benedictionis æqvè respiciat æqvivocam ac univocam Corporum genesin. Ex utriusque generationis negotiô (si excipiam hominem) immensæ omnipotentæ innumeri characteres elucent. Ex hoc fundamento etiam non veremur asserere, *Quodlibet ex quolibet vi Archæi Naturæ posse fieri.* Et eodem jure *quodlibet in quodlibet posse converti.* Sicque nullius animalis semen fataliter prædestinatum est ad sui generis vel speciei productionem. Quod inter alia evincunt stupendæ aberrantis Phantasiæ vires. Ne nunc etiam commemoremus nostræ sententiæ inconcussa argumenta. Quam enim sæpè Phantasiæ vim plasticam à regiâ viâ in bivia deflectat, pleni sunt Medicorum & Philosophorum libri id genus testimoniis. Verùm hæc satis.

HAMBURGI.

Lucem publicam vidit Johann Windlers/Pastoris zu St. Michaëlis, und Rev. Ministerii Senioris, höchstgemüßigte und freymüthige Darlegung seiner Unschuld und Ursachen / die Ihn bewogen in Titl. Hn. Johann Friederich Mayers/General Superintendenten in Vor-Pommern &c. Vocations-Werck/das Pastorat zu St. Jacobi betreffend nicht zu gehelen! von Ihm in den Druck gegeben. Hamburg, 1702. zu finden bey Gottfried Liebernickel/Buchhändler im Dohm / (3½ plag. in 4.)

Die 2. Octobr. ad plures abiit *Albertus Schulte*, J. V. L. & Reipub. Hamburgensis Protonotarius. Qui cum Patre *Johanne Schult*, J. V. L. & Consule Hamburgensi an. 1651. d. 26. Decembr. natus esset, literarumque fundamenta probè jecisset, an. 1672. *Lipsiam* adiit. Absolutò hic studiorum cursu, *Cadomi* (Caen) in Galliâ an. 1677. d. 10. Jan. Disputationem Inauguralem pro Licentiâ de *Sententiis* habuit. *Germaniâ*, *Belgiò*, *Angliâ* atque *Galliâ* peragrata an. 1678. in patriam redux factus est, ibique primum an. 1683. d. 15. Aug. Secrerarii, deindè an. 1693. d. 15. Martii Protonotarii spartam exornavit. Postquam his muneribus 19. annos, 1. mensẽ, & 16. dies præfuisset, quinqvagesimo primo ætatis anno obiit, ex viduâ superstite tres filios & duas filias relinqvens.

Die 25. Octobr. vitam cum morte commutavit *Gerhardus Schott*, J. V. L. & Senator Hamburgensis. Lucem ille an. 1641. d. 30. Aprilis *Hamburgi* adspexit, & studia ibi in Scholâ *Johannitanâ* & *Gymnasio* laudabiliter cæpta in *Academia Helmstadiensi* per tres annos continuavit, *Heidelbergæ* ulterius excoluit, *Basileæque* absolvit, habitâ ibidem an. 1665. Disputatione Inaugurali de *Substitutione vulgari*. Confecto postmodum per *Galliam*, *Italiam*, *Germaniam* & *Belgium* itinere, *Svecos* etiam adiit. Ab his domum reversus, an. 1682. *Judicii inferioris Actuarius* constitutus, & an. 1693. d. 16. Aug. Senator electus est. Quum sexagesimum secundum ætatis annum attigisset, conjugem, quam an. 1671. d. 2. Octobr. matrimonio sibi junxerat, morte suâ fecit viduam & duas filias patre orbas.

Helvicus Sylm, hæctenus Secretarius, Protonotarii officium, quod *Albertus Schulte*, J. V. L. cujus paullò ante meminimus, morte suâ vacuum reliquit, adeptus est, hujusque provinciam obtinuit *Johannes Anderson*, J. V. D. quo axiomate an. 1697. *Lugduni Bataavorum* ornabatur, ventilatâ de *Juramento Zenoniano* Disputatione.

Paulus Draing, qui an. 1671. d. 9. Jan. Gradum Licentiatu-
 ræ sumsit, postquam *Argentorati* de Pœnitentia disputave-
 rat, *Gerhardo Schott*, de cujus obitu brevi ante mentionem
 fecimus, in dignitate Senatoriâ successit.

Sumtibus *Benjamini Schilleri*, typis expressa sunt *Johannûs Grö-
 ningii*, J. V. D. *Nova Instituta Practica*, quibus *Processus
 Communis, cum Parallelismo Judicii Aulici, Cameralis, Summi Tri-
 bunalis Wisuariensis, & Fori Saxonici*, ex solidis Prudentiæ Practi-
 cæ principis, & Prejudiciis novissimis, brevi dicendi genere, sed
 amplissimo sensu & allegationibus, III. Libris exhibetur. His ad-
 ditur *Catalogus Scriptorum Practicorum ad ordinem Institutorum
 digestus*; ita ut Eadem, vice *Bibliotheca & Manuuctionis Practicæ
 omnibus tam in Academiis, quam Foro versantibus utiliter esse
 queant.* (I. Alphab. in 8.)

In hoc libro Auctor in usum illorum, qui jam in Fori tri-
 turâ versantur, Judicata, & Præjudicia recentiora, aliis hucusq;
 ignota, & à se *Vienna & Wetzlarie* collecta, ubivis interspersit.
 Junxit itidem Processui communi Praxin Excelsorum in Im-
 perio Judiciorum horumqve Parallelismum ostendit. Sing-
 gula insuper allegationibus amplis Doctorum, qui prolixius
 omnia pertractarunt, communivit. In gratiam autem inci-
 pientium *Instituta* hæc ita composuit, ut id, quod in ipsis rerum
 obtinet argumentis, Studiosorum animi accipiant, breviter
 exponens, quod antea obtinebat, & quid nunc obtineat, im-
 mutatumve sit, quidque adeò in Praxi & Foro instar normæ
 & regulæ tutò neque fluctuantes sequi debeant. Proinde in
 illis connexionem singulorum titulorum, uti Fori ordo servat,
 diligenter ostendit, & insuper sollicitè cavet, ne tot discrepan-
 tiis Judiciorum, animus Incipientis in ipso primordio confun-
 datur. Divisit *Instituta* in III. Libros. Quorum *primus* agit de
 Processu primæ instantiæ. *Secundus* de Processu secundæ In-
 stantiæ. *Tertius* de suprema Instantia. Libri *primi* iterum
dua sunt Sectiones quarum *altera* 8. continet *Capita*. I. agit de Ju-
 ciorum

dicionum Origine, Progressu & Jure. 2. de Eorum divisione & forma. 3. de Judice in genere. 4. de Judicis Officio. 5. de Judicis habilitate & Competentiâ. 6. de Actore & Reo. 7. de Affessoribus, Secretariis, & Apparitoribus. 8. de Intervenientibus & Advocatis; *altera Sectio* sequentia hujus Libri primi capita comprehendit, nimirum *Cap. 9.* quod agit de Processus ordine, & quidem de Supplicatinne & Mandatis. 10. de Citatione. 11. de Libello. 12. de Reconventionem. 13. de Dilatione. 14. de Feriis. 15. de Sopienda per transactionem Lite, vel transferendâ in alium. 16. de Exceptionibus Dilatoriis. 17. de Cautione & Satisfactione. 18. de Contumaciâ. 19. de Litis Contestatione. 20. de Exceptionibus Peremptoriis. 21. de Juramento Calumniæ. 22. de Positionibus & Responionibus. 23. de Probationibus in genere, & Præsumptionibus. 24. de Confessione, & oculari Inspectione. 25. de Juramento. 26. de Instrumentis. 27. de Testibus. 28. de Disputatione Attestationum. 29. de Conclusionem Causæ. 30. de Inrotulatione & transmissione Actorum, & ex iisdem Relatione. 31. de Sententiâ interlocutoriâ & definitivâ. *Libri secundi Cap. 1.* agit de Remedio, seu Querela Nullitatis. 2. de Supplicatione & Leuteratione. 3. de Revisione. 4. de Restitutione in integrum & Syndicatu. 5. de Causis, à quibus appellari potest. 6. de his qui appellare possunt, & ad quos appellatur. 7. de Formâ Appellationis. 8. de Appellationis Effectu. 9. de Executione Sententiæ. *Libri tertii Cap. 1.* agit de Judice & Consiliariis Archi-Dicafteriorum Germaniæ. 2. de Modo fundandi Jurisdictionem Supremæ Curix, tam in primâ, quàm secundâ Instantiâ. 3. de Processu supremi Fori, tam Audientix, quàm Causæ. 4. de Relationibus. 5. de Sententiis supremi Fori. 6. de Sententiarum Contrariis. His demum additur Appendix, quæ exhibet (α) *actum Introductionis S. Tribunalis Regii*, pro Illustratione eorum, quæ in Capite I. Lib. I. de eodem dicta sunt. Et (β) *Catalogum selectum Scriptorum Præficorum*, qui ad ordinem Institutorum digestus, & ad singula Capita Auctores præcipuos & singulares, qui de quovis argumento ex professo scripserunt, designat.

NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Decembri, MDCCII.

ROSTOCHII

Zacharias Grapius, Rostoch. SS. Theol. D. PP. & ad D. Jacobi Verbi Divini Minister typis commisit *Compendium Theologiae Positivae Universalis, ex Obligatione nostrâ erga Deum deductâ*, in quo *partim* de Existentiâ Summi alicujus Numinis, cui obligamur, *partim* de Causis, ob quas obligamur, quæ integram Theologiam Didacticam alias dictam exhibent: *partim* de ipsis obligationis actibus, qui Theologiam Moralem offerunt, agitur, ita ut primariæ theses ex singulis Locis extractæ compareant, pro memoriâ in gratiam Auditorii sui *Domestici* adornatum, inque Disputationibus privatis ventilatum. (6¼ plag. in 4.)

Hoc Compendium juxta illam methodum conscriptum juxta quam B. D. *Justus Christoph. Schomerus*, Celeberrimus quondam Acad. Rostoch. Theologus, semper optare solitus est, ut in Academiis universa Theologia non mutila & manca; sed integra pertractaretur, omniaque ex obligatione nostrâ erga DEUM deducerentur, & Theologiæ Moralis, quæ aliàs communiter à Didacticâ, & quidem minus rectè, divellitur, ratio haberetur. Proinde utrumque hic conjungit Auctor, quantum Compendium capere potest, uberiorem horum omnium deductionem alii reservans occasione. Nimirum primarias theses hac vice saltem exhibet, easque non solum contra antiquiores; sed & recentiores ac recentissimos Adversarios notandas in *secundâ* scilicet parte. In *tertiâ* parte sequitur B. Schomeri specimen Theologiæ Moralis, ejusque Collegium Manuscriptum. Quo autem B. L. eo melius constet de hujus

Compendii Summa, ejus Sciagraphiam hîc subjicere placet. *Prolegomena* agunt de *Naturâ Theologia* in genere; *Compendium* verò ipsum tribus absolvitur partibus. Quarum *prima* quasi præliminaris agit de obligationis nostræ certitudine. Ubi (1) *Existentiâ Dei* cui obligamur, *Cap. 1.* (2) *Obligatio ipsa seu Religio*, *Cap. 2.* *Secunda* agit de *Causis*, ob quas Deo nostro obligamur. Huc spectant scilicet credenda, de quibus agitur (α) in genere *Cap. 1.* (β) in specie. Sic obligamur DEO (a) ob principium illud, in quo se ad salutem nostram revelavit, quod est *Sacra Scriptura*, *Cap. 2.* (b) ob DEi naturam. Hinc de DEo agitur *Cap. 3.* (c) ob ejus opera, & quidem in specie ob duo illa potentia potissimum huc spectantia, qualia sunt (1) *Creatio*, in quâ magnò nos beneficiò affecit, *Cap. 4.* Refertur etiam huc egregium illud creationis opus, *Angeli*, quorum custodiam nobis largitur, *Cap. 5.* (2) *Providentiâ*, de quâ *Cap. 6.* (d) *In triplici nostro statu*, & quidem (N) *instituto*, ob *imaginem concreatam*, de quâ *Cap. 7.* (2) *Destituto*. In quo & *reatu peccati*, de quo *Cap. 8.* & *virium nos juvandi impotentiâ*, de quâ *Cap. 9.*, Deo maxime tenemur. (3) *Restituto*, ubi (α) *restitutionis principia*, (β) *restitutionis media*. (1) *Restitutionis principia* sunt (a) *Patris voluntas benignissima*, quæ (A) *universalis*, *Cap. 10.* (B) *specialis*, *Cap. 11.* (b) *Christi redemptio*, *Cap. 12.* (c) *Spiritus S. gratia applicatrix* (α) in *vocando*, *Cap. 13.* (β) in *convertendo*, *Cap. 14.* cujus gradus *illuminatio*, *Cap. 15.* *Effectus pœnitentiæ*, *Cap. 16.* Ejus effectus est *justificatio*, *Cap. 17.* Hujus effectus iterum est *partim regeneratio*, *Cap. 18.* *partim unio mystica*, *Cap. 19.* (γ) *Renovando*, *Cap. 20.* (2) *Restitutionis media* (a) à parte DEi *δὲ θεῶν* (1) *Verbum*, *Cap. 21.* (2) *Sacramenta*, *Cap. 22. 23. 24.* quæ dispositio vocatur *Testamentum*, *Cap. 25.* (b) à parte hominis *ληπτικὸν fides*, de quâ *Cap. 26.* Hæc media habentur in *Ecclesiâ*, de quâ *Cap. 27.* quæ constat ex *tribus illis statibus*, de quibus *Cap. 28. 29. 30.* (c) Denique obligamur etiam DEo nostro ob *novissima* illa, de quibus *Cap. 31. 32. 33.* Ex quibus eminet *vita aeterna*. *Tertia pars* agit de obligationis muniis, ubi (I.) de *agendis* in genere, *Cap. 1.* (II.) De *actio-*
num

num moralium principiis, *Cap. 2.* (III.) De justitia universali, *Cap. 3.* (IV) De agendis in specie (a) respectu Dei, *Cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.* (β) respectu Angelorum & B. Cœlitum, *Cap. 11.* (γ) respectu nostri, *Cap. 12.* (δ) respectu proximi, *Cap. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.* (ε) respectu brutorum, *Cap. 21.* (ζ) respectu Diaboli, *Cap. 22.*

D. Christoph. Conradus Goerizius, Regiomontanus, S.S. Theol. Prof. Extraord. in Acad. Patriâ designatus, superiori anno Rostochii promotus (vid. N.L. an. 1701. Mens. Octobr. pag. 294) publicavit ibi *Tractatum*, nuper *Hale Magdeburgica* imprefsum, & præterito anno brevi sciographiâ delineatum (quam vid. in N. L. 1701. Mens. Jul. pag. 193.). Titulus dicti Tractatus hic est: *Papatus irrationalis ex Christiani Helwichii, Med. D., & ad Papatum personati transfuge, rationibus selectis & Dissertatione pro eis edita, demonstratus &c.* (8. plag. in 12.)

Die 12. Nov. *Joh. Joachimus Schöpffer* J. V. D. & Prof. Publ. Ord. Com. Palatinus Cæsar. Consistorii Ducal. Consiliarius, nec non Facultatis Juridicæ Pro-Decanus, Programma publicavit, quo ille suo & Collegii Jurid. nomine, Disputationem Inauguralem Candidati, *Hermanni Albrechti Schuckmanni*, Gustroviensis Mecklenburgici, de *Repetendo Testium examine*, d. 23. Nov. habendam, indixit, ad illamque audiendam invitavit. (1. plag. in 4.)

Candidatus hic *Gustrovii* d. 22. Jul. an. 1680. natus Patrem veneratur *Henricum Schuckmannum*, Sereniss. Ducis Mecklenb. Regentis Aulæ & Cameræ Gustroviensis Consiliarium, qui filius est *D. Hermanni Schuckmanni*, Rostochii quondam SS. Theol. Prof. & Facultatis Theol. Senioris, Consistoriique Ducalis Assessoris, postea Concionatoris Aulici Primarii, & Distr. Gustrov. Superintendentis, & nepos *D. Henrici Schuckmanni*, olim judicii Aulici Consiliarii, deinde ab an. 1633. usque ad an. 1656. in Acad. Rostochiensis Codicis Prof. & Consist. Assessoris, Fctis Jurid. Collegiique Ducalis & Acad. Senioris;

Matrem quoque habet superstitem *Catharinam Schützen / Joh. Alberti Schützen / Jcti, & Sereniss. Ducis Mecklenb. Gustrov. Dn. GUSTAVI ADOLPHI Gloriosiss. memor. per multos annos Consilarii Camerae intimi, nunc quoque Sereniss. Ducis Regentis, Dn. FRIDERICI WIL HELMI Consilarii Camerae intimi, filiam. Literis imbutus est Gedani, inde ad Acad. Regiomontanam se contulit, ex qua Rostochium venit. Dehinc verò etiam ad Acad. Fridericianam, quæ Hale est, concessit, ex quâ tandem Rostochiensem repetiit, præmia studiorum petiturus.*

Die 23. Nov. Præsides *Joh. Joachimo Schöpffero*, modo memorato, laudatus jam Candidatus dictam Disputationem Inauguralem *de Repetendo Testium examine*, pro consequendis honoribus & Privilegiis Doctoralibus, solenni Eruditorum Disquisitioni submisit. (6. plag. in 4.)

Capitis primi, quod agit de Repetendo Testium examine in genere, & quod eo opus non sit, Contenta sunt hæc: Repetere testes vel examen testium, phrasis est in praxi recepta n. 1. 2. Ejus tamen non eadem ubiqve est significatio n. 3. seqq. Referuntur phrasæ Synonymicæ n. 11. Describitur n. 12. repetitum testium examen, quod sit actus judicialis, quo testes, semel examinati, in eadem causâ, super eodem puncto controverso iterato examinantur. Quid iudex in eo observare debeat, n. 13. Tali repetitione opus non est, n. 14. Quia testes semel legitime examinati sufficienter probant, n. 15. Etiam in appell. instantiâ, n. 16. Etiam in alio planè iudicio, n. 17. Etiam in Ecclesiastico, licet testes examinati sint in seculari iudicio, n. 18. seqq. Testes in possessorio examinati probant quoque in petitorio, n. 20. seqq. Quidam hoc casu publicationem attestationum desiderant, n. 24. Quam tamen quisque petere potest, n. 25. seqq. Testes in causâ civili examinatos non probare in causâ criminali, pleriqve arbitrantur. n. 27. seqq. Contraria tamen sententia probabilis, n. 29. seqq. Ita tamen ut repetitio

repetitio concedenda sit, n. 32. seqq. Imò repetitio testis planè non admittitur, n. 34. seq. propter metum subornationis, n. 36. nisi iusta subsit causa, n. 38. *Caput secundum* agit de *Repetendo Testium examine, ex persona iudicis, vel Examinantis*, & sequentia continet: Testes repetendi sunt, si Examinans non habet jurisdictionem, n. 1. Si, v. g. ab arbitro sunt examinati, n. 2. seq. Nisi pacto aliud placuerit, n. 6. Vel testes mortui sint, n. 7. seqq. Hinc colligunt: mortem idem operari quod juramentum, n. 9. Contrarium verius, n. 10. seqq. L. fin. C. d. testib. obtinet in examinatis ab arbitratore, n. 12. seq. Testes examinati à Notario non probant, sed repetendi sunt, n. 15. Licet utraqve pars consenserit, n. 16. Applicatur decisio l. fin. C. d. testib. n. 17. seqq. Quid si iudex fuerit incompetens, an opus repetitione? n. 19. seqq. Iudex ex officio testium repetitionem instituere potest, n. 23. seq. Etiam in appellationis instantia, n. 26. An pars in appellationis instantiâ repetitionem petere possit, n. 27. seqq. *Capitis tertii*, de *Repetendo Testium examine, quia forma neglecta fuit*, argumentum ita se habet: Regula generalis de admittenda examinis repetitione, n. 1. Ex citatione testium omissâ non fit repetitio, n. 2. seq. Aliud, si pars adversa non sit citata, n. 4. seq. Testes, qui non iurarunt, repetendi, n. 6. Juramentum h. c. non confirmat retro depositionem, n. 7. seq. Repetitio conceditur propter intermissam avifationem, n. 13. seq. Non verò propter intermissam erectionem digitorum, n. 15. seq. Repetitio fit, quia testes in præsentia partium sunt examinati, n. 20. Vel in turbâ, n. 23. vel ob omissum articulum vel interrogatorium, n. 24. vel si in scriptis respond. deposuerit, n. 25. Quid si testi depositio non sit prælecta, n. 27. seqq. Vel silentium non sit impositum? n. 33. *Capitis quarti*, de *Repetendo testium examine ex personâ vel dicto testis*, Summaria: Quandoque ex personâ vel dicto testis potest obtineri iteratio examinis, n. 1. Si v. g. testis tempore jurisjurandi præstandi

fuerit subebrius, n. 2. seq. Idem, si tempore depositionis talis fuerit, n. 7. seq. Nisi pars expressè vel tacitè consenserit, n. 12. An testis ad perpetuam rei memoriam examinatus, repeti possit, si cesset causa ob quam antea examinatus fuit? n. 17. seqq. Ad dictum testis dubium declarandum admittitur repetitio, n. 26. seqq. Quid si testis publicatis attestationibus contrarium deponat? n. 29. seq. Quid si dicti rationem non reddiderit? n. 34. seq. *Caput quintum, quod agit de Repetendo testium examine, ob impetratam restitutionem, sequentia tradit: Minor contra lapsum termini probatorii restituitur, n. 1. seq. Non tamen ad repetendum testium examen, n. 4. seqq. Nisi probet, in examine aliquid omissum esse, quod sibi prodesse poterat, n. 9. An restitutio minoris profit quoque adversario? n. 11. seq. Nec minor restituitur ultra id, in quo læsus est, n. 14. seq. Depositionibus amissis, iterato examinandi sunt testes, n. 16. Nisi culpa producentis amissæ, n. 17. Quod iudicis arbitrio relinquitur, n. 18. Si acta alia ratione suppleri possint, non recurrendum ad iteratum examen, n. 19. Capituli denique sexti de formâ Repetitionis ejusque sumtibus hæc est summa: Quoties examen nullum, toties novo opus est examine, n. 1. Idem si pars non sit citata, n. 2. seqq. vel restituatur, n. 7. vel si testis coram non competente sit examinatus, n. 8. vel si testes non jurarint, n. 9. Nisi partes juramentum remisissent, n. 10. Vel si subebrius fuerit, n. 11. Quoties examen non est nullum, toties novo juramento opus non est, n. 12. v. g. si ad interrogatorium non sit examinatus, n. 13. seqq. Idem dicendum, si testis dictum obscurum declaret, n. 17. seqq. Vel rationem dicti addat, n. 20. Quomodo depositio emendata scribenda sit? n. 21. Testis repetendus an se possit referre? n. 22. seqq. An petere ut sibi prælegatur prior depositio? n. 24. seqq. Examen novum fiat sumtibus illius, qui in culpâ, n. 27. seq. Alias sumtibus producentis, n. 30. Vel petentis, n. 31.*

Die 25. Novembr. sub Præsidio M. *Justi Wesseli Rumpai*, Gvestphali an. 1700. Rostochii promoti, (vid. N. L. dicti anni p. 290.) *Matthias Meyer* / Lubecens. S. Theol. & Phil. Studiosus, Auctor & Respondens, cujus jam supra pag. 219. meminimus, in Disputatione Philosophicâ *Philosophiam Aristotelicam Recentioribus quibusdam insensam & contra eos defensam* publicæ Eruditorum συζητησεν submit (6. plag. in 4.)

Commendandum meritò est studium Virorum in Academiâ Rostochiensis doctissimorum, quo Novaturentium conatus, Ecclesiæ & Rei literariæ perniciosos laudabili industriâ deprimere conantur. Recensuimus nupero Mense (p. 323.) *Constantinum M.* adversus *God. Arnoldum* fuisse defensum. Hic enim *Imperator* è Christianis primus laude quavis dignior est, neque ulla in re commeritus, qui ita contumeliosè convitiis hominibus haberetur, prout rectè de illo scribit *Andreas Adamus Hochsteterus* in *Orat. de Utilitate Peregrinationis Anglicanæ*, in *Acad. Turing. 1697.* habita, cum Eloquentiæ & Poëtos professionem anspicaretur, p. 14. Huic ergò alium jungimus scriptorem, qui adversus Recentiores quosdam *Philosophiam Aristotelicam* masculè ivit defensum, & præcipuè quidem contra *J. W. Zieroldum*, *Godofredum Arnoldum*, & *C. Thomæsum*. Ne autem *απερίσδως* progrediatur Auctor, duabus rem omnem expedit *Sectionibus*, alterâ, quæ odium ipsum ac causas; alterâ verò, quæ defensionem sistit.

STRALESVNDÆ.

Prodiit *Concio funebris*, à M. *Johanne Brunsten* / Ecclesiæ Poserizensis in Rugiâ Pastore, & circumjacentis Synodi Præposito, habita in funere M. *Augustini Lemmii*, Pastoris & Præpositi Gingstensis, Ejusque *Uxoris & Fratris*, (de quorum ut & M. *Georgii Christophori Lemmii* obitu superiori mense Sept. pag. 255. mentionem fecimus) Titulus ita habet: *Die schlagende und heilende Hand Gottes des Allmächtigen in einer Leich-Sermon*

Sermon &c. aus Zachar. XIII, 7. mündlich/und nun auff Begehren
 schriftlich fürgestellt. (13½ plag. in fol.)

Accedit etiam Parentatio in horum die exeqviali à *Melchiore Wildahn* / Pastore Zudarensi, recitata, & sequenti inscriptione impressa: Die zerstreute Lemmische Priester-Heerde bey höchst-schmerzlichen Leichen-Begängniß Dreyer aus derselben plötzlich dahin gerissenen einverleibten Mitglieder &c. unter dem Sinn-Bild einer anmuthigen und sich freuenden / aber durch ein darzwischen kommendes reißendes Thier / jämmerlich zerstreuter Heerde / in gehaltener Abdankungs-Rede zu Gingsst den 5ten Juli. an. 1702. vorgestelllet &c. (3½ plag. in fol.)

Quum hactenus ob spatii defectum utriusque *Lemmi*, nimirum *M. Georgii Christophori*, in Sudanâ urbe ad *D. Nicolai Archi-Diaconi*, & *M. Augustini*, fratrum uterinorum, pleniorum vitarum descriptionem dare non potuimus, hac vice, commodam nacti occasionem, illam inferere placuit. Ambo nati sunt *Alten-Vehra* in Rugiâ; ille quidem an. 1656, d. 24. Novembr.; hic autem an. 1664. d. 12. Januarii, Patre *Christophoro Lemmio*, per 49. annos ejus loci Pastore, & Circuli *Poserizensis* Seniore, adhuc dum superstite. Postquam *M. Georgius Christophorus* studiorum suorum fundamenta posuisset, an. 1675. *Wittebergam* profectus est, & sequenti statim anno sub Præsidio *Joh. Meisneri* de *Imagine DEI* disputavit. Hoc specimine edito fiebat, ut *Dn. Greenius* filii sui curam ipsi committeret, quo cum tam *Dresde* quam *Witteberga* vixit. Postea cum animus illi esset natale solum repetendi, summos prius in Philosophiâ honores capeffivit, & binas Disputationes de *Insulâ Rugiâ* conscripsit. In patriam an. 1680. redux *Gryphiswaldiam* adiit, ibidemque juventuti Academicæ docendo non solum profuit, sed in cathedrâ etiam an. 1682. visus est quum de *Spectris* differeret. Studiorum cursu ita absoluto, an. 1683. à *Stralsundensibus* ad Diaconatum Templi *Mariani* vocatus est, & an. 1693. ad *D. Nicolai Adem Archi-Diaconi*

MENSIS DECEMBR. M DCCII. 355

Diaconi munus obtinuit. Duæ præterea quidem ab exteris ipsi oblatae sunt vocationes, altera nimirum à Gloriosiss. mem. Svecorum Reginâ, *Vlricâ Eleonorâ*, quæ illum sibi à Concionibus sacris esse voluit; altera verò an. 1694. à Serenissimo Frisiæ Orientalis Principe, à quo dignus judicabatur, qui Superintendententis & Concionatoris Aulici Primarii spartam sustineret; ast in patria hæerere eiqve inservire maluit ad mortem usque, quam anno ætatis quadragesimo sexto, nempe d. 10. April. c. a., oppetiit, ex binis Conjugibus quinque liberos relinvens.

M. *Augustinus Lemmius* studia sua in Gymnasio *Stralesundensi* benè cœpta, & in Univeritate *Gryphicâ*, quam an. 1682. petiit, continuata, in cujus rei fidem an. 1686. sub Præsidio D. *Jacobi Henningii de Homini Christiani nativitate & vitâ* Disputationem proposuit, *Wittebergæ*, quorsum anno modò dicto profectus est, absolvit, impetratâ prius an. 1687. laureâ Philosophicâ, binisque deinde Disputationibus de *Majestatis Civilis divinâ origine*, unam respondendo, alteram præsidendo, habitis. Patriæ an. 1688. redditus *Stralesundæ* per sesqui alterum annum D. *Gosmanni* vicem in concionando supplevit, donec an. 1690. vocatione præviâ M. *Johannis von Eßen/Gingstensis* Pastoris & Præpositi Substitutus constitueretur. (De Coniuge ipsius, ut vitæ ita & mortis individuâ sociâ, itemque liberis vid. hæc N. L. pag. 255.)

GEDANI.

Mens. Septembri *Gedanum* appulit libellus, *Constantino Schützio* ad D. Mariæ Pastori oppositus, sequentem titulum præferens: *Infelix laqueus Judæ Ischariotæ, inter reliquias Pietastrorum & Terministarum forte repertus, quo non neminis Orthodoxo-Mastigis observationes in Orationem Chytræi, anno MDCCI suspendebantur; nunc enodatus atque explicatus, & Ecclesie Evangelicæ diligentiori considerationi propositus à J. C. S. Hamburgi MDCCII.* (4to pl. 4.)

Autor, librorum symbolicorum autoritatem vindicat: De Illuminatione & Orthodoxyâ Ministrorum improborum, de Pœnitentiâ & virtute meriti Christi, de Anathematismo novitatum Pietificarum, de usu suspectarum phrasium, de Justificatione & Fide ante Christi apprehensionem vivâ & efficace, de coëxistentiâ Bonorum Operum in actu Justificationis, de phrasi: Bona Opera sunt necessaria ad salutem, de Moderatione Theologicâ, de Vocatione Judæ Ischariote, de Veste nuptiali, de suspicione Weigelianismi Theologis pietatis studiosis affectâ, de crimine hæretificandi hinc & inde disputat & plucula passim de doctrinâ & moribus Pietistarum immiscet.

Die 5. Octobr. Exercitationem Philosophicam *de Funambulis* sub Præsidio M. *Gabrielis Groddeck*, Philos. Prim. & Pract. P. P. & Reipub. Biblioth. publicè defendit *Job. Leonhardus Schlicher*, Gedanensis. (5. plag in 4.)

Duo Dissertationis hujus sunt capita, quorum *primum* agit *de Origine Funambulorum*, & variis eorum generibus, *secundum illorum institutum juxta Philosophia moralis regulas examinat*. Summarium *Cap. I.* est hoc: §. 1. Vox *Funambuli* de fugitivis, funibus per murum demissis, aliquando ironicè accepta est. Locus *Jos. II, 15.* explicatus. §. 2. Propria hujus vocis significatio affertur, quâ *funambuli* dicuntur, *qui per funem extensum crassiorem, & ad malos oppositos ac contra se stantes religatum, ambulant*, & de his exponitur locus *Tertulliani*, quo *Neurobatem* depingit. §. 3. An *Messala Corvinus*, primus *funambuli* vocem adhibuerit. *Pseudo-Messalæ* liber de proge-
nie *Augusti*. *Acronis* autoritas. Quo tempore *Messala* vixerit. *Terentii* ætas. *Labeonis* locus de *funambulis*. *Laur. Pignorius* & *Joh. Jac. Hoffmannus* notati. §. 4. *Terentium* *funambuli* vocem primò adhibuisse ostenditur. *Schoenobatica* apud *Græcos* fermè nota. Locus *Hippocratis* correctus. Quid sit *Schoenobates* apud *Juven.* & *Schoenobatica* apud *Ciceronem*. §. 5. De *Schoenobatis*, testimonia

MENSIS DECEMBR. MDCCII. 357

nia' ex Galeno, Justino M., Chrysoftomo, Arriano. Locus Galeni explicatur. Bulengerus notatus. §. 6. Vox καλῶ de eadem exercitatione adhibita. Testimonia Originis, Greg. Nazianzeni. Duo proverbia explicantur. Quid sit καλῶ & per catadromum decurrere. Locus Svetonii & Dionis de Elephante per catadromum currente allatus. §. 7. Funambulorum frequentia apud Romanos. Testimonia ex Manilio, Pseudo-Petronio, Symphosio, Prudentio. §. 8. Eorum exercitationes ut difficiles & periculosa descriptæ à Xenophonte, Plinio, Apulejo, Arriano, Greg. Nazianz., Chrysoft., Georg. Pisida. Culcitæ funambulis subjectæ. §. 9. Elephanti funambuli ex Svetonio, Plinio, Seneca. Plinii locus explicatur. §. 10. Discrimen funamb. à Neurobatis, Cremnobatis &c. ex Julio Firmico. §. 11. Quinam fuerint Neurobatæ & Tichobatæ ex Fl. Vopisco ostenditur. Cremnobatæ & Oribatæ iidem. Eorum descriptio ex Salmasio & Statio. §. 12. Petauristæ à petauro dicti. Quid petaurum denotet. Sententia Alex. ab Alexandro. Alia explicatio Hier. Mercurialis ex testimonio Lucilii, Martialis, Manilii. Manilii locus explicatus. Scaperda quid. §. 13. Orciscopularii apud Firmicum an urinatores. Scaliger notatus. Firmicus correctus. Quinam fuerint Orchestopoli. Salmasii explicatio. Ephalmatores & Petaminarii à Manilio & Claudiano descripti. Salviani locus explicatus. Rittershusius notatus. §. 14. Funambulorum orientis historia ex Nicephoro Gerogora. §. 15. Turcarum & Persarum funambuli ex Belonio. §. 16. De quibusdam funambulis in Europâ visis testimonia Er. Puteani, Aonii Palearii, & Sim. Majoli. Palearius laudatus. Argumentum Cap. II. ita se habet: §. 1. Tractandorum ratio. §. 2. Funambulorum vitæ genus improbatum ex tribus rationibus. Prima est, quod studio bonæ existimationis adversetur. Cynici notati. Funambuli infames. §. 3. Secunda ratio, quod nullam societati humanæ utilitatem afferant. Balduini Theologi hac de re iudicium. §. 4. Tertia ratio, quod corpus vitamque pericu-

lo exponant. Mutilatio membrorum homini etiam cavenda. Ob intentatam membri mutilationem alterum interficere licet. §.5. Funambulos in Rep. bene constitutâ tolerandos non esse demonstratur. Damnum quod Resp. inde sentit. Testimonium Clementis Alex. §. 6. Eadem assertio aliorum testimoniis confirmata. §.7. Illos tamen aliquando in civitatem admitti posse ostenditur. Hostes comœdiarum & quorumvis spectaculorum notantur. Arcanum imperii, populum spectaculis recreare. Locus Matthiæ Berneggeri §.8. Die Dominicâ aliisque festis diebus talia spectacula concedenda haud facile esse probatur testimoniis antiquorum Ecclesiæ Patrum, & decretis Principum Christianorum. §.9. Iisdem spectaculis assistere posse Christianos contra Tholosanum aliosque evincitur. Patrum sententiæ benignius interpretandæ sunt.

Die 19. Octobr. *Idem* Præses alteram Disputationem solennem instituit de *Rebus Davidis post susceptam Regni Israëliti administracionem gestis*, contra Cl. Boelium, Respondente *Godofredo Weisen*, Neo-Sedinensi, Pomer. (4½ plag. in 4.)

Die 2. Novembr. *Christophorus Behr*, Eloqv. & Poet. Prof. *Agonem Oratorium VII. in Plinii Panegyricum à cap. 70. usque ad 81. egit*, Respondente *Job. Davide Hobeisel*, Dantisc. (5. pl. in 4.)

REGIOMONTI

Die 26. Septembr. Præsidis munere sustinente *Conrado Mel*, Concionatore Aulico & S. S. Theol. Profess., ut & Respondente *Johanne Gordon*, Theol. Studioso, Dissertatio Theologico-Philologica de *Mari Aeneo*, seu Labro Magno Templi Salomonis, 1. Reg. VII. & 2. Chron. IV. descripto, habita fuit, quâ Machinæ hujus genuina Structura, occurrentes in Textu Sacro Enantiophaniæ & sensus Typici Mysteria explicantur. (8. plag. in 4.)

In præfamine ad Lectorem Materiæ tractandæ amœnitas, difficultas & methodus sistitur. His expeditis ipsa Dissertatio
in

in duas Sectiones dispescitur. Prima, *explicationem sensus Literalis de Mari Aeneo tradens sex complectitur Capita*, quorum I. agit de nomine & materiâ maris aenei, quæ ex simili materiâ metallicâ, ex quâ hodie formantur specula, & purioris cibi campanæ & tormenta bellica, fuisse dicitur. *Cap. II. explicat dimensionem & proportionem maris tollitque difficultates obvias.* *Cap. III. agit de Cupâ inferiori, & quidem de ejus figura, quam quadratam; de Capacitate & dimensione, quam in toto ambitu 80. cubitos habuisse, & de Materia, quam ex ære fusam contra Rabbinorum nonnullos credit.* *Cap. IV. de Bobus Aeneis, seu fulcro maris tractat, & horum notat materiam, quod sc. constiterint ex eadem materiâ, ex quâ mare fustum conflatum; numerum, qui duodecarius: situm, quod terni ac terni posteriora introrsum sub mare verterint: usum, ut non modò portarent mare, sed etiam, ut per tubulos & canales aquam mari darent, & per ora iterum in cupam emitterent crassioribus radiis.* *Cap. V. de Mari ipso, seu Receptaculo aquarum superiori agens, hujus maris perfectam peripheriam indagari non posse meminit: crassitiem palmarem fuisse scribit: & quænam ejus ornamenta adjuncta fuerint, docet, videlicet labium liliatum & colocynthides, quæ describuntur (1) à formâ: ut segmenta cucurbitæ cum capitulis boum, (2) à numero: 600. (3) à situ: decem in cubito, (4) à modo adhæisionis: per continuitatem infusæ, & denique (5) ab usu: partim pro ornatu, partim pro Epistomiis & tubulis aquam rorantibus.* Tandem *Cap. VI. Capacitatem maris aenei proponit, & per illud intelligit non solum vas illud superius, boum dorsis incumbens, sed etiam inferiorem cupam, in quam aqua defluebat, & vas illud superius, de quo sermo est 1. Reg. 7. capax mille batorum, & inferiorem cupam bis mille batorum capacem fuisse ait, adeo, ut tota machina seu receptaculum, tum superius, tum inferius, respectu capacitatis simul consideratum, juxta 2. Chron. 4. ter mille batos continuerit.* His succedit *Sectio secunda, cujus Cap. I. agit de Aquâ maris aenei, ejus viâ & usu, & hanc ope machinæ cujusdam, vel per*

artem, vel continuo labore versatæ, ex fonte Etham per aquæ ductus & canales ad pedes boum æneorum elevatam esse, per horum cavitates & tubulos in ipsum mare ascendisse, idque justa proportione implevisse asserit, & hinc per Epistomia in Cupam inferiorem effluxisse, ex eadem autem iterum per Epistomia & Canales in torrentem Kidron deductam esse. Qvis usus hujus aquæ fuerit, porro etiam monstrat, nempe (α) ad lotionem Sacerdotum, (β) ad probationem Adulteræ, De illa lotionem observat, quod facta sit non in vase superiori, sed inferiori; non sedendo, sed stando; à turmâ Sacerdotum iturâ ad ministerium. Tandem memorat, quod *Achas* mare æneum loco suo dimoverit, 2. Reg. XVI, 17. & rem verbo comprehendit: funus hoc maris ænei fuisse fatalem captivitatis Babylonicæ calamitatem. *Cap. II. Ratio Legis de lotionibus maximè ad mare aneum investigatur*, quas institutas esse docetur, ut essent symbolum puritatis & conversionis, remissionis item tessera, nec non sanctificationis testimonium. *Cap. III. Sensus mysticus seu typus maris ænei indagatur*, ubi dicitur, mare superius notare concionem Evangelii Joh. I, 16, Epistomiorum duas series notare Prophetarum promissionis & V. T. doctrinam fidei: Boves indicare 12. Apostolos: Situm boum ad quatuor mundi plagas signare prædicationem Evangelii per totum orbem: Aquam diversis rivulis defluentem significare diversitatem donorum Evangelium prædicantium: Sacerdotes stantes indigitare desiderium fidelium & promptitudinem: Collectionem tandem aquarum in Cupa designare plenitudinem cognitionis & prædicationem Evangelii per universoni mundum ultimis N. T. temporibus. Subjiciuntur denique *septem Corollaria*. I. Confessionem Augustanam, *Carolo V.* in Comitibus Augustanis, Anno 1530, d 25. Junii, oblatam, defendendam suscipimus. II. Numerus Bestiæ 666, respicit dogmata Antichristi, à quadratâ & solidâ veritate deviantia vel in excessu vel in defectu. III. Univerfalis Conversio tum Judæorum, tum Ethnicorum, sub initium septimæ periodi

periodi N.T., instat certò speranda. IV. Puncta vocalia divinæ non sunt auctoritatis. V. Jephtha verè filiam immolavit, victimam Tÿpicam DEo sacram. VI. Non fuit Balæna, piscis qui Jonam deglutivit. VII. Oracula Sybillina meritò sunt suspecta.

Die II. Novembr. *M. Johannes Ernestus Segers*, Regiorum Alumn. & Commun. Convictor. Inspector Secundarius, disputavit de *Ludis Scenicis*, eorundemque cognatorum quorundam in *Republ. tolerantia*, Respondente *Samuele Grun*, Heiligenbeil. Pruss. (in 4.)

Postquam in Acad. Lipsiensi A. 1683. idem argumentum à *M. Joh. Schmidio* (hodie SS. Theol. Doctore & Prof. Publ.) de *Ludorum Scenicorum Moralitate*, philosophicè, & decennio elapso, 1693. in Acad. Kiloniensi Juridicè à *D. Elia Augusto Strykio*, de eo quod justum est circa *Ludos Scenicos*, Operasque modernas, (cujus in *Nov. Lit. Anni 1698. p. 39.* mentio injecta est) satis doctè discussum fuit, rem minimè malam se facturum credit Auctor noster, (cujus lucubrationes plus vice simplici laudavimus in *Nov. Literariis*) si illud quoque prolixiori Dissertatione exciperet, atque cognatas materias secundum rationis regulas accuratè discutere. Hujus argumentam hinc subjicere placet. §. 1. Antiquitas Ludorum in genere à *Lydis* derivatur testimoniò *Herodoti Halicarnassæi*, *Dionysii Halicarn.* *Tertulliani*, & aliorum. Distingvuntur Ludi, qui apud Græcos & Romanos in usû fuerunt, in privatos & publicos, eorundemque varia genera recensentur ex *Meursio*, *Dempsterò*, *Bulengerò*, *Scaligerò* & aliis. Auctores referuntur, qui de singulis Ludorum speciebus tam privatis quam publicis, sacris & profanis, votivis & ludicris &c. fusius tractarunt. §. 2. Ludi Scenici unde dicti. Vox Scenæ quid significet, quotuplex olim fuerit, quâ occasione & à quibus inventa breviter indigitatur. Ludi Scenici aliò nomine & Theatrales dicti à Theatrò. Theatrum quid & quæ ejus partes

partes ; quodnam apud Romanos celeberrimum. §. 3. *Varia Ludorum genera in Scenis & Theatris olim exhibita, veluti Comœdia, Tragœdia, Satyra & Mimus recensentur, definiuntur & explicantur. Modernorum Scenicorum Ludorum facies depingitur.* §. 4. *Cognata Ludorum Scenicorum veluti Saltationes, les Mascarades dictæ, Convivia Regalia, Ludi Natalitii & Bacchanalia enumerantur & describuntur.* §. 5. *Quæstio proponitur, utrum hi Ludi in benè constitutâ Republicâ sint tolerandi? quæ initiò ventilatur quoad Ludos Scenicos, ejusque pars negativa proponitur, additis hujus negativæ partis Patronis eorundemque argumentis à testimonio Patrum, Praxi antiqva Ecclesiæ & Conciliorum interdictò desumptis.* §. 6. & 7. *Rationes nonnullæ & præcipuæ proluxæ proponuntur & exaggerantur, quas negativæ Partis autores pro tuendâ suâ urgent sententiâ, quarum prima hæc est: quod Ludi Scenici cum verâ pugnent Religione, DEumque offendant. Altera: Quod virtuti ejusque exercitio nocivi existant. Tertia: quod Cives reddant debiles & voluptate diffuentes. Quarta: quod Rempubl. magnâ emungat pecuniæ Summa.* §. 8. *Affirmativa propositæ Quæstionis sententia proponitur, nominatis quibusdam ejus Defensoribus, qui tamen omnes limitatè loquuntur. Hæc affirmativa sententia ut ulterius probetur, actionum humanarum in malas simpliciter & in se ac suâ naturâ indifferentes affertur distinctio, quâ explicatâ, Imitationem Scenicorum Ludorum actionem hanc in se & suâ naturâ seu in abstractò consideratam indifferentem esse prolixè probatur. Unde tandem concluditur, & Scenicos Ludos in abstractò consideratos nec bonos nec malos dicendos esse.* §. 9. *Inquiritur quanam actio humana moraliter bona aut turpis sit dicenda, & decisio petitur à Rectâ Ratione, quæ proinde quid sit & quæ ad eam requirantur explicatur, nimirum: Finis bonus, Media licita & circumstantiæ reliquæ rectè se habentes. Jam hæc in specie ad Ludos Scenicos in concretò*

confide-

consideratos applicantur & quod eorum finis vel honestus vel inhonestus, Media item vel licita vel illicita esse possint ostenditur & declaratur. Cum vero ratione objecti vel de sacris vel de profanis rebus Ludi Theatrales institui possint, §. 10. quæstio instituitur, num licitè id fiat de rebus sacris? Negant Voëtius, Vossius & alii, quorum Rationes afferuntur. Auctor limitat & nonnulla in S. Scripturâ reperiri, quæ citra impietatem in Theatris exhiberi possunt, si modò τὸ πρῆρον in iis adhibeatur &c. affirmat, quam etiam suam sententiam non tantum tribus rationibus ferruminat, sed & Voëtii contrariam refutat. Tandem quomodo ratione Personarum agentium, Loci & Temporis, Scenici Ludi vel laudandi vel vituperandi sint, indigitat. §. 11. Descriptis ex antecedentibus vitiosis atqve illicitis Scenicis Ludis, bonos atqve honestos illos esse dicit, in quibus ob honestum finem, thema sacrum vel profanum, conveniens tamen & honestum, à personis probis, modò decorò, decenti locò atqve tempore, exhibetur; atqve hos in bene constituta Republ. tolerandos esse asserit ob sequentes rationes: (1.) quia faciunt ad Civium delectationem & refrigerium, quod ipsis haud denegandum: modò non fiant magnò sumptu & neglectione negotiorum graviorum. (2.) Quia insignem utilitatem & actoribus & spectatoribus præbent, quæ sigillatim recensetur, & testimoniò Lutheri, Melanchtonis, Bucerii aliorumque illustratur. §. 12. Ostenditur quomodo contra hanc assertam, de Ludorum Scenicorum tolerantiam, sententiam, nihil faciant nec Patrum testimonia, nec Praxis antiquæ Ecclesiæ, nec Conciliorum interdicta, nec Rationes superius §. 6. & 7. allatæ, cum istæ tantum de abusu loquantur, quem & Auctor damnat. §. 13. Objectio formatur ex Deuteron. XXII. 5. quæ tamen, fusè explicatò Loci hujus sensu secundum varias autorum interpretationes, amovetur, hâcque occasione insimul ventilatur, utrum in Comœdijs vestium mutatio licita sit. §. 14. Alia objectio

ex Eph. V, 3. adducitur, quæ tamen itidem, genuinò loci sensu investigatò, solvitur. Hicque insimul ventilatur, utrum joci atque Sales in Scenicis Ludis licite adhiberi & à Spectatore Christianò audiri possint? Monitum tandem Bucerì additur, qui Ludis Scenicis ejusmodi viros probos atque bonos præfici jubet, qui illis attendant, ne honestatis limites excedant.

§. 15. De Cognatis Ludorum Scenicorum quæstio instituitur, utrum in benè constitutâ Republ. sint toleranda, & (I.) quidem de Saltationibus, les Ballets & les Mascarades Gallis dictis, de quibus itidem in utramque partem ventilatur quæstio. Initio eorum affertur opinio, qui omnem planè damnant saltationem, atque hi refutantur argumentis in contrarium prolatis à testimoniò Scripturæ, ab exemplis sacris & profanis, virorum Sapientum ac prudentum, imò integrarum Nationum. Hinc concluditur quasdam Saltationes licitas esse; quomodo autem illæ comparatæ esse debeant explicatur & probatur ex Lutherò, Martyre & aliis. Contradictoria argumenta solvuntur. In specie autem quod Larvatarum Choroæ licitæ & tolerandæ sint contra nonnullos dissentientes inde probatur: (1) quia larvarum usus in se non est inhonestus & illicitus, sicque nec saltationes illicitas reddere valent, si tantum modò adhibeantur decorò. (2) Quia saltationum nonnullarum natura & conditio id requirit, ut habitus respondeat gestui & moribus exprimendis. (II.) Eodem modò & Convivia Regalia tolerari posse asseritur, si modò ab omni comessatione, luxu & turpitudine sint immunia, ac decenti fiant locò & tempore, nec quicquid in se contineant quod autoritati seu gravitati Principum & Magnatum Ludentium officere possit. §. 16.

(3) De Ludis Natalitiis quæritur, num in Republ. benè constituta sint tolerandi? Et hæc quæstio simpliciter negatur ob sequentes rationes: (1) quia Christianorum pietati adversantur; (2) quia principia falsæ & superstitiosæ Religionis animis teneriorum infantum instillant; (3) quia multis aliis absurditatibus & impietatibus premuntur. Tandem objectiones aliquæ

aliq̄væ solvuntur. §. 17. & 18. Denique (4) de Bacchanalibus q̄væritur, numne illa in benè constituta Republ. sint toleranda? & hæc quoque q̄væstio simpliciter negatur, licet ab aliquibus fuerit approbata. Rationes sunt sequentes (1) quia è fœdô gentilismô orta & cum fœditate ad nos derivata; (2) quia vel ab ipsis sanioribus Ethnicis olim interdicta & rejecta; (3) quia Christianos Infidelium Turcarum ludibrio exponunt; (4) quia tantò sunt pejora quò sanctiori fiunt tempore; (5) quia bacchantes præsentissimis & animi & corporis periculis exponunt, quod exemplis illustratur; (6) Interdictò Magistratûs variis in Regionibus sunt prohibita. Absoluto ita Disputationis argumento circa §. 18. sequentia monere lubuit: p. 80. provocat Autor ad *D. Melchioris Zeidleri Tractatum ineditum* hætenus de *Jejunio Quadragesimali*. p. 81. *Augusto Pfeiffero* nostro tribuit *Origines Lipsienses*: verum, ne quid dissimulemus, confundit illum cum *Davide Peifero*, Jcto, qui *Lipsiam*, s. *Originum Lipsiensium Libros IV.* scripsit, quos è Manuscripto cum additamentis quibusdam Lipsiæ, *A. 1688.*, primùm edi curavit *D. Adamus Rechenbergius*. Hic *Peif. lib. II. §. 53. p. 253. seq.* ea refert, quæ ab Autore nostro adducta sunt. Dum autem verum Autoris nomen dedimus, haud incongruum erit, de illo annotasse, quod in teneris annis ludis Scenicis operam dederit, & Spectatorum favorem mirum in modum sibi conciliaverit: *eo tempore Malcecastius* (Præceptor Peiferi privatus) *Comediam de Filio prodigo acturus Davidi personam Acolasti imposuit*: ipse patris sibi sumpsit. Acta est illa ante portam Hallensem in hortis *Peiferianis*; multis ex oppido confluentibus spectatoribus, & in his etiam *Clarissimo Viro Johanne Reuschio*, Medico, præsentè; qui fatebatur *Davidem voce & gestu ter sibi lacrymas expressisse*: quod videretur cum hic discipulus, ille præceptor esset, res inter patrem & filium agi seriò. Atque hæc deinde fama, de *Davidis industria Scenicâ* *Academiâ* citò pervasit: itaque plerique omnes Magistri, qui tam mos in *Academia* pervulgatus erat, *Comœdias daturi*, *Davidem* ad se perducebant, & *M. Petrus Helbomius*, *Evnuchum Terentii exhibiturus*, *Chereæ partes illi dedit*: quas ita

sustinuit, ut in sui amorem adolescentulum summi ingenii, Andream Esfenbergium, biennio ferme natu majorem, actione illa raperet, quem Peiferus amicitiam suam ultrò ambientem lubentissime recepit. Verba Auctoris sunt, qui vitam Peiferi descripsit. Sed hæc ας εο παρόδω.

Die 16. Novembr. sub præsidio *Bernhardi von Sanden*/Jun. S. Theol. D. & Prof. Ord. de *Decalogo primi hominis menti inscripto*, disputavit *Erhardus Christianus Jesterus*, Welav. Prussus, Aut. & Resp. quâ Religionem Christ. duobus capitibus absolvi asserit, *Cognitione & praxi* §. 2. ibi *norma*, hic *regula* opus esse, §. 3. Hanc regulam s. Legem menti primi hominis inscriptam esse probat in genere §. 4. 5. in specie de Decalogo, ejusque præceptis §. 6. 7. 8. Pufendorffii sententiam, *præcepta de omittenda idololatria, de non assumendo nomine, in statu integritatis non fuisse necessaria* refutat §. 9. 10. Probat in statu corruptionis etiam vestigia legis moralis homini impressa esse, per decalogi præcepta §. 11. 12. 13. Infert §. 14. DEum non esse injustum, obedientiam ab hominibus vires eorum excedentem requirendo. (plag. 4.)

Superiori mense Novembri Præses *Bernhardus von Sanden*/Jun. S. Theol. D. & Prof. Ord. *Decadem XVII. Thesium controversarum ex Loco de Sacramentis Vêt. Test.* selectarum publicè ventilandam proposuit Respondente *Christiano Bedaun*, Regiom. Pruff. (3½ plag. in 4.)

Eodem mense & Præsede Decas XVIII. Thesium controversarum ex Loco de Baptif: no selectarum ventilata est, Respondente *Daniele Henrico Crumbholtz*, Angerb. Pruffo. (3½ plag. in 4.)

NARVAE

In gratiam Svecicorum verbi divini Ministrorum, quorum curæ nonnulli Russicæ gentis homines commissi sunt, ut istis Christianæ Evangelicæque fidei fundamenta eò commodius tradere possint, *M. Nicolaus Bergius*, Narvensis Ingricæque Superintendens, & Consistorii Regii Præses, *Catechismum,*

chisimum minorem Lutheri, Lingvâ Russicâ & Suecanâ expressum, edidit, cui titulus: *Lutheri Catechismus* medh Affton och Morgon Bönen/samt Bördleror / på Ryska och Swenska. Tryckt i Narwen af Johann Köhler / 1701. (1.plag. in 12.)

Ejusdem *M. Nicolai Bergii* cura prodiit nova *Canticorum Ecclesiasticorum, sermone Gallico redditorum*, editio, una cum anniversariis Textibus Evangelicis & Epistolicis, Catechismo Lutheri, Symbolis Niceno & Athanasii, Historia Passionis C. & precationum formulis; hoc tituló: *Livre de Cantiques, avec les pieces, qui y appartiennent; Revû & imprimé par ordre & aux depens de Sa Majesté. à Stockholm, chez Olaus Eneus, Imprimeur du College Royal des Antiquitez, l'an. 1700.* (1. Alph. & 3. plag. in 12. oblong.)

HOLMIAE

Prodiit *Svenonis Tilandri Grammatica Germanico-Svetica*: sive *Inledning til Ryska och Swänska Språket / wiisandes/ huru man behändigst kan Genera i Ryskan fatta/ jämwäl alla nödige Reglor/ som en Swänsk hafwer at achta/ den Ryskan lära twill. Såsom och det förnämsta/ en Rysk i Swänska Språket lärande nödige hafwer: På manga ställen förbättrad/ jämte en nogare undervisning/ huru en Rysk thärutur skal lära Swänskan. Holmia, apud Gotthardum Volgenau. (8. plag. in 12.)*

BERGIS

Dorothea Engelbrechtia, jam toties nobis in N. L. memorata, *Carmen sacrum exequiale* excudi curavit, in funere suo olim decantandum. (½ plag. in 8.)

E Diocesi Bergensi

M. Nicolaus Stabell, Pastor Ecclesiæ Sundensis & annexæ prope Bergas, *Concionem funebrem* in funere Augustissimi Regis CHRISTIANI V. an. 1699. habitam, editioni paratam habet, si tulerit occasio, forte edendam.

Si præclara *Paullini* scripta eleganti quòdam sermone commendare, animo præsumerem, illis annumerandus merito essem, qui ridiculò planè consiliò facem ipsâ meridie accendere vellent, ut lumen Solis conspiceretur clarius. Ut enim paucis tantum istum omnis eruditionis gradum attingere licet, ad quem *Vir ille* dudum pervenit, ita ipsius splendor, per univèrsum Parnassum longè latèqve se diffundens, mea non indiget luce, vel, ut rectè loqvar, caligine, qui ut omni genti & mihi suspiciendus erit perpetuò. Tanto huic viro, quod tot varii argumenti editos ejus libros magno cum fructu legerim, præsentem observationem oblatam cupio, non, ut *Pharmacopœa Paulliniana*, ob summam utilitatem, atqve æqvam abjectarum rerum existimationem, verè Regia, augmentum inde capiat, sed ut declarem, quàm è stercore, & Urinâ plenè Phosphorum produxerit, quò prælucente aliæ salutares de stercore usu in Medicinâ historiar, haud adeò facilè, ut olim factum, silentii tenebris dignæ judicabuntur. Nolo autem pluribus meam hîc de transplantatione februm per urinam proponere sententiam, cujus & *Vir ille* modum quendam annotavit *cap. de quartanâ*: Neqve de externo Urinæ referam quid usu, dum referente eodem manus pedesqve urinâ madefaciunt febricitantium quidam, sed, quomodo urinâ calidâ assumptâ contumax quædam curata sit quartana, paucis enarrabo: Erat autem gente menteqve nobilis quædam fœmina, quæ ingenti cum molestiâ, quin in nonnullorum scandalum quartanâ laboraverat diu. Accedebat fortè Chirurgus quidam temerarius, in quem quadrat, quod facetè *Stratonicus Philosophus*, *Empyricum* quendam ludens, dixisse fertur: *laudo tuam experientiam, quia non finis infirmos tuos computrescere, sed statim eos à vita liberas.* Accedebat is, inquam, eo ipsò, quo paroxysmus redibat, temporis

poris puncto, utens non consilio sed impetu, Diabolum per Beel-Zebub eieciturus. Diabolus, inquit, me rapiat, si te hoc ipso momento non reddam sanam, modo obsequi velis meis conatibus, ingratum quidem ac fordidum videbitur istud remedii genus, sed nisi sanaberis, me furciferum quæso nuncupes. Benè, respondit illa, num quid horribilius morbo meo esse potest, & si quod fordidum est remedium, nil curo, modo exoptata toties mihi restituatur sanitas. Agedum igitur, regerebat ille spurcius, porrigi mandes poculum aliquod mihi vel vitrum, eoque accepto ad alterum lecti angulum sese recipiens, quantum quantum urinam suam replebat totum. Mirum! quanta cum aviditate Medici sui urinam hauserit misera, expectabo nunc, exclamans, quid mihi ex tuo remedio futurum sit auxilii. Rogabatur hinc ad sudorem ut se componeret, qui copiosissimus quoque effluxit, cum spe emansuri paroxyfimi. Et profecto, si quid metus intermixtum fuit spei, omne id, quod deinde paroxyfimus omnis planè exularet, evanuit, maximam cum ægræ lætitiæ sanantisque gloriâ plus quam Thraſonicâ. Jurares certò, si Chirurgum hunc noveris, ad Vulcani imaginem eum fuisse formatum, & tamen formosæ adeo fœminæ poculum tale squalidum obtulisse ipsum non puduit. Laudo sanè illius consilium, quin & impudentiæ donum, quod tempestivè factis comprobavit, hoc in casu non damno, sed rideo. Aliis igitur mores illius, ingressum nempe ad agram, prognosticon dicendi & medicamentum exhibendi modum relinquo corrigendos, mihi interim placet hoc ipsum remedium, novò iterum experimentò celebrius. Addam itaque more meo, quid de eo sit habendum, brevibus: Scilicet, cum febris hujus materialis causa viscidum sit aliquod acidum, in primis viis, atque hinc inde in visceribus hærens, omnibus indicationibus, præmissis præprimis evacuante, satisfaciet Urina. Pituitam enim particulis suis nitrosis ac sulphureis incidit, seroque suo absorbet, quæ naturali mixtura ei insunt,

quibus-

quibusque in obstructos passim tubulos feliciter se insinuat, aptiorque nata est, tam per Renum canaliculos transcolari, quam cum reliqua lympha resoluta per glandulas cutaneas excerni. Thermis ideo naturalibus Urina mihi non videtur absimilis, atque ut illæ ab artificialibus multis distant parasangis, ita quoque vix dubitarem ego, calidam urinam & spiritui & sali volatili, arte ex eadem productis præferre, ob characterem cum sanguine lymphaque fere eundem, temperamentum jam dictum naturale, & quod magno haustu ingeri possit. Ne referam sententiam D. Starckey, Angli, qui in *Tr. de liquore Alkahest*, materiam, ex quâ Alkahest componatur, urinam esse humanam docuit; Taceo Phosphori & Noctilucæ principium, quod Urinæ deberi ex *Concierii Tr. de Phosphoris*, & *Boyle de Noctilucâ aëreâ*, aliisque dudum innotuit. Cæterum, nemini laudatum jam Medicamentum obtundam, sed patientem sua quemque trahat voluptas. Imitatus hic sum Virum omni laude majorem, quâvis in posterum occasione Stercoranismi Therapeutici sectam propugnaturus, quod Stercorum vires, margaritarum auriqve virtutibus si non majores, vix tamen sint minores.

HAFNIAE,

M. Severinus Gludius, Scholæ Havniensis Rector, edidit *Rhetoricam Erotematicam exemplis selectioribus tam sacris, quam profanis, strictim illustratam, cum subtextis ubique vocum rerumque difficiliorum enodatione*. Havn. (plag. II. in 8.)

Absolvitur autem *Partibus 4.* quarum 1.) *Cap. I.* de inventione oratoria 2.) de genere demonstrativo 3.) de genere deliberatio. 4.) de genere judiciali ejusdemque variis statibus agit. *Pars II.* tractat *Cap. I.* de partibus orationis, & speciatim de exordiis. 2.) de propositione. 3.) de narratione. 4.) de confirmatione. 5.) de confutatione. 6.) de peroratione. *Pars III.* tractationem instituit *Cap. I.* de Elocutione Oratoriâ in genere ejusdemque tropis. 2.) de figuris Rhetoricis, & speciatim

ciatim de figuris dictionis. 3.) de figuris sententiæ. 4.) de usu troporum & figurarum. 5.) de Amplificatione oratoria. 6.) de Compositione oratoria. 7.) de vario dicendi caractere. 8.) de usu & praxi Rhetorica, & Pars IV. denique de actione oratoria.

E Typographéo Regio prodiit liber titulum præferens : *Tage-Register über des Allerdurchlauchtigsten / Großmächtigsten Königs und Herrn/ Hn. CHRISTIAN des Sunffren / Königs zu Dennemarck / Norwegen / &c. Glorwürdigste Lebens- und Regierungsgeschichte/ nebst Anfügung einiger Medaillen und Allerhöchstgedachter Majest. Königlichen prachtigen Leich-Begängniß. Kopenhagen in der Königl. und Vniv. Buchdruckeren. (I. Alph. 4½ pl. in 8.) i. e. Diarium vitæ atque imperii Gloriosiss. Augustissimi & Potentissimi Regis & Domini, Dn. CHRISTIANI QVINTI, Daniæ, Norwegiæ, Wandalorum, Gothorum Regis &c. insertis subinde numismatis & annexa pompæ Exequialis Regiæ descriptione. In præfat. Dictionarii Moreriani & Isagoges Puffendorffiana in Glorios. Regis historia errores tanguntur.*

D. Heß. Gottfr. Masü, Meditationes Germanicæ Passionales, (de quibus in N. L. 1700. p. 205.) in lingvam Danicam versæ, lucem publicam viderunt sequenti titulo: D. Heß. Gottfr. Masü hellige Passions-Betændninger om Christi Blod / som taler bedre end Abels Blod. (in 8.)

Vitam cum morte commutavit *M. Gerhardus Winecke*, ab A. 1686. Pastor & Præpositus Holmensis; postquam V. D. comministrum in Ecclesia *Christianshavniensi*; Ministrum autem jam ante in *Grindaænsi* Cimbrica aliquamdiu egerat. Illi successit *M. Ioarus Brinchius*, primus Ecclesiæ Dano-Norwegicæ, quæ *Londini* in *Angliâ* colligitur, Pastor. Hujus verò in Ecclesiâ *Londinensi* munus adeptus est *M. Georgius Vrsinus*, Scholæ *Havniensis* Con-Rector, qui Scholæ valedixit publicâ, de *Inauguratione Sacerdotum Ebræorum*, oratione. Hic denique in Con-Rectorali spartâ successorem habuit *Torchillum Erasmi Granovium*, ordinis VI. in Scholâ *Havniensi* hactenus Collegam.

NOVA LITERARIA

KILONII.

Die 15. Novembr. sub præsidio *Joh. Ludov. Hannemannii*
 D. & P. P. Philos. natur. Leopold. Societat. Nestoris II.
 Exercitationem Physicam Fridericianam *secundam* de
Fluidò publicè defendit *Adolphus Wilhelm. von Guren* / Lu-
 beccensis. (3½ plag. in 4.)

Continet hæc Disputatio Theses XIII, unicuique Thesi
 Exegesis subjungitur. §. I. dat definitionem fluoris. §. II.
 Fluorem omnium substantiarum creatarum principium con-
 stituit. In Exegesi creationem, distinctionem & generatio-
 nem factas esse ope fluoris statuitur. §. III. Fluor distingui-
 tur in *purum & impurum*. In Exegesi allegatur aliquod purum,
 fluidum, quod ex utriusque fluidissimi purissimi, ut: Lucis
 & ignis, mixtione harmonicâ coaluit, quod totius naturæ con-
 centratus calor, & concentratum frigus, omnium acidorum
 acidissimum, omnium dulcium dulcissimum, omnium co-
 lorum iris & aqua Paradisi nuncupatur. In eadem Exegesi
 deducitur, omnium trium familiarum substantiarum corpo-
 rearum mixtarum genesin esse ex fluido. In minerali familiâ
 id fusè deducitur. Mentio quoque ibi fit *Æris Corinthiaci*,
 quod etiam ex fluore oritur, &c. §. IV. Fluor conservat
 substantias. Nutritio conservat animalia, vegetabilia &
 mineralia, & hæc fit ope fluidi. §. V. Nexus naturalium
 substantiarum in fluore consistit. §. VI. Solidum ad fluidum
 inclinatur. §. VII. Robur naturæ à fluido. Sub finem Exe-
 geseos experimenta duo probantia adducuntur. *Primum*:
 sepeliatur quis unciam argenti cumulo vitrioli & nitri & non
 solvetur, affundatur autem argento in bracteas diviso spiri-
 tus nitri, cum vitrioli spiritu commixtus, & illico istius ar-
 genti compages solvetur in calcem. *Secundum*, sepeliatur quis
 aurum sale Armoniaco, & non solvetur, at affundatur ei
 spiritus salis Armoniaci, & in calcem transmutabitur, quæ
 adeò spiritui commixta, ut in eo metalla esse soluta animad-
 verti non queat, verum affundetur præcipitans liquor, calx
 auri

auri vel argenti in fundo subsidebit. §. VIII. Omnis motus à fluido. Sub finem Exegeteos hujus asseritur quadruplex fluor. (1.) Fluor fluidissimus, omnis corporeæ molis expers, ut angeli & animæ hominum. (2.) Fluor fluidissimus corporeus, ut lux, ignis. (3.) Fluor fluidior, ut aër & aqua. (4.) Fluor fluidus, ut omnis humor. §. IX. Per fluorem communicatur calor, odor & fœtor. §. X. Omnium morborum causæ à fluido. In Exegeti asseritur, quod etiam per fluidum curentur morbi. §. XI. Miracula potiora in S. Scripturâ aut historiis præfanis vel in fluidò, vel ex fluidò, vel per fluidum, vel ad fluidum, vel cum fluido sunt facta. §. XII. Per fluorem mundus in extremo die interibit. Quod in Exegeti probatur ex 2. Petr. III, 10. Jes. XXXIV, 4. Cap. LI, 6. 2. Petr. III, 7. 12. Gen. XIX. &c. §. XIII. Fluor post mundi interitum perennabit, ac in æternitate beatos exhilarabit, damnatos cruciabit. In Exegeti id probatur ex Matth. XXII, 30. ad Phil. III, 21. Matth. XIII, 43. Cap. XXV, 41. Jes. LX, 24.

Die 19. Novembr. *Sebastianus Kortholt*, Poësius Prof. Ordin. & Facultatis Philos. h. t. Decanus, Patres Civesque Academicos ad audiendam Orationem ligatam, siue Carmen latinum in NATALEM LUTHERI DIEM publice & memoriter recitatum ab auctore *Johanne Christophoro Krüfke*, Hamburgensi, invitavit, publicato programmate quod constat i. pl. in 4.

Programmatis auctor natalem *Lutheri* appetiturum non parum multos prænuñciavisse probat, memoratque *Fridericum Ænobarbum* Templum in *Carinthia* exstruxisse, in eoque statuam monachi lapideam locasse, cujus vertici nomen LVTHERI fuerit inscriptum. Eundem vaticinia *Jacobi Pruni* Astrologi, *Savanarole*, *Job. Hilter*, *Hier. Pragensis* aliorumque præsignificasse docet. Quibus jungit, *Jo. Hussum* prædixisse Cycnum post C. annos venturum quem æque ac *Hussum* (ita Bohemice *Anser* audit) affare non possent. Id quod non nemo ita expressit: *Wär es die MARTINS GANSS, sie würde besser schmecken.*

Deinde refellit *Masenum* de ambigua Lutheri nativitate nugantem, & *Cajetanum Vicich*, Italum poetam, impie fingentem *Lutherum Megara* filium ex orco oriundum in Germaniam protrusum fuisse. Refutat itidem commentum illud diabolum de nato ex incubo Luthero, judicatque melius causæ suæ consulere magisque Lutheranæ nocere qui ab incredibilibus istiusmodi narratiunculis abstineant prorsus. Id quod non fugit callidum *Maimburgium*, quocirca maxime periculo suo libro suum commentarium subtexit Dn. *Seckendorffius*; quo tamen absoluto doluit id honoris se Jesuitæ habuisse, uti auctorem coram docuit *Sereniss. Pr. Rud. Augustus*. Versutus iste *Maimburgius* prodigiosum illud de incubo commentum ad augendum Luthero odium sine specie veri quosdam excogitasse scripsit, & criminationem pluribus diluit. Progreditur auctor ad fabulam de origine Lutheri Bohemica, & indicat *Ramundum*, ut astrologi cujusdam male dictis fidem conciliaret, finxisse Lutherum lucem die XXII. Octobr. aspexisse; cui se opposuerit *Isaacus Malleolus* Prof. Mathem. Argent. Denique explodit mendacium Equitis de la *Bizardiere* qui edita nuper Parisiis *Historia gestorum in Ecclesia memorabilium* affirmavit Lutherum in Saxonia famosissima cum diabolo colloquia sevisse, quod nemo ejus discipulorum potuerit refutare. Indicat enim multos scriptores qui commentum illud retulerunt, præcipuè autem laudat *Seckendorffium*, qui verus scriptor est confutationis *Libri Gall. Abbat. Cordemoyi de colloquio diaboli cum Luthero*; & *Jo. Claudium* scriptorem defensionis Reformationis. Nec tacet Germanica verba Lutheri interpretem mutilasse; & cum verterit: *Satan cepit ejusmodi disputationem*, voces ibidem additas: *in corde meo omisisse*; & quibus tamen appareat illud colloquium non nisi internum mentis à Satana tentatæ sermonem fuisse. Ut mirum sit injuriæ cujus auctor *Paulus Bachmannus* est, post *Bizardierium*, nuperrime calculum suum adjecisse *Leon. Anton. Langevinum* Doctorem Sorbonnæ, qui in libro suo *de infallibilitate Ecclesie* pluribus

pluribus evincere conatur Lutherum cum dæmone nunquam non conjunctissime vixisse. Id quod auctor æque vero consentaneum dicit atque illa de ortu Lutheri diabolico, qualia scriptores utut ipsi non credant, aliis tamen impie persuadere nitantur. Laudat itaque iterum *Maimburgium* qui neque diabolici illius commercii nullam mentionem intulit, & tandem subscribit judicio Polyhist. *Petri Bayle* contententis integram Historiam nihil sufficere quod cum factis memorabilibus Lutheri contendere possimus.

Idem Auctor alia publicavit programmata quibus ad audienda carmina Lectores invitavit. Horum alibi meminimus. Sed & supra mentionem facere volebamus programmatis, quo proceres ac Cives Acad. invitavit ad auscultandam orationem vernaculis conscriptam versibus de *Perpeffione ac Morte Servatoris nostri Jesu Christi*, quam ipso die XIV. Aprilis Christo emortuali solemniter ex re & ex tempore recitavit *Paulus Fridericus Opitius*, (Henrici filius.)

HAMBURGI.

Prelum habuit *D. Matthæi Schlüter* Tractatum Historico-Juridicum, patrio sermone conscriptum, de *Jure resignationis*, Germanicè, von dem *Verlassungs-Recht*. Quæ admodum illud non solum Hamburgi, & *Lubeca*; verum etiam in vicinis, aliisque Saxonice regionibus, & urbibus, nec non longè distitis locis, quibus Saxonum Jus, licet non sine discrimine, pro Lege est, ubi vero nondum receptum, magno cum emolumento, ad restituendam extinctam prope commercii fidem, introduci potest. In usum domesticorum æque, ac peregrinorum *Jctorum*, *Advocatorum*, *Procuratorum*, ut & eorum, qui pecuniam suam Hamburgi, *Lubeca*, vel alibi modico fœnore locare cum securitate summâ cupiunt. (in 4.) Summa capitum hujus tractatus hæc est. Agitur quippe Cap. I. de vocabulo Resignationis &c. II. de origine hujus Juris, & sede Juris Saxonici, ubi fundatur. III. De distinctione, & summaria descriptione hujus Juris. IV. De fine; V. De temporibus Resignationis publicæ. VI. De loco, ubi Resignationes publicæ fiunt. VII. De Objecto Resignationis publicæ

publicæ. VIII. De iis, quibus permissum pro se, & pro aliis publicè resignare, in specie de Procuratoribus, eorum primâ introductione in Hamburgensium Judicia. IX. De actu Resignationis publicæ. Hoc caput dividitur, pro rei circumstantiis, in 7. titulos. Docetur autem tit. 1. de actu Resignationis publicæ, in genere. Tit. 2. de antecedentibus. Tit. 3. de iis, qui actui adesse tenentur, quique ad illum non requiruntur. Tit. 4. de solennibus & formulis, quæ actus à parte Senatus æquè, ac illorum, quorum interest, exercetur. Tit. 5. de officio Dominorum Secretariorum, eorumque Protocollis. Tit. 6. de impugnationibus, quæ actui stante pede interveniunt. Tit. 7. de consequentibus actuum. Cap. X. De impugnatione. Caput hoc undecim titulos includit. Agiturque tit. 1. de impugnatione in genere. Tit. 2. de iis, qui impugnare possunt. Tit. 3. de objecto impugnationis. Tit. 4. de tempore impugnationis. Tit. 5. de iis, coram quibus impugnationes fiunt. Tit. 6. de loco ubi instituuntur. Tit. 7. de formulis impugnationis. Tit. 8. de prosecutione judiciali impugnationis. Tit. 9. de Cassatione impugnationis. Tit. 10. de confirmatione impugnationis. Tit. 11. de ratione, quâ notantur impugnationes in Protocollo resignationis. Cap. XI. de vero, & pleno Resignationis Protocollo. Cap. XII. de Resignatione privatâ, & inscriptione in libro civitatis hereditatum & reddituum. Continet hoc caput decem titulos. Agitur tit. 1. de inscriptione in libris hereditatum & reddituum in genere. Tit. 2. de iis, qui inscribunt. Tit. 3. de iis, qui consensu adesse inscriptioni debent. Tit. 4. de lingvæ genere, quo fit inscriptio. Tit. 5. de objecto inscriptionis. Tit. 6. de loco, ubi inscriptio peragitur. Tit. 7. de tempore justo inscriptionis. Tit. 8. de formulis inscriptionis. Tit. 9. de libris hereditatum & reddituum, quibus resignationes inscribuntur. Tit. 10. de pignerationum schedulis, quæ ex libris reddituum colliguntur. Cap. XIII. de Expensis Resignationum.

num. Cap. XIV. de effectû Resignationis, & exceptionibus, quæ libris hereditatum, & redituum opponi possunt. Cap. XV. de Prosecutionis processu, tanquam medio, quo prudens creditor hypothecarius sortem suam cum usuris facile consequi potest, ut cæteroquin reliquis Creditoribus non sufficiat Debitor, nec non de dubiis quibusdam casibus in Resignationis Jure occurrentibus, unâ cum ratione eos decidendi.

LVBECÆ.

Die 12. Nov. sive Dom. XXII. p. Trinit. *Caspar Köhn*, Lubecensis, ad obeundum in Ecclesiâ *Behlendorffensi* Pastoris Adjuncti munus, ad quod Ampliss. Senatus Lubecens. eum d. 8. Novembr. vocaverat, sacris ordinationis initiatus, atque à Lubecens. Ecclesiarum Superintendente, *D. Georgio Henr. Geetzi* introductus fuit.

Die 19. Novembr. repentinâ morte, dum ad conficienda quædam negotia peregrè profectus erat, exstinctus est *Ludovicus Pincier*, V. J. D. Reverendissimo atque Sereniss. Lubecens. Episcopo à Consiliis aulicis, Rev. etiam Capituli Canonicus Senior, & Thesaurarius Ecclesiæ Cathedralis. Hic quum Patre *Hermanno Pincier*, Canonico Seniore, & Rev. Capituli Præfecto majore *Lubecæ* an. 1624. d. 10. Aprilis, st. v. prognatus, literisque tam *hic*, quam in *Bordesholmensi*, *Holsatiæ* tunc Gymnasio, ut & *Daventriæ* excultus esset, in Academia *Helmstadiensi* primùm per triennium, & in *Lugdunensi* deinde studio juris incubuit. Abhinc domum rediit quidem; sed anno, quem vocant residentiæ, in Rev. Capitulo, decenter observato & confecto, in *Belgium* reversus est, ut in Univeritate *Hardevicensi* juris Legumque scientiam accumularet, summosque in utroque jure honores capefferet, quibus quoque condecorabatur, postquam ipse ut Præses defenderat publicam de *Compensationibus* Disputationem. Peragratis postea reliquis *Belgii* provinciis, *Galliâ* item & *Helvetiâ* lustratâ, nec non clarissimis *Germaniæ* locis visis, reditum
in

in patriam maturavit, ibidemque sedem figens matrimonium iniiit cum *Christinâ Langiâ*, *Johannis Hudemanni*, Danorum Regis in Ducatu utroque Slesvicensi & Holsatico Superintendentis filiâ, jamjam defunctâ. Ex hoc matrimonio quinqve filii, duæque filix supersunt. Inter filios eminent, Illustr. Dn. *Johannes Ludovicus*, Liber Baro de *Königstein*, Sereniss. Ducis Slesvici & Holsatix regentis intimus Consiliarius, ejusdem Præfectus in ditione *Tunderensi*, & Rev. Capituli Lubecensis Præpositus; item *Joachimus Christianus*, V. J. D. Sereniss. Holsatix Duci, CHRISTIANO AVGVSTO à Confiliiis, & Canonicus Lubecensis.

Die 14. Dec. in Aede D. Mariæ *Conradus Nicolaus Lundersen*, *Elensburgo Holsatus*, vocatus Pastor Adjunctus *Azbüllensis* & *Grafensteinensis*, exhibitis Literis Vocationis, quas à Perillustri Comite Dn. *Friderico de Ablefeld*, acceperat, & annuente Magistratu inclutæ Reipublicæ Lubecensis Amplissimo, à Superintendente D. *Georgio Henr. Goetzio*, paullò ante laudato, solenniter ritèque ordinabatur.

Apud *Petrum Böckmannum* prostat libellus quidam Germanicus, à *Job. Stephano Hildermann*, Pastore Alt-Crempeusi in Holsatiâ, editus, cujus titulus ita legitur: *Die Evangelische Glaubens-Lehr aus Sprüchen Heil. Schrift / nach Anleitung der Fest- und Sonntäglichen Evangelien vorgestellt / und der Alt-Cremper Gemeine zur Erbauung zum Druck übergeben. Lauenburg / druckts Christian Albrecht Pfeiffer / 1702. (10. plag. in 12.)*

Idem Auctor antehac etiam in gratiam Auditorum suorum in lucem emisit *Jesus-Sprüche / welche nach Anleitung der Sonntäglichen Evangelien vorstellen das Erkantniß Jesu Christi / (1) von seiner Persohn / Natur und Eigenschaften. (2) Von seinem zwiefachen Stande. (3) Von seinem dreysfachen Amt &c. (6. plag. in 12)*

INDEX futurò annò sequetur.

